TRACTATUS
DE EPISCOPO
UBI ET DE SYNODO DIŒCESANA

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

Atrebati, ex typis ousseau-L.e y.

TRACTATUS
DE EPISCOPO

UBI ET DE SYNODO DIOECESANA.

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1859

TRACTATUS

DE EPISCOPO

UBI

ET DE SYNODO DIŒCESANA.

PARS V

DE

EPISCOPORUM OFFICIO ET POTESTATE.

Cum circa easdem plerumque materias versentur simul, tum prærogativæ et potestas, tum etiam obligationes Episcoporum, visum est de utrisque sub una eademque tractatus parte disserendum. Hanc autem quintam partem in varia capita immediate distribuemus; nulla scilicet alia intermedia subdivisione interposita. Unde si lector statim reperire velit quæstionem aliquam, quæ ad Episcoporum *officium* aut *potestatem* pertineat, debebit totum hujusce quintæ partis indicem percurrere.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE RESIDENDI.

Quæ hic expendenda veniunt in quatuor paragraphos distribuemus, hoc ordine : 1°, dicemus an, quo jure, ubi et qualiter residere teneantur Episcopi : 2°, quomodo intelligenda sit juris dispositio, qua Episcopis indultum est, ut singulis annis per tres menses abesse valeant, absque ulla superioris licentia : 3°, an et quatenus aliæ etiam (præter dictam trium mensium) absentiæ Episcopis licitæ sint : 4° quibus pœnis subjaceant Episcopi, qui residendi præcepto non satisfaciunt.

§ I.

An, quo jure, ubi et qualiter residere teneantur Episcopi.

Propositio Iª. — *Certum est Episcopos, etiamsi Cardinales sint, ad residentiam teneri, saltem de jure ecclesiastico.* — Constat capite 1 sessionis 23 Tridentinæ Synodi, ubi sic disponitur : « Declarat sacrosancta Synodus, omnes patriarchalibus, « primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis « quibuscumque quocumque nomine et titulo præfectos, « etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari « ad personalem in sua ecclesia vel diœcesi residentiam, ubi « injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, « nisi ex causis et modis infra scriptis. » Diximus, *saltem de jure ecclesiastico;* quia, num etiam residere teneantur Episcopi *de jure divino*, controversiæ aliquatenus obnoxium remansit, prout sequenti propositione ostenditur.

Propositio IIª.—*De jure divino ad residentiam teneri Episcopos non est ita certum, ut licita non remanserit hac de re controver-*

sia. — Obligatoriam de jure divino Episcoporum residentiam tot et tanti doctores propugnant, ut sententia hæc *communis* forsan dici valeat (vide S. Ligorium, l. 4, n. 121), et ad minus tanquam valde probabilis habenda sit. Nihilominus ipsorum rationes peremptoriæ non sunt.

1° Peremptoria non est præcipua eorum ratio, ex Tridentino textu deducta.—Allegant nempe verba hæc capitis 1 sessionis 23 : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro h'is sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere...; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt...* Ex illo textu sic argumentantur : tenentur Episcopi *de jure divino* gregem pascere, prout citata verba manifestum faciunt : atqui nequeunt recte gregem pascere nisi residendo, ut evincunt voces illæ, *quæ omnia*, etc. : ergo de jure divino residere tenentur. Ad hanc vero argumentationem respondetur : concessa majore, negatur minor. « Etenim non dixit « Tridentinum, non posse oves pascere qui non resident, sed « *qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt* : hæc autem verba commode referri « queunt ad animum ; cum vere intelligatur gregi suo invigilare, assistere, eumque non deserere, qui, etsi absens « sit corpore, illius tamen regimini et tutelæ sedulo excubat « animo. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, lib. 7, c. 1, n. 4.) Præterea certo constat Tridentinos Patres noluisse controversiam dirimere ; imo ita ex proposito decretum suum concinnasse, ut eam non dirimerent. « De hac controversia (in« quit Benedictus XIV, loco citato, n. 3) acriter disceptatum « fuit in Concilio Tridentino, ante sessionem 6 sub Paulo III ; « sed ea vehementius recrudruit sub Pio IV, in conventibus « habitis ante sessiones 19 et 23... Cumque dissidentes inter « se Patres haudquaquam conciliari potuerint, tandem deli« beratum est, ut novo quidem decreto cuncti animarum

« Pastores ad residentiam adigerentur ; nihil tamen definire-« tur de jure, quo iidem continue inter suas oves versari « tenentur : quinimmo ita decretum concinnandum Patres « duxere, ut nihil inde alterutri sententiæ detraheretur : quæ « omnia narrantur a Cardinali Pallavicino... Hanc Tridentini « mentem, cum perspectam habuerit Pius IV, in allocutione « habita ad Cardinales et Episcopos calendis martii 1564..., « agens de residentia, a Concilio Lateranensi sub Innocen-« tio III et a Tridentino animarum pastoribus novis sanctio-« nibus injuncta, hæc ad rem subdidit : *Licet vero neque in* « *illo, neque in isto Concilio clare definitum sit, an residentia de* « *jure divino esse censeatur, quod neque etiam Nos nunc ex im-* « *proviso definire audemus.* »

2° Peremptoria non est ratio deducta ex natura episcopalis officii. — Sic nempe argumentantur : nequeunt Episcopi gregem recte pascere, nisi resideant, ergo. At certum non est antecedens : non enim evidenter repugnat aliquem Episcopum, etsi a diœcesi sua per notabilem etiam anni partem absit, sibi commisso populo de omnibus ad salutem necessariis convenienter providere. Potest nempe procurare ut ea quæ ipse præsens præstaret, ab aliis idoneis ab ipso delegatis præstentur. Nec necessariam vigilantiam impedit absentia : alias dicendum foret neque residentem Episcopum huic vigilantiæ debito satisfacere, cum non nisi in uno diœcesis loco resideat, ab aliis autem civitatibus et oppidis absens sit.

3° Peremptoria non est ratio deducta ex Constitutione *ubi primum* (3 decembris 1740, § 4) Benedicti XIV. — Ibi Episcopos sic alloquitur Pontifex : « Itaque in statione vestra « vel diœcesi servetis residentiam, ad quam *ex vi muneris* « *vestri* obligati estis. » Qui residendi obligationem jure divino statutam sustinent, citatis verbis id firmare tentant in hunc modum : si residere teneantur Episcopi *ex vi muneris sui*, ergo de jure divino. Sed responderi potest, ibi agere Pontificem de munere episcopali, quale determinatum existit, sive a jure divino, sive a jure ecclesiastico. Præterea supponi

nequit voluisse Benedictum XIV tantam controversiam sic per transennam, duobus vocibus dirimere, ut satis innuunt quæ ipsemet de hac re antea scripserat. Liceat ergo cum hoc ipso Pontifice concludere : « Indubitatum est, assiduæ resi- « dentiæ onus cunctis animarum pastoribus incumbere...; « sed non ita certum est jus a quo illud promanet : conten- « dentibus plerisque, residentiam a jure divino esse Episco- « pis et parochis imperatam ; aliis ex adverso ejus obligatio- « nem ad jus mere ecclesiasticum referentibus. » *(De Synodo diœcesana,* l. 7, c. 1, n. 3.)

PROPOSITIO III^a — *Lex residendi intelligenda est de residentia, non materiali dumtaxat, sed formali ; id est, de laboriosa, non de otiosa.*— Est conclusio hæc omnino certa et extra controversiam omnem posita. Vide quæ ad illam firmandam scripsimus in tractatu *de Parocho* (pag. 558). Vide etiam Barbosa (*de Officio et Potestate Episcopi,* parte 3, alleg. 51, n. 20), qui Episcopum materialiter dumtaxat residentem, *simulacrum Episcopi* vocat. Quonam autem modo differat residentia materialis a formali, sic paucis indicat Benedictus XIV (in Bulla *grave,* 15 augusti 1741, § 2) : « Neque vero opus « esse censemus, viros doctos et sacrarum litterarum appri- « me callentes, quales vos estis, docere de differentia resi- « dendi, quam materialem et formalem vocant. Quis enim « vestrum, venerabiles fratres, ignorat, tunc Episcopum ma- « teriali modo in ecclesia sua residere, cum neque verbum « Dei voce et exemplo disseminat, neque a semita justitiæ « deflectentes revocat, neque periclitantibus opem et auxi- « lium defert, neque demum adversus lupos rapaces, qui « vestimentis ovium sæpe intrant ovile ut rapiant et mactent, « sedulo invigilat, fortiterque se opponit? In qua sane vigi- « lantia ac pastorali sollicitudine potissimum sita est vera et « formalis residendi ratio. »

PROPOSITIO IV^a. — *Episcopus residentiæ obligationi satisfacit residendo intra diœcesim, quamvis in civitate episcopali non resideat.* — Constat ex citato Tridentino capite 1 sessionis 23,

ubi declaratur Episcopus teneri ad residentiam *in sua ecclesia vel diœcesi*. Et ita fuisse declaratum a S. Congregatione Episcoporum et regularium, refert Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 14. Liberum ergo est Episcopo in qualibet diœcesis suæ parte residere, dummodo ad cathedralem pergat temporibus a jure præscriptis, et accessus ad locum in quo residet non sit ita difficilis, ut inde præpediatur conveniens diœcesis cura et administratio.

Propositio V^a^. — *Episcopus residens extra civitatem episcopalem, non debet ab ea vicarium suum generalem et tribunal amovere.* — Ita pluries decisum a S. Congregatione Episcoporum et regularium refert Pignatelli (consult. 64, tom. 7). Vide etiam apud Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 14.

§ II.

De juris dispositione qua Episcopis indultum est ut per tres menses singulis annis abesse valeant absque superioris licentia.

Propositio I^a^. — *Episcopis concessum est ut per tres anni menses, sive continuos sive interruptos, abesse valeant absque ulla superioris licentia, modo adsit causa æqua, et non absint tempore Adventus et Quadragesimæ, neque diebus Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Domini.* — Constat Tridentino decreto (sess. 23, c. 1) : « Quoniam autem qui aliquantisper « tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta Synodus « vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum « sive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad summum « tres menses excedere ; et haberi rationem, ut id æqua ex « causa fiat et absque ullo gregis detrimento : quod an ita « sit, abscedentium conscientiæ relinquit... Eosdem interim « admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi

« diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pasto-
« ris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali
« ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos
« alio avocent. »

Objicies.— Sublata videtur dicta facultas per Constitutionem *sancta Synodus* Urbani VIII, 12 decembris 1634. — Respondeo : equidem post dictæ Bullæ publicationem motum fuisse dubium, an quoad hoc præfatus Pontifex Tridentinæ legi derogasset : sed, ex ejusdem Pontificis auctoritate, S. Congregatio Concilii declaravit in hunc modum : « Die 3 februarii 1635, requirentibus nonnullis Episcopis, S. Congregatio « Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, habito prius « verbo cum Sanctissimo Domino nostro, respondit, per « Constitutionem super Episcoporum residentia, ab eodem « Sanctissimo Domino nostro nuper editam, non fuisse sublatam facultatem ab eodem sacro Concilio (cap. 1, sess. 23, « *de Ref.*) concessam, æqua ex causa abessendi aliquantisper « a residentia, dummodo absentiæ spatium duos, vel ad summum tres menses non excedat. » (Hanc declarationem reperies apud Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 30.)

PROPOSITIO IIa. — *Ut Episcopo licita sit prædicta trium mensium absentia, requiritur causa rationabilis et tantisper gravis ; non autem sufficit futilis aut levis.* — Etenim Tridentina Synodus absentiam illam non concedit nisi *æqua ex causa*. Dum dicitur *æqua*, intelligendum est *proportionata ad talem absentiam*, prout adnotat sanctus Ligorius (l. 4, n. 122). Jam vero causa levis, et a fortiori futilis, non est tali absentiæ proportionata, ut patet. Confirmatur autem conclusio ex variis Benedicti XIV hac de re dictis : in Constitutione *ad universæ*, tertio nonas septembris 1746, memorans dictam trium mensium absentiam Episcopis concedi sub hac conditione, *ut id æqua ex causa fiat*, ita subjungit : *Quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur.* In Encyclica *ubi primum* 3 decembris 1740, § 4, sic Episcopos admonet : *Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres menses singulis*

annis pro libito, aut quacumque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam hujusmodi æqua requirat causa, simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem judicem futurum esse eum, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt ; adeoque videte, ut causa talis vere sit, quæ probari jure possit supremo huic pastorum Principi, a quo ovium vobis creditarum sanguis est quantocius requirendus. Tandem in Bulla *grave,* 15 augusti 1741, § 1, occurrunt verba hæc : *Cui sane residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium, a se substitutum seu vicarium, ecclesiam regunt, nisi foret ad breve tempus, et gravi de causa id fieret.*

Objicies. — Licitum Episcopis per tres menses abesse, relaxandi animi, vel consanguineos aut amicos invisendi causa, existimant doctores quamplurimi, ut videre est apud Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 3, n. 29, et apud S. Ligorium, l. 4, n. 122 : porro ejusmodi causa est levis : ergo levis causa sufficere censenda est. — Respondeo : « Palaus..., Vasquez..., « cum aliis, dicunt præfatas causas non sufficere, nisi forte « ad mensem, qui revera bene satis est ad animum relaxan- « dum. » (S. Ligorius, l. 4, n. 122.)

Cum ergo ipsismet Episcopis relictum sit judicium de causæ æquitate, cavendum ipsis est ne sibi nimium blandiantur. Etsi enim nulli hominum pro ejusmodi trium mensium absentiis rationem reddere teneantur, at judicaturus Christus Dominus. Nec dubium est graviter delinqui posse ex requisitæ justæ causæ defectu.

Propositio III^a. — *Dicta trium mensium absentia licita non est tempore Adventus, et Quadragesimæ, necnon Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi diebus : in quo tamen si contraveniat Episcopus, non incurrit pœnas contra non residentes sancitas.* — 1° Quod illicita sit dictis temporibus absentia, constat ex supra transcripto Tridentino decreto. Quamvis enim utatur Synodus verbis *admonet* et *hortatur*, tamen verum ibi præceptum exprimi tenent doctores communiter ; et satis

palam faciunt subnexa verba, *ne per illius temporis spatium ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint.*

2° De Episcopis qui dictis temporibus abessent, sic adnotat Ferraris (verbo *Episcopus*, art. 3, n. 31) : « Cæterum non « incidunt in pœnas a sancta Synodo (cap. 1, sess. 6, et « cap. 1, sess. 23) Episcopis non residentibus inflictas. Sic « decrevisse S. Congregationem Concilii refert Fagnanus in « cap. *qualiter*, 9 *de clericis non residentibus.* »

Propositio IV^a. — *Dictis temporibus tenetur Episcopus adesse non tantum in diœcesi, sed etiam apud suam cathedralem, nisi episcopale munus eum alio avocet.* — Constat supra citati Tridentini decreti verbis : « Ne per illius temporis spatium ipsi « *ab ecclesia sua cathedrali* ullo pacto absint, nisi episcopalia « munia in sua diœcesi eos alio avocent. » (C. 1, sess. 23.)

Propositio V^a. — *Dicta trium mensium absentia non debet conjungi cum eo tempore, quod Episcopis ad peragendam sacrorum liminum visitationem conceditur : neque fas est eam ita collocare, ut fiat in tribus ultimis mensibus unius anni, et continuetur in tribus prioribus anni sequentis : item si cui Episcopo concessum sit extra diœcesim propter aeris insalubritatem per aliquod tempus degere, non ei licet cum eo tempore conjungere dictam trium mensium absentiam : qui autem dictam trium mensium absentiam uno anno omisit, non ideo potest sequenti anno ultra tres menses abesse.* — Ita variis decretis sancitum fuisse refert Benedictus XIV (in sua Constitutione *ad universæ*, tertio nonas septembris 1746) : « Cum vero (inquit) idem Urbanus declaras« set, se per ea, quæ in suis præfatis litteris constituerat, « minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam « a Concilio indultam ; hinc plures ortæ quæstiones, et varia « condita sunt decreta, ab eodem Urbano ejusque successo« ribus approbata ; cujusmodi sunt :

« Non licere trimestrem absentiam prædictam conjungere, « sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam « promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad « peragendam sacrorum liminum visitationem eisdem conces-

« sum fuit : neque fas esse absentiæ tempora ita disponere,
« ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus
« prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum
« est prædictos menses conjungere cum eo anni tempore,
« quo, propter aeris insalubritatem, alicui Episcopo permit-
« titur extra diœcesim degere ; ne scilicet continuatis absen-
« tiæ temporibus, vernos simul et æstivos menses, sive æsti-
« vos una cum autumnalibus, extra diœcesim duci contingat.
« Denique... declaratum fuit, prædictam trium mensium
« vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno
« anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab
« ecclesia sua abesse valeat. »

His enarratis confirmat Benedictus XIV et servari præcipit ejusmodi decreta, ordinationes et resolutiones, prout in citata Constitutione videre est.

§ III.

Quasnam ob causas, aliæ (præter dictam trium mensium) absentiæ Episcopis sint licitæ.

Antequam ejusmodi causas enumeremus atque expendamus, præcipuum hac de re juris textum, Tridentinæ scilicet Synodi sanctionem, lectoris oculis subjiciendam duximus : *Cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant ; decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel (eo absente) suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandam ; nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicæ officium, episcopatibus adjunctum : cujus quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a suffraganeo datis ;*

et videre ne quis eo jure abutatur, et ut pœnis canonicis errantes puniantur (sess. 23, c. 1, *de Ref.*).

Inter Pontificia decreta, quæ de Episcoporum residentia statuunt, præcipue attendenda Constitutio *sancta Synodus* Urbani VIII, 12 decembris 1634, quæ prædecessorum sanctiones enumerat atque confirmat. Attendenda etiam Bulla *ad universæ* Benedicti XIV, 3 septembris 1746, qua confirmatur quidquid Urbanus VIII statuerat. His prænotatis, sit

Propositio I^a. — *Ab Urbano VIII generali lege prohibitum est, ne Episcopi a suis diœcesibus recederent, nisi prius a Romano Pontifice obtenta, per Breve seu missivas litteras, licentia.* — Constat his verbis citatæ ipsius Constitutionis *sancta Synodus*, § 8 : « Eisdemque præfectis, postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis, apud « suas ecclesias quandocumque personaliter residentibus, sub « eisdem pœnis, etiam eo ipso respective incurrendis, injun- « gimus, *ne ab eorum ecclesiis discedant, nisi prius obtenta nostra,* « *et Romani Pontificis* pro tempore existentis, *per Breve seu* « *litteras missivas, licentia.* Illos etiam, qui in posterum per « Nos seu Romanos Pontifices successores nostros, alicui præ- « fatarum ecclesiarum patriarchalium, primatialium, metro- « politanarum, archiepiscopalium et episcopalium quovis no- « mine vel titulo præfecti fuerint, etiamsi sanctæ Romanæ « Ecclesiæ Cardinales quandocumque fuerint vel sint, sub « eisdem pœnis debeant, et quilibet ipsorum debeat infra « præfatum tempus..., se ad ecclesias sive diœceses sibi com- « missas, ad personaliter in eis residendum, conferre : et « respective postquam residere inceperint, *ab illis non disce-* « *dere, nisi obtenta prius a Nobis, et Romano Pontifice pro tem-* « *pore existente, licentia præfata.* » Lex illa, ut patet, *generalis* est ; attingit nempe quaslibet, et ex quacumque causa, absentias ; præter illas solas quæ ab ipsomet Pontifice postea expresse excipiuntur. Estque id diligenter attendendum ; quia inde tuta regula colligitur ad solvenda quælibet de absentiarum liceitate dubia. Ad quæsitum nempe, an in tali casu

et tali ex causa Episcopo abesse liceat, recte respondetur : vel illum casum a generali sua prohibitione excepit Urbanus VIII, vel non : si prius, fas est Episcopo abesse absque licentia : si posterius, non ei licet abesse, nisi Pontifex indulserit.

PROPOSITIO II^a. — *Per præfatam Urbani VIII Constitutionem sublata est facultas quam vi Tridentini decreti habebat Episcopus a diœcesi recedendi certas ob causas, dummodo causam approbasset Metropolitanus aut antiquior suffraganeus.* — Quando nempe absentiam suadebat christiana charitas, vel urgens necessitas, vel debita obedientia, vel evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas, ad terminos supra citati Tridentini decreti, poterat Episcopus approbationem petere, non tantum a Romano Pontifice, sed etiam a Metropolitano suo, vel (eo absente) ab antiquiore suffraganeo residente ; et ipse Metropolitanus cum ejusdem antiquioris suffraganei approbatione poterat a diœcesi sua discedere.

Atvero post Urbani VIII Constitutionem, insufficiens evasit hæc Metropolitani, aut antiquioris suffraganei, approbatio ; et omnino necessaria remansit licentia Apostolica ; prout palam faciunt citata hujus Constitutionis verba. Unde hodie frustra Episcopus ad Metropolitanum, aut Metropolitanus ad antiquiorem suffraganeum recurreret, pro obtinenda dicta approbatione.

PROPOSITIO III^a. — *Absque ulla licentia possunt a suis diœcesibus abesse Episcopi ad visitanda sacra limina : per quatuor scilicet menses, si diœcesis intra Italiam existat ; per septem vero si extra.* — Hanc generali suæ prohibitioni exceptionem apposuit Urbanus VIII : « Volumus tamen, inquit, Episcopos, Archi« episcopos, Metropolitanos, Primates et Patriarchas, etiam « S. R. E. Cardinales, citra montes vel mare existentes, per « quatuor ; alios vero ultra montes vel mare degentes, per « septem menses continuos a residentia in præfatis ecclesiis « facienda, ad effectum visitandi limina sanctorum Apostolo« rum Petri et Pauli juxta sacros canones ac Apostolicas

« Constitutiones, pro qualibet visitatione excusari : ita tamen « ut tunc illis durantibus, visitationis hujusmodi munus ex-« plere teneantur, nec ad alios actus se divertant. » (§ 12.) Notetur autem limitatio hæc, *nec ad alios actus se divertant.*

Propositio IV^a. — *Absque ulla licentia possunt abesse Episcopi, ut intersint Concilio provinciali.* — Illam etiam generali suæ prohibitioni exceptionem apposuit Urbanus VIII. Etenim postquam edixit, a pœnis nequaquam immunes fore, qui absque Pontificia licentia recedent, etiam ex causa cujuscumque ecclesiarum necessitatis aut utilitatis, ita subjungit : « Præter-« quam personalis interessentiæ in Synodis provincialibus, « vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus « ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris, aut « reipublicæ officii, episcopatibus vel majoribus ecclesiis præ-« fatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari « solent : et tunc pro tempore quo illæ Synodus, congre-« gationes et assembleæ, exercitiumque muneris seu officii « publici ipsis ecclesiis adjuncti, actu duraverint; quibus fi-« nitis recto tramite ad ecclesias præfatas sibi commissas, se « conferre debeant. » (§ 10.)

Quod de Concilio provinciali ibi dicitur, intelligendum est et de nationali; quia sub provincialis Concilii nomine, in multis et ipsa nationalis Synodus comprehenditur; et nulla est ratio cur in præsenti materia comprehensa non censeatur. Ad œcumenicum autem Concilium quod attinet, convocari regulariter nequit nisi Pontificia auctoritate. Ex ipsa autem hac convocatione habent Episcopi facultatem a diœcesibus suis discedendi.

. Propositio V^a. — *Absque licentia possunt abesse Episcopi, ut intersint comitiis seu assembleis generalibus, quando, ratione muneris, sive officii publici, eorum ecclesiis adjuncti, ad eos pertinet ejusmodi assembleis interesse.* — Constat citatis sub præcedenti propositione Urbani VIII verbis. Hæc autem præfati Pontificis dispositio non alia est quam ipsa dispositio Tridentinæ Synodi, quæ eosdem Prælatos a necessitate obtinendæ approbationis

sic exemerat : *Nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicæ officium, episcopatibus adjunctum.*

PROPOSITIO VI[a]. — *An hodie in Gallia possint sine licentia Pontificia Cardinales et alii Episcopi senatores a suis diœcesibus abesse, ut senatus comitiis intersint, videtur controverti posse : et idem videtur sentiendum, relative ad supremum instructionis publicæ congressum* (1), *de Episcopis qui sunt hujus congressus membra.* — Equidem Tridentina Synodus, necnon Urbanus VIII, a necessitate obtinendæ licentiæ Pontificiæ excipiunt casum, quo absentia fit *propter aliquod munus* seu *officium reipublicæ ;* sed expresse loquuntur de munere seu officio publico ipsis *episcopatibus* seu episcopalibus ecclesiis *adjuncto.* Hodie autem in Gallia, dictum munus *senatoris* quo exornantur Cardinales, non eorum diœcesibus adnectitur, sed dignitati cardinalitiæ. Et pariter Episcopi qui membra sunt supremi instructionis publicæ congressus, id non habent ex ecclesiarum quibus præsunt prærogativa, sed ex nominatione imperatoris, qui ipsorum personas eligit. Ergo attentis solummodo ipsismet dictarum juris dispositionum terminis, præfati Cardinales senatores, et Episcopi consiliarii, sub dicto casu, ab obtinenda Pontificia licentia eximente, non comprehenduntur. Si vero ad mentem earumdem juris dispositionum respiciamus, probabiliter forsan dici potest eos comprehendi. Ideo nempe Tridentina Synodus et Urbanus VIII, ubi agunt de munere seu officio publico, addidisse videntur verba hæc, *episcopatibus adjuncto,* quia tunc temporis solebant hujusmodi munera episcopalibus sedibus annecti ; non autem ut excluderent casum, quo munia hæc dignitati cardinalitiæ, aut etiam Prælatorum personis adnecterentur. Sed ejusmodi interpretationes, quæ non in textu legis, sed in præsumpta legislatoris mente fundantur, tutæ non sunt. Unde, salvo meliori judicio, mihi viderentur prudenter agere dicti Prælati, si in explendo præfato senatorum et consiliariorum munere, impenderent tantum tres illos absentiæ menses, qui singulis annis de jure ipsis conce-

(1) Le conseil supérieur de l'instruction publique.

duntur; vel, si præter absentiam illam trium mensium, abesse insuper velint pro explendis præfatis muniis, verbum de hoc facerent cum Sanctissimo, ad obtinendam (si forte necessaria sit) licentiam.

PROPOSITIO VII^a^. — *Finitis Conciliis provincialibus, comitiisve aut assembleis, non licet Episcopis, qui eis interfuerunt, absentiam protrahere; sed tenentur ad suas quique diœceses recta via reverti.* — Non enim eis conceditur absentia nisi pro tempore quo durant ejusmodi adunationes. Constat citatis sub propositione 4 Urbani VIII verbis.

PROPOSITIO VIII^a^. — *Abesse a suis diœcesibus possunt Cardinales, ut (sede Apostolica vacante) ad locum conclavis accedant; atque ipsis licet ibi manere usque ad electionem, et duobus insuper mensibus post novi Pontificis coronationem: non tamen ante proficisci possunt, quam certam habuerint notitiam de Sedis Apostolicæ vacatione.* — Ita decrevit Urbanus VIII, in sua Constitutione *sancta Synodus*, § 13.

PROPOSITIO IX^a^. — *Episcopis, absque obtenta Pontificia facultate, a suis diœcesibus abesse non licet, ut aliquod principibus aut regibus servitium præstent; neque ut eorumdem negotia tractent; neque ut ipsorum jussionibus quibuslibet morem gerant; neque ut fœdus componant, aliudve negotium quantumvis grave tractent; neque ob quamlibet ecclesiarum utilitatem aut necessitatem.* — « A quarum pœnarum incursu (ait Urbanus VIII, dicta Con-
« stitutione, § 10) nolumus posse aliquem se excusare, præ-
« textu et ratione cujuscumque servitii quomodolibet præstiti
« et præstandi, pro gerendis et tractandis negotiis quorum-
« cumque principum, etiam imperatoris et regum, aut rerum-
« publicarum, regnorum et provinciarum; nec ratione cujus-
« libet jussionis vel mandati eorum vel earum; nec etiam
« ratione persecutionis seu defensionis quarumcumque litium
« seu controversiarum, etiam ecclesiasticarum; vel ineundi
« fœderis; aut cujuscumque alterius negotii, etiam gravissimi,
« et speciali mentione digni, tractandi; vel distantiæ locorum
« aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda

« Sedis Apostolicæ licentia præfata antequam a suis ecclesiis « et diœcesibus discedant; aut ratione cujuscumque alterius « causæ, etiam publicæ...; etiam cujuslibet utilitatis sive ne« cessitatis ecclesiarum et personarum. »

Propositio X^a^. — *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas, sunt quidem causæ sufficientes ad approbandam et permittendam Episcoporum absentiam : at per se solas, id est, si non accedat Pontificia licentia, nequaquam a residentia excusant.* — Equidem Tridentina Synodus (sess. 23, c. 1) declarat quatuor illas causas postulare et exigere ut nonnunquam aliqui Episcopi a suis diœcesibus absint : sed statim addit easdem in scriptis approbandas esse a Romano Pontifice, vel a Metropolitano : *Cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant, decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut Metropolitano..., in scriptis esse approbandas.* Postea vero Urbanus VIII decrevit, ut solus Romanus Pontifex ejusmodi approbationem seu licentiam concederet. Unde etiamsi adsit aliqua ex quatuor illis causis, non ideo legitima erit Episcopi absentia, nisi Pontificiam licentiam obtinuerit ; exceptis tamen supra enumeratis casibus, qui licitam reddunt absentiam, absque dicta licentia. Quid autem intelligatur per unamquamque ex dictis quatuor causis, vide apud Ferraris (V. *Episcopus*, art. 3, n. 4 et seq.).

Propositio XI^a^. — *Episcopum a residentia non excusat periculum contrahendæ pestis.* — « Illud ab omnibus indubitanter admittitur, quod quicumque curam gerit animarum, ac residendi obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiæ loco recedere, ut pestis periculum effugiat : ideoque sæviente licet peste, et residere debet et residentiæ non materialis tantum, sed etiam formalis, ut inquiunt, onera adimplere.... Dubium hoc ad S. Congregationem Concilii detulit (S. Carolus Borromæus) : num scilicet residere teneretur qui curæ præerat animarum, quamvis urgeret periculum

contrahendi pestem et ex illa occumbendi. Responsum autem fuit, residendi obligationem vel tum vigere, eaque obstringi non modo parochos, sed et Episcopos; quemadmodum videre est in rescriptis relatis apud Fagnanum (in c. *clericos*, n. 37 et seq., *de clericis non resid.*) ; quibus Pontificia quoque Gregorii XIII accessit approbatio. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 19, n. 2.)

Nota 1°. — *Certum non est teneri Episcopum confirmationis sacramentum peste laborantibus ministrare.* — « Cum confirmatio « non sit sacramentum omnino et absolute ad æternam salu- « tem necessarium, difficile erit tueri, Episcopum obstringi « ad illud peste laborantibus administrandum, etiam cum « proximo vitæ suæ periculo; eumque ab administratione « cessantem, dum ægrotantes hoc spirituali præsidio foveri « exposcunt, peccare. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 19, n. 6.)

Nota 2°. — *Non tenetur Episcopus baptismi et pœnitentiæ sacramenta peste laborantibus ministrare, nisi cum nullus alius adest, qui id præstare possit.* — « Asserimus (inquit Benedi- « ctus XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 19, n. 6) parochorum onus id « esse proprium ; Episcopos vero ad hujusmodi sacramenta « peste afflatis administranda minime obstrictos esse, nisi « cum nemo alius adesset qui id præstare posset. »

Nota 3°. — A fortiori nec teneri censendus est Episcopus, sæviente peste, viatici et extremæ unctionis sacramenta ministrare. Etsi autem ita concludendum sit attento stricto jure, nemo non videt quam deceat et laudabilius sit, ut sequantur Episcopi eximium sancti Caroli Borromæi exemplum, qui grassante lue, baptisma, confirmationem, pœnitentiam, sacrum viaticum extremamque unctionem ipsemet summo zelo administravit.

Propositio XII[a]. — *Qui ad sedes episcopales promoti sunt, debent ad eas se conferre ad incipiendam residentiam infra sequentes respective terminos a die promotionis computandos, videlicet : qui exstant apud Romanam Curiam, infra mensem : qui*

extra Romam et intra Italiam, intra duos menses : qui extra Italiam infra quatuor. — Ita intelligendus videtur paragraphus 9 Constitutionis *sancta Synodus* Urbani VIII, in quo sic decernitur : « Debeant *infra præfatum tempus*, a die eorum « promotionis..., inchoandum.., se itineri committere, et « ad ecclesias sive diœceses sibi commissas, ad personaliter « in eis residendum, conferre. » Verba hæc *infra præfatum tempus* referuntur ad paragraphum septimum ; in quo Episcopi, qui a suis diœcesibus discesserant et sub variis prætextibus alibi moras trahebant, jubentur ad suas diœceses redire infra hæc temporis spatia: « In Romana Curia moram trahen« tes, infra unum ; extra eam vero in Italia, intra duos ; « extra vero Italiam existentes, intra quatuor menses.» Cum ergo in dispositione, noviter promotos concernente, dicat Pontifex *infra præfatum tempus*, patet eorum obligatio ad sibi commissas diœceses se conferendi, infra terminos in conclusione assignatos.

Pro iis tamen noviter promotis, qui in curia Romana reperiuntur, cum nimis arctus videretur ille mensis unius terminus, concessum est a Benedicto XIII, ut ad alios 40 dies eum prorogare posset Cardinalis Vicarius, si ita expedire existimaret. Id testatur Benedictus XIV in sua Constitutione *ad universæ* (tertio nonas septembris 1746).

Propositio XIII^a.—*Cardinalis qui præter episcopatum suburbicarium, alterum simul habet, tenetur in hoc altero residere.* — Ita decretum vide ab Urbano VIII, in citata Constitutione *sancta Synodus*, § 5. Vide etiam Benedictum XIV, citata Constitutione *ad universæ*, ubi decretum illud Urbani VIII memorat.

Nota. — Decretorum circa residentiam et pœnarum contra non residentes executionem commiserat primum Urbanus VIII Auditori Cameræ Apostolicæ. Sed postea totam hujus materiæ cognitionem particulari Cardinalium Congregationi demandavit. Quam particularem super Episcoporum residentia Congregationem innovavit Benedictus XIV, prout videre est in ipsius Constitutione *ad universæ*.

§ IV.

Quibus pœnis obnoxii sint Episcopi, qui residendi præceptum transgrediuntur.

Ejusmodi pœnas a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus decretas enumerat simul et confirmat Benedictus XIV, Constitutione *ad universæ*, in hunc modum : « Adversus prædictarum legum et constitutionum trangressores, omnes et « singulas pœnas, in eisdem decretis et constitutionibus latas « et comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus et « innovamus : amissionis scilicet quartæ partis fructuum « unius anni, ipso facto ab iis incurrendæ, qui legitimo im- « pedimento, seu justis et rationalibus causis cessantibus, et « absque expressa, ut præfertur, Apostolicæ Sedis licentia, « sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando ab- « fuerint ; et amissionis alterius quartæ partis fructuum, « eodem modo incurrendæ, ubi hujusmodi absentia ad alios « sex menses protrahatur ; ut in prædicto Concilio Triden- « tino (sess. 6, c. 1, *de Ref.*) statutum fuit : incursus quoque « in peccati mortalis reatum, et obligationis restituendi fru- « ctus in absentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, « eosque erogandi in ecclesiarum fabricas seu in sustentatio- « nem pauperum ipsius loci...; ut in eodem Concilio (sess. 23, « c. 1), præscribitur. Similiter impositam a prædicto Pio IV « prædecessore pœnam amissionis facultatum testandi et dis- « ponendi...; necnon inhabilitatis ad majores dignitates et « ecclesias obtinendas, quam præfatus quoque prædecessor « Clemens VIII indixit, per omnia confirmamus et innovamus. « Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem trans- « gressores omnibus et singulis indultis et privilegiis, quæ « forsan ipsis, tanquam Pontificio Solio assistentibus, concessa « fuerint, ipso facto privati esse censeantur. Decernentes, « sub trangressorum nomine comprehendi, non solum eos « qui præter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima

« causa et expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias « diœceses commorantur; sed eos etiam qui hujusmodi licen- « tiam falsis simulatisque causis dolose extorquere non dubi- « taverint; vel ea semel rite recteque obtenta, præscriptos « in eadem limites ac præfinitum tempus prætergressi fue- « rint.

« Quod si nihilominus aliqui non minus canonica statuta « quam propositas hujusmodi pœnas contemnentes, in sua « contumacia obfirmati perseverare præsumpserint, volu- « mus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta « mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod (in citato ca- « pite 1, sess. 6) Romanum Pontificem pro tempore exi- « stentem hortatur, ut suæ Supremæ Sedis auctoritate, in hu- « jusmodi transgressores ad severiorem sacrorum canonum « normam animadvertat, atque etiam ecclesiis ipsis de uti- « lioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salu- « briter expedire. »

Ad pœnam privationis qnod attinet, non incurritur ipso facto; sed potest a Papa imponi. Et quoad modum quo Summus Pontifex eam imponere potest, adnotauda sunt hæc Lucii Ferraris verba : « Episcopus absens a sua diœcesi ultra tem- « pus a jure statutum, qui commonitus non redit ad residen- « tiam, videtur habere ecclesiam pro derelicta, et potest ea « spoliari per Papam *sine citatione et sententia;* capite *qualiter* « (9, *de clericis non residentibus*), ubi Papa Innocentius III « dedit licentiam canonicis Ragusinis eligendi alium Archi- « episcopum, absque eo quod præcesserit formalis citatio vel « sententia privationis, ut bene observat et tenet Abbas..., « Fagnanus... » (Verbo *Episcopus*, art. 3, n. 35.)

CAPUT II.

DE EPISCOPALI DIŒCESIS VISITATIONE.

Dicemus 1° quid sit visitatio, et quibus competat jus visitandi : 2° an et quatenus diœcesim suam visitare teneatur

Episcopus : 3° quænam personæ ac loca Episcopi visitationi subjiciantur : 4° quatenus possit Episcopus in visitatione delicta inquirere et punire : 5° de variis decretis quæ in visitationibus fieri solent : 6° de scribenda a notario authentica visitationis relatione : 7° de indice eorum ad quæ potissimum visitator attendere debet in visitandis singulis locis et personis : 8° ordo cœremonialis in facienda visitatione servandus : 9° quænam addenda vel omittenda sint quando visitator non est ipse Episcopus, sed presbyter ab ipso deputatus : 10° de impedientibus visitationem : 11° an et qualis procuratio seu subsidium visitatori debeatur.

§ I.

Quid sit visitatio, et quibusnam competat visitandi potestas.

I. Visitare nihil aliud est quam excessus et defectus inquirere, inventosque castigare, et opportunis remediis præcavere ne in posterum reviviscant; simul autem diligentiam in adimplendis respectivis obligationibus, ubi viget, firmare ; ubi defecit, in pristinum restituere. Ita quoad sensum visitationem communiter definiunt doctores (vide apud Ferraris, verbo *visitare*, n. 1).

Quem in finem fieri debeant visitationes declaravit Tridentina Synodus (sess. 24, c. 3), his verbis : *Visitationem autem omnium istarum præcipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere ; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere ; cætera, prout locus, tempus, occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere.*

II. « Visitandi jus et potestas competit omnibus Prælatis « ecclesiasticis, qui jurisdictionem ordinariam in aliquos ha- « bent. Unde, post Romanum Pontificem, jus et potestatem « habent visitandi Legati a latere, ex officio legationis sibi a

« Sede Apostolica demandatæ. Item Legati Pontificii, qui non « sunt a latere, sed dicuntur nati, quibus legatio Apostolica « competit ratione dignitatis in qua sunt constituti. Item Legati « Pontificii, qui Missi sive Nuntii Apostolici nuncupantur, si « visitandi onus sit *specialiter* impositum, vel si urgens aliqua « necessitas visitationem postulet. Item Cardinales in ecclesiis « suorum titulorum.

« Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi jus ordi- « narium habent visitandi suas ecclesias respectivæ diœcesis « (capite *Romana* 1, *de censibus*, in 6; Conc. Trid., sess. 24, « c. 3, *de Ref.)*: ita ut habeant intentionem fundatam (1) « quoad jus visitandi omnes ecclesias cujusque suæ respectivæ « diœcesis.

« Item vicarius capitularis, sede vacante, id potest sive « per se, sive per alium. Item Vicarius Apostolicus. Item « Abbates, aliique Prælati habentes proprium territorium « et qualitatem *nullius*... Item decani, archidiaconi, archi- « presbyteri plebani et alii inferiores visitandi jus habent, si « id longa consuetudine præscripserint (capite *super eo*, et ca- « pite *cum Apostolus, de censibus;* Conc. Trid., sess. 24, c. 3). « Item capitulum, superstite adhuc Episcopo, potest interdum « ex præscriptione vel privilegio habere jus visitandi; et « tum visitatores a capitulo deputati debent esse approbati « ab Ordinario (Conc. Trid., sess. 24, c. 3). Dicti archidia- « coni tamen et alii inferiores, visitationis a se factæ ratio- « nem reddere, et acta omnia exhibere Episcopo infra men- « sem teneantur (Conc. Trid., loco citato). Immo Episcopus « etiam per alium potest easdem ecclesias seorsim ab his ite- « rum visitare (Conc. Trid., loco citato). Atvero licet Epi- « scopus possit iterum visitare ecclesias visitatas ab inferio- « ribus, non potest tamen iterum punire punitos ab eis, ne- « que ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demon- « strandam. Sic decisum fuisse refert Barbosa..

(1) Id est, jus habet Episcopus visitandi quamlibet suæ diœcesis ecclesiam, hoc ipso quod non probetur eam non esse ipsius visitationi subjectam.

« Superiores generales ordinum regularium, provinciales « et alii prælati, quibus est in alia inferiora monasteria, alia« que loca sibi subjecta, jurisdictio... » (Ferraris, verbo *visitare*, n. 2 et seq.)

Vicarius generalis visitandi jus non habet, nisi sit ei a suo Episcopo specialiter commissum (ibid, n. 19).

§ II.

Quænam sit obligatio Episcopi diœcesim suam visitandi.

PROPOSITIO Iª. — *Tenetur Episcopus per seipsum totam suam diœcesim visitare, nisi sit legitime impeditus.* — Ei quidem jus concedit ut per alios etiam visitationem peragere possit; sed dumtaxat in casu quo ipse fuerit legitimo impedimento detentus. Constat, tum pluribus aliis juris textibus, tum capite 3 sessionis 24 Tridentini Concilii, in quo sic habetur: « Patri« archæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi propriam diœ« cesim *per seipsos*, aut *si legitime impediti fuerint*, per suum « vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam « propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem ma« jorem ejus partem (ita tamen ut tota biennio per se, vel « per visitatores suos compleatur) visitare non prætermit« tant. »

PROPOSITIO IIª. — *Nisi obstet nimia diœcesis amplitudo, tenetur Episcopus totam diœcesim singulis annis visitare.* — Jus commune ante Tridentinam Synodum vigens annuam totius diœcesis visitationem Episcopis injungebat. Jus illud commune, inter alios textus, exprimit caput *decrevimus* (10, causæ 10, q. 1), quod sic habet : *Decrevimus ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur.* Idem sancitum reperitur capite 11 ejusdem quæstionis : *Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet*, etc. Jam vero Tridentina Synodus hancce juris dispositionem non sustulit absolute, sed moderavit dumtaxat pro casu

quo valde ampla diœcesis foret. Unde, extra hunc casum, obligationem reliquit *quotannis* diœcesim integram visitandi, prout clare evincunt citata verba, *si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt.*

PROPOSITIO IIIª. — *Obstante nimia diœcesis latitudine, cessat obligatio Episcopi quotannis visitandi : at tenetur tunc intra biennium totius diœcesis visitationem absolvere.* — Id palam faciunt citata sub propositione 1 Tridentini Concilii verba. Postquam nempe Tridentini Patres, ob diœcesis amplitudinem, ab *annuæ* visitationis obligatione Episcopum exemerunt, concessionem illam sic limitant : *Ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur.* Ergo hodie, de jure communi, quantumvis amplæ sint diœceses, eas Episcopi intra biennium integras visitare tenentur. Quod si non sint adeo amplæ, incumbit eis annuæ etiam visitationis obligatio.

PROPOSITIO IVª. — *Dicto jure communi attingi etiam videntur hodierni Galliæ Episcopi : nec proinde ipsis liberum est, secluso Pontificio Indulto, integram diœcesis visitationem ultra biennium protrahere.* — Ideo enim ab illa Tridentina lege immunes censendi forent hodierni Galliæ Episcopi, quia possibile non esset in ea regione etiam singulis bienniis totam diœcesim visitare, vel quia diœceseon extraordinaria latitudo majus eis spatium ad complendam visitationem tribueret, vel tandem quia contraria consuetudo legitime jam præscripsisset. Atqui,

1° Non valet ratio impossibilitatis. Cum enim Episcopo concessa fuerit a jure facultas, ut si totam diœcesim per seipsum visitare nequeat, per alios ab ipso delegatos id peragat, tot adhibere et delegare visitatores poterit quot necessarii erunt ad complendam intra præscriptum tempus visitationem.

2° Nec valet ratio hodiernarum Galliæ diœceseon amplitudinis. Nam ratione hujusce amplitudinis concessit quidem Tridentina Synodus biennii spatium ; at non ultra.

3° Ad contrariam consuetudinem quod attinet, equidem obtendere quis posset, a tempore Concordati anni 1801, haud consuevisse Galliæ Episcopos integram visitationem singulis

bienniis complere. Num tamen generalis fuerit ea consuetudo, mihi non constat. Item num intervenerint, quoad plures forsan ejusmodi Præsules, Pontificiæ concessiones, compertum non habeo. At ponamus et generalem fuisse consuetudinem, et non ex indultis Pontificiis inductam : etiam tali consuetudine abrogatam dictam obligationem dicere non auderem. Agitur enim de lege Tridentina ; et num contra Tridentina decreta legitime præscribi valeat, est gravissima quæstio, quam in tractatu *de Principiis* discussimus. Prætcrea, legitimæ nunquam evadunt consuetudines quibus *nervus ecclesiasticæ disciplinæ* dissolvitur, et num ejusmodi sit ea quæ objicitur praxis, in quæstionem forsan merito vocari posset. Quibus stantibus de prætensa illa legitime præscripta consuetudine dubitandi rationibus, haud mihi tutum in conscientia videtur (salvo meliori judicio) eam in praxi sequi ; præsertim cum singulis Galliæ Episcopis adeo facile sit Sacræ Congregationis Concilii sensum hac de re exquirere, eique rationes exponere quæ protrahendam ultra biennium visitationem suadeant.

§ III.

Quænam loca et personæ subjiciantur visitationi Episcopi diœcesis, vel Episcopi viciniorls.

QUÆSTIO I^a^. — *Ab Episcopo diœcesis visitari posse personas, ecclesias et capitula quæ privilegium exemptionis non habent.* — 1° Dubium non est quin ejusmodi personæ, ecclesiæ et capitula episcopali visitationi subjiciantur. Hoc ipso enim quod non eximantur a jurisdictione Episcopi, nec ab ipsius visitatione eximuntur. Et de hoc nulla est difficultas. 2° « Si Episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad « locum ordinarium capituli... Sed non tenetur ad locum capituli accedere quoties velit prosequi visitationem alicujus « personæ de capitulo. » (Ferraris, v. *visitare*, n. 90.)

QUÆSTIO II^a^. — *An et quatenus ab Episcopo diœcesano vel ab Episcopo viciniori visitari possint capitula exempta?* — Distin-

guenda est triplex exemptorum classis, prout evolvimus agendo *de Prælatis inferioribus* (parte 4, capite 5, § 1), videlicet : 1° qui eximuntur ab ordinaria Episcopi jurisdictione, sed quin ipsis tribuatur jurisdictio in ullum populum : 2° qui habent insuper jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum alicujus territorii, sed quin territorium istud separatum seu avulsum sit a diœcesi : 3° qui habent sibi subjectum clerum et populum, cum territorio *separato ;* et hi ultimi dicuntur esse *vere* seu proprie *nullius* diœcesis. Quo prænotato, quæstionem solvemus primo de capitulis exemptis quæ non sunt *vere nullius*, secundo de iis quæ sunt *vere nullius.*

I. *De capitulis exemptis, quæ non sunt proprie* NULLIUS. — 1° Potest Episcopus ea visitare, et canonicos *in actu visitationis* corrigere, sive absque adjunctis judicibus, sive eos sibi adjungendo quos maluerit. Constat capite 4 sessionis 6 Tridentini Concilii, in quo sic decernitur : « Capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personæ, « nullis exemptionibus, consuetudinibus... tueri se possint, « quominus a suis Episcopis, et aliis majoribus Prælatis, per « seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis, juxta « canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, « corrigi et emendari, etiam auctoritate Apostolica possint et « valeant. »

Diximus posse Episcopum etiam absque *adjunctis* procedere contra exemptorum capitulorum personas, dummodo id faciat *in actu visitationis*. Nam si procedat *extra visitationem*, valde diversa est juris dispositio : nempe,

2° Si velit Episcopus contra exemptum capitulum ejusve personas *extra visitationem* procedere, tenetur duos de capitulo judices sibi adjungere, et alia servare quæ capite 6 sessionis 25 Tridentinæ Synodi præscripta sunt.

Est autem hujus capitis dispositio in hunc modum : « Ita « ut, cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia « locum habeant, videlicet : ut capitulum initio cujuslibet « anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu

« Episcopus, vel ejus vicarius, tam in formando processum, « quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ « inclusive, coram notario tamen ipsius Episcopi, et in ejus « domo aut consueto tribunali, procedere teneatur. Unum « autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo « accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo « actu, seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc « intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et « si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem Epi- « scopum electio devolvatur. Et juxta eam partem, cum qua « tertius conveniet, articulus in quo erat discordia, termine- « tur : alias processus et inde secuta nulla sint, nullosque « producant juris effectus. »

Nota. — Nonnulli antiquiores canonistæ hujusce capitis sanctionem applicandam esse existimabant omnibus capitulis, etiam *non exemptis*. Sed in illo textu agi tantum de capitulis *exemptis* indicat præfixa ipsi rubrica ; estque omnino certum, et « hodie extra omnem controversiam receptum » (ut ait Cardinalis de Luca). Id jam ostendimus in tractatu *de Capitulis*, pagina 293 ; et videri potest pluribus Sacræ Congregationis Concilii declarationibus firmatum, apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 9, n. 9).

II. *De capitulis exemptis, quæ sunt vere* NULLIUS. — Contingere potest ut capitulum ita sit exemptum a jurisdictione diœcesani Episcopi, ut prima ejus dignitas (verbi gratia, Præpositus aut Primicerius) jurisdictionem episcopalem habeat in clerum et populum illius loci, cum *territorio separato*. Porro in hoc casu, neque Episcopus diœcesis, neque Episcopus vicinior jus habet dictum capitulum visitandi.

Equidem Tridentina Synodus decrevit ut ab Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato visitari possent capitula *exempta*, nonobstantibus quibuslibet eorum exemptionibus ; de quo videatur caput 4 sessionis 6, caput 4 sessionis 14, caput 3 sessionis 24 : sed in hisce textibus agitur tantum de capitulis exemptis quæ sunt et remanent *in diœcesi ;* non autem

de exemptis quæ sunt in territorio ab omni diœcesi *separato*, et subjecto alicui Prælato vere *nullius*. In citato, verbi gratia, capite 4 sessionis 6, dicitur : « Capitula... nullis exem-« ptionibus... tueri se possint, quominus *a suis Episcopis...* « visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate Apostolica « possint et valeant. » Dum Sancta Synodus utitur hac locutione *a suis Episcopis*, palam facit se non loqui de exemptis vere *nullius*, seu cum territorio *separato;* quia hi non habent Episcopos quos *suos* vocare possint ; sed ipsorum Prælatus *nullius* est ipsis pro Ordinario.

Objicies. — Capite 9 sessionis 24, decernitur ecclesias sæculares *quæ in nullius diœcesi esse dicuntur*, visitandas esse a viciniori Episcopo. Ergo similiter capitula exempta, quamvis vere *nullius*, pariter a viciniori Episcopo visitari possunt et debent.

Respondeo. — 1° An decretum illud attingat ecclesias sæculares vere *nullius*, aliquatenus controvertitur, ut sequenti quæstione videbimus. 2° Etiamsi intelligendum esset de ecclesiis stricte *nullius*, non sequeretur idem concludendum esse de capitulis : aliud enim est visitatio ecclesiæ, et aliud visitatio capituli. Quod alicubi sanxerit Tridentina Synodus, capitula etiam vere *nullius* esse a viciniori Episcopo visitanda, probari non potest.

QUÆSTIO III^a. — *An et quatenus ab Episcopo diœcesis, vel a viciniori Episcopo, visitari possint ecclesiæ sæculares exemptæ.* — Hic etiam distinguendæ sunt ecclesiæ sæculares exemptæ quæ sunt vere *nullius*, ab iis quæ tales non sunt.

I. *De ecclesiis sæcularibus exemptis, quæ non sunt nullius.* — Eas visitare potest Episcopus diœcesis tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Constat capite 8 sessionis 7 Tridentini Concilii, in quo sic habetur : « Locorum Ordinarii ecclesias quas-« cumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica « singulis annis visitare teneantur et opportunis juris reme-« diis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur; « et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis

« obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privile-
« giis... penitus exclusis. » (Sess. 7, c. 8.)

II. *De ecclesiis sæcularibus exemptis, quæ sunt vere nullius.* — Controvertitur an visitari possint a viciniori Episcopo. Versatur controversia circa interpretationem capitis 9 sessionis 24 Tridentini Concilii, in quo sic disponitur: « Quæ... de « adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum etiam « exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in « iis ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in *nullius* diœ- « cesi esse dicuntur; ut ab Episcopo cujus cathedralis eccle- « sia est proximior..., tanquam Sedis Apostolicæ delegato, « visitentur. »

Apud Ferraris (verbo *visitare*, *additiones ex aliena manu*, n. 1 et seq.) exponitur controversia in hunc modum:

« Gravissima hic se offert quæstio, an ex Concilio Triden- « tino (sess. 24, c. 9) loca *nullius* diœcesis visitari queant ab « Episcopo (qua Apostolico delegato), cujus cathedralis eccle- « sia est proximior.

« Una omnium sententia est ecclesias *nullius regulares* vi- « sitari haud posse. Et quoad ecclesias *nullius sæculares*, sunt « qui distingunt inter ecclesias nullius *proprie*, ut sunt jam « a diœcesi separatæ, in quibus Prælatus inferior habet omni- « modam quasi-episcopalem jurisdictionem, et ecclesias nul- « lius *improprie*, ut sunt positæ intra fines diœcesis, in quibus « Prælatus inferior habet quasi-episcopalem jurisdictionem, « sed non omnimodam. Visitari autem posse illas negant, « hasce vero affirmant...

« Alii absolute affirmant jus esse Episcopo (intellige *vici- « niori*), ex mox citata conciliari sanctione, visitandi ecclesias « nullius etiam *proprie* (Fagnanus..., Barbosa..., Cardinalis « Petra...). Et huic opinioni videtur adhæsisse Rota. »

Mihi vero videtur hæc posterior sententia omnino tenenda. Etenim citatum decretum Tridentinum aperte loquitur de ecclesiis sæcularibus quæ sunt *proprie* nullius; id invicte sequitur ex eo quod visitationem committat Episcopo *viciniori*.

Si enim loqui voluissent Tridentini Patres de ecclesiis *improprie* nullius, quæ scilicet remaneut *in diœcesi,* seu e diœcesi non fuerunt separatæ, visitationem reliquissent Episcopo diœcesano ; prout de facto illam diœcesis Episcopo attribuerant capite 8 sessionis 7. Nec objiciatur ipsos usos esse hac formula, « quæ in nullius diœcesi *esse dicuntur,* » non autem ista, « quæ in nullius diœcesi *existunt* : » nam visitationem committendo viciniori Episcopo, non autem diœcesano, palam fecerunt se loqui de ecclesiis quæ in nullius diœcesi *existunt,* seu quæ sunt *proprie* nullius.

QUÆSTIO IVª. — *An et quatenus ab Episcopo diœcesis visitari possint ecclesiæ regulares curatæ, et religiosi qui in eis curam animarum gerunt.* — 1° Regula generalis est, eas ecclesias et dictos religiosos, iu iis quæ spectant ad curam animarum, visitationi, jurisdictioni et correctioni Episcopi subjacere. De quo vide quæ diximus in tractatu *de Jure regularium,* tomo 2, pagina 137. 2° A prædicta regula excipienda est ecclesia curata illius conventus, in quo superior generalis totius ordinis ordinariam residentiam habet (vide in dicto meo tractatu, ibid., pagina 139; et apud Ferraris, verbo *visitare,* n. 36).

QUÆSTIO Vª. — *An et quatenus ab Episcopo diœcesis visitari possint confraternitates laicorum.* — 1° Si non sint erectæ in ecclesiis regularium, dubium non est quin possit eas Episcopus visitare. 2° Si sint erectæ in ecclesiis regularium exemptorum, nequit Episcopus visitare earum capellas et altaria : ejusmodi tamen confraternitates visitare potest in iis quæ administrationem et adimplementum onerum respiciunt (Ferraris, v. *visitare,* n. 40).

QUÆSTIO VIª. — *Quodnam sit jus Episcopi diœcesis suæ oratoria, sive publica, sive privata visitandi.* — 1° Competit Episcopo jus visitandi oratoria *publica,* etiamsi siut de pertinentiis regularium, dummodo separata sint a claustris (Ferraris, verbo *visitare,* n. 44). 2° « *Privata* oratoria, post primam « visitationem in concessione et approbatione, non possunt « amplius de jure visitari ab Episcopo... Permissum est ei

« nihilominus videre (saltem quando præcedit accusatio vel « denuntiatio aut fama publica, quod oratorium indecenter « teneatur, et in ipso non adsint seu non serventur requisita « in indulto) an revera indecenter teneantur, et non serven- « tur dicta requisita. » (Ferraris, v. *oratorium*, n. 25 et 26; ubi multis auctoritatibus id confirmat.)

QUÆSTIO VII^a. — *An Episcopus hospitalia visitare possit.* — Jus ea visitandi ipsi competit, nisi sint sub immediata regum protectione. Vide plura de hac re apud Ferraris (verbo *visitare*, n. 60 et seq.). « Hospitalia administrata a fratribus S. « Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione Ordinarii, nisi « solum quoad regularem observantiam. » (Ibid., n. 74.)

QUÆSTIO VIII^a. — *An et quatenus possit Episcopus monialium monasteria visitare?* — 1° Si non sint exempta, in ea et in moniales plenum visitandi jus Episcopo competit. 2° Si sint exempta et Sedi Apostolicæ immediate subjecta, idem jus habet Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. 3° Si sint exempta a jurisdictione Episcopi et Prælatis regularibus subjecta, conventum et moniales adhuc visitare potest Episcopus, sed solummodo *quoad clausuram*. Vide meum tractatum *de Jure regularium* (tomo 2, pag. 322 et seq.), ubi tota hæc materia de monialium visitatione, fuse expenditur.

QUÆSTIO IX^a. — *An Episcopi visitationi et correctioni subjecti sint regulares exempti, extra claustra degentes?* — Possunt ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitari, puniri et corrigi. Vide meum tractatum *de Jure regularium*, tom. 2, p. 133.

QUÆSTIO X^a. — *An Episcopi visitationi obnoxii sint parvi conventus et granciæ regularium exemptorum?* — Subjacent Episcopi visitationi et correctioni. Et quomodo id intelligendum sit, vide in meo tractatu *de Jure regularium* (tomo 2, p. 153).

QUÆSTIO XI^a. — *De diœcesibus provinciæ relative ad Archiepiscopum : utrum nempe Archiepiscopus in eas habeat jus aliquod visitationis?* — « Metropolitani olim, post plene visitatam pro- « priam diœcesim, poterant etiam visitare diœceses suorum

« suffraganeorum. Sed hodie hoc amplius non possunt, nisi « ex causa cognita et probata in Concilio provinciali, vel a Sa« cra Congregatione Concilii. » (Ferraris, v. *visitare*, n. 20.) Constat capite 3, sessionis 24 Tridentini Concilii, in quo sic decernitur : *A Metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam diœcesim, non visitentur cathedrales ecclesiæ, neque diœceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali.*

§ IV.

Quatenus possit Episcopus in visitatione delicta inquirere et punire : et quales speciales juris effectus sequantur, quando Episcopus contra aliquem procedit in actu visitationis.

Propositio Iª. — *Potest Episcopus visitans generalem inquisitionem de delictis facere.* — Vide probatum in meo tractatu *de Judiciis* (tomo 2, p. 93). Est autem generalis inquisitio quæ fit interrogando hac forma : *An aliqua delicta commissa sint.* Specialis foret inquisitio si Episcopus sic interrogaret : *An Titius tale delictum patraverit.* Esset generalis quoad personas et specialis quoad delictum, si interrogaretur hoc modo : *An aliqui usuras faciant.* Tandem esset generalis quoad delictum et specialis quoad personam, si fieret hæc interrogatio : *An Titius aliquod delictum patraverit.*

Propositio IIª. — *Potest Episcopus visitans facere generalem inquisitionem, non tantum paterne, sed etiam judicialiter.* — Inquisitio paterna fit ad solam paternam correctionem delinquentium. Judicialis autem ea est quæ fit ad vindictam publicam. Porro et hanc posteriorem ab Episcopo fieri posse, vide probatum in meo tractatu *de Judiciis* (tomo 2, pag. 95).

Propositio IIIª. — *Nequit Episcopus in visitatione specialem inquisitionem facere contra aliquem, nisi hujus delictum delatum ei fuerit, vel per famam publicam, vel per denuntiationem ipsi tanquam judici factam.* — Vide quæ de hujusmodi speciali in-

quisitione scripsimus in tractatu *de Judiciis* (tom. 2, pag. 61 et seq.). Et idem dicendum de inquisitione speciali quoad personam, licet generali quoad delictum, hujus scilicet formæ : *An Titius aliqua delicta patraverit.*

Propositio IVª. — *Episcopus inquisitionem generalem faciens, sive paterne, sive judicialiter eam faciat, nequit exigere ut sibi manifestentur delicta occulta.*—Vide probatum ibidem (p. 95) : ubi etiam reperies quæstionem an subditi ab Episcopo interrogati, sive paterne, sive judicialiter, possint si velint eidem occulta delicta occultosque eorum auctores pandere. Id nempe licitum ipsis est, si Episcopus inquirat paterne ; non vero si judicialiter, exceptis certis quibusdam casibus.

Propositio Vª. — *Nequit Episcopus visitans sub pœna excommunicationis exigere, ut subditi ei revelent quæ noverint.*— « Non « licet Episcopo visitationem aggredienti proponere edicta « quibus subditi jubeantur in virtute sanctæ obedientiæ cri- « mina detegere, multoque minus proposita pœna excommu- « nicationis ; sed solum adnixe hortari. Sic resolutum fuisse « a Sacra Congregatione refert ex aliis Barbosa. » (Ferraris, verbo *visitare*, n. 82.) De hac Sacræ Congregationis decisione meminit etiam Gavantus (in sua *Praxi visitationis*, § 2, n. 9).

Propositio VIª. — *Quando Episcopus visitans procedit contra aliquem ad ipsius correctionem, seu pro emendandis ejus moribus, non potest recusari ut suspectus; neque potest suspendi executio episcopalis sententiæ per ullam appellationem, ullumve recursum, etiam ad Sedem Apostolicam.*— Constat capite 10, sessionis 24, Tridentini Concilii, in quo sic decernitur : « Episcopi, « in omnibus iis quæ ad visitationem ac morum correctionem « subditorum suorum spectant, jus et potestatem habeant, « etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, « moderandi, puniendi et exequendi, juxta canonum sanctio- « nes, quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emenda- « tione ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec « in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur,

« exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam « ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ « ab iis mandata, decreta aut judicata fuerint, quoquomodo « impediat, aut suspendat. » His verbis aperte denegatur, in dicto casu, quælibet appellatio cum effectu suspensivo. Denegatur insuper facultas Episcopum recusandi tanquam suspectum, ut ipsa decreti verba satis patefaciunt : atque id insuper declaravit Sacra Congregatio Concilii. Ad dubium nempe : *An Episcopus visitans possit tanquam suspectus recusari*, responsum est : *Sacra Congregatio censuit non posse, nec cum generalem visitationem aggreditur, nec cum ad speciatem descendit; si modo, sine strepitu et figura judicii procedens, pœnas non imponat delictorum ordinarias, sed eas tantum quæ morum correctionem respiciunt, et modum corrigendi non excedat*. Decisionem illam post Fagnanum refert Ferraris (verbo *visitare*, n. 97). Idem præterea pronuntiavit Paulus V (in quodam rescripto, quod refert Barbosa, *de Officio Episcopi*, p. 3, all. 73, n. 38), his verbis : *Tenore præsentium declaramus, Episcopum, vel alium cui id legitime competet, visitantem, non posse uti suspectum recusari.*

Propositio VII^a.— *Quamvis Episcopus pronuntiet contra aliquem in visitatione, et ad ipsius correctionem seu pro emendandis ejus moribus, datur appellatio quoad effectum devolutivum.* — Nam capite 1 sessionis 22, et capite 10 sessionis 24 Tridentinæ Synodi, expresse decernitur ne, in causis visitationis et correctionis morum, appellatio *suspensivum* effectum habeat : cum autem Synodus non addiderit *neque devolutivum*, appellationem cum hoc ultimo effectu reliquisse censenda est. Atque ita intelligendos esse dictos textus declaravit Sacra Congregatio Concilii, prout refert Leurenius (*Forum eccles.*, in tit. 28, libri 2 Decretalium, q. 1087) his verbis : « Sacra Congregatio « Concilii consulta, an in causis visitationis et correctionis, « appellari possit post definitivam, respondit, posse ; ita ta« men ut appellatio non suspendat executionem, contra quod « sancitum est sessionis 24 capite 10, et sessionis 22 capite 1. « Item consulta, num decretum illud capitis 10 (sess. 24)

« sustulerit appellationem devolutivam, censuit non sustu-
« lisse, sed suspensivam tantum. »

PROPOSITIO VIII^a.— *Quando Episcopus in visitatione procedit contra aliquem, formando regularem processum in scriptis, et non ad simplicem delinquentis emendationem, sed ipsi applicando pœnam ordinariam, potest recusari ut suspectus, et ab ipsius sententia definitiva appellari potest ad Metropolitanum etiam cum effectu suspensivo.* — Dum nempe Tridentina Synodus capite 10 sessionis 24, et alibi, disponit, ut nequeat per ullam appellationem suspendi executio eorum, quæ ab Episcopis visitantibus pro morum emendatione decernuntur, loquitur semper in hypothesi, quod dicti Episcopi procedant ad simplicem delinquentium correctionem, et consequenter sine strepitu et figura judicii; non autem in hypothesi quod procedant ad pœnam ordinariam, et servata regularis processus forma. Id satis innuunt hæ, quibus utitur, locutiones : *In iis quæ visitationem ac morum correctionem spectant*; *ubi de visitatione aut morum correctione agitur*, etc. Hinc jam supra (propositione 5) vidimus a Sacra Congregatione Concilii, declarationi qua dicebat,non posse Episcopum visitantem recusari ut suspectum, additam limitationem hanc, *dummodo sine strepitu et figura judicii procedens,pœnas non imponat delictorum ordinarias,sed eas tantum quæ morum correctionem respiciunt, et modum corrigendi non excedat.*

Quod autem relinquatur appellatio a definitiva, etiam cum effectu suspensivo, quando Episcopus procedit formato processu in scriptis, et pœnam ordinariam pronuntiat, sic docet cum multis Barbosa (*de Officio et Potestate Episcopi*, parte 3, alleg. 73, n. 32) : « Sed si Episcopus formato processu et ser-
« vatis servandis procedat, non habet locum dispositio Con-
« cilii in dicto capite 10 sessionis 24 ; sed a sententia definitiva
« tantum admittitur appellatio, quæ suspendit judicatum. »
Ibi dicitur, et nos etiam in propositione diximus, a sententia *definitiva;* per oppositionem scilicet ad sententias *interlocutorias,* a quibus non dari appellationem in causis criminalibus

(excepto uno et altero casu) voluit Tridentina Synodus. De quo vide meum tractatum *de Judiciis.*

Corollarium 1. — Ergo diligenter distinguendus est casus, quo Episcopus visitans procedit *per modum visitationis*, seu pro simplici correctione morum, et sine figura judicii ; et casus quo Episcopus, licet actu visitans, non procedit per modum visitationis. In priori casu sequuntur illi effectus juris, qui favent Episcopis visitantibus : in posteriori autem minime.

Corollarium 2. — Ergo si Episcopus visitans formaverit processum, vel pronuntiaverit pœnam, quæ non sit ad simplicem delinquentis correctionem et emendationem, appellari poterit ad Metropolitanum, et dauda erit copia actorum metropolitanæ curiæ. Nec obstat quod Episcopus dicat se processisse tanquam Sedis Apostolicæ delegatum ; quia cum idem facere potuerit jure suo ordinario, non devitat Metropolitani sui hac in re competentiam (vide Gavantum, *Praxis visitationis*, § 15).

Corollarium 3. — Ergo si Episcopus in visitatione pronuntiet pœnam depositionis seu privationis, vel perpetuæ suspensionis, non censendus erit egisse *per modum visitationis*, et dabitur appellatio cum effectu etiam suspensivo, et poterit recusari ut suspectus. Quia nempe talis pœna non est ad simplicem correctionem seu emendationem.

§ V.

De variis decretis quæ in visitationibus fieri solent.

I. Ad obtinendum visitationis præcipuum finem, morum scilicet emendationem, ac disciplinæ ecclesiasticæ restaurationem, et totius populi christiani spiritualem in Domino profectum, valde quidem prodesse solent visitantis Episcopi exhortationes, necnon missionariorum, qui eidem quandoque præmittuntur, prædicationes : at præcipua vis et efficacia ab iis sane decretis pendet, quibus visitator (adepta jam, per lo-

corum inspectionem et personarum interrogationem, abusuum et negligentiarum plena cognitione) suum cuique malo remedium admovet, et ad firmandam augendamque jam existentem morum integritatem ac christianæ vitæ studium opportuna præscribit adhibenda media. Hinc solent Episcopi, antequam uniuscujusque loci visitationem absolvant, ejusmodi varia decreta edere, ac etiam scripta relinquere.

II. Porro in eis edendis, varia Episcopus, habita personarum et circumstantiarum ratione, methodo utitur. Nam quædam verbo dumtaxat, alia vero scriptis etiam decernit ac præcipit. Item alia secreto, alia publice. Si agatur, verbi gratia, de infligenda correctione alicui parocho, raro expediet ut fiat publice, ne illius parochi auctoritas apud parochianos vilescat. Et idem dicendum de superiorissa monialium relative ad ipsius conventum. Insuper alia sunt quæ post visitationem exequenda, infra determinatum temporis spatium, decernit, alia vero quæ decernit simul et exequitur. Si reperiat, verbi gratia, Episcopus nimium detrita corporalia, vel purificatoria, et alia hujusmodi, non solum decernit ea non esse in posterum adhibenda, sed statim ea lacerari jubet. Quæ autem suam statim executionem habere possunt, haud expedit ad aliud tempus exequenda decerni.

III. Ad formulas quod attinet hujusmodi decretorum, sic in praxi observari poterit : 1° quoad decreta, quæ verbo tantum edet Episcopus, satis erit ut notarius in conscribenda totius visitationis relatione enarret quid statuerit Episcopus. Id autem describere poterit hac aut simili formula : *Die.... mensis... vocavit Reverendissimus Episcopus parochum N..., et, me præsente, ei injunxit, ut intra trium mensium spatium, ancillam quæ ei inservit, et quæ nonnullis de causis apud ipsum manere haud decet, dimittere procuret*. Et sic de rebus aliis quæ verbo tantum decreverit et præceperit Episcopus. 2° Quoad decreta, quæ statim suam executionem habent, item satis erit ut de iis referat visitationis cancellarius seu notarius, hoc (verbi gratia) modo : *Dum autem sacrum supellectile visitaret*

Episcopus, invenit duas casulas adeo detritas, ut eis nunquam in posterum utendum decreverit : quapropter eas lacerari jussit, quod et statim factum est. 3° Quoad decreta quæ in scriptis relinquuntur, si de rebus agatur, hac formula scribi poterunt : *Nos N..., ecclesiam N... visitantes, mandamus ut infra : 1° tabernaculum sanctissimæ eucharistiæ vestiatur intus serico panno coloris albi : 2° cuppa calicis deauretur ; 3°* etc., *supradicta autem fiant intra spatium trium mensium, sub pœna... Ita pronuntiamus et declaramus. Datum die...—N... Episcopus N...* (vel, *N... visitator ab Episcopo N... deputatus). — N... notarius.*

Si de personis agatur, concinnari poterit formula in hunc modum : *Nos N..., visitato clero loci N..., decrevimus ut infra : 1° parochus loci N..., quem contra temperantiam in potu deliquisse constat, unde etiam non parum scandali apud fideles excitatum est, per quindecim dies in seminarium N...* (vel *in monasterium N...*) *sese recipiat, spiritualibus exercitiis vacaturus, et eo tempore a celebrando sacrosancto sacrificio missæ abstineat. Ejus parochiæ interim curam gerat vicinus parochus loci N... 2° Presbyter vicarius parochi N..., qui plus nimium venationi indulgere solet, omnino in posterum ab ejusmodi recreatione abstineat, sclopetumque et canes intra mensis spatium a se abjiciat. 3°,* etc., *ita pronuntiamus et decernimus. — Datum die... — N... Episcopus N...* (vel si alius visitet, *N... visitator ab Episcopo N... deputatus). — N... notarius.*

IV. Decretorum, quæ sic in scriptis relinquuntur, intimatio aut etiam publicatio (si quæ publicari jusserit visitator) fieri potest, vel in ipsa visitatione, vel etiam post visitationem a parocho vel vicario foraneo, quibus etiam mandari potest, ut eorumdem executionem diligenter procurent.

§ VII.

De scribenda a notario authentica visitationis relatione.

« Fidelem et sinceram totius visitationis seriem et acta ne « patiatur notarius desiderari : libris enim visitationum plena

« fides præstatur. » (Gavantus, *Praxis visitationis*, § 13, n. 14.) Etsi autem variis modis ejusmodi scripturæ recte confici ac disponi valeant, abs re non erit aliquem determinatum ordinem hic indigitare, quem possint visitationum cancellarii, sin minus adamussim sequi, saltem pro directione quadam præ oculis habere.

1° Scribat celeriter notarius in foliis, nihil omittendo, præsertim decretorum, quæ cursim quandoque fiunt a visitatore. Quæ folia pro ejus memoria tantum eruut.

2° Accurate postea referat in volumen bene compactum, quod inscribi poterit *liber visitationis*.

3° Librum dividat in duas partes, cum his titulis : *Visitatio civitatis, visitatio diœcesis.*

4° Quamlibet partem subdividere poterit in sectiones, singulis locis visitatis correspondentes; verbi gratia : sectio prima, visitatio cathedralis ecclesiæ ejusque cleri ac populi : sectio secunda, visitatio parochiæ N... ejusque cleri ac populi : sectio tertia, visitatio monasterii N..., etc.

5° Sub qualibet sectione totidem capitibus describet : *primo,* visitationem localem : *secundo,* visitationem personarum : *tertio,* decreta in hujus loci visitatione lata, sive quoad res, sive quoad personas : *quarto,* ea quæ respiciunt administrationem temporalem, de qua reddita est ratio : *quinto,* acta judicialia, si intervenerint.

6° Sub capite de visitatione locali describet : quo die, mense et anno visitator accesserit : quibus comitibus : quomodo receptus : quasnam res visitaverit : quæ decreta ore tenus tulerit et statim executioni mandaverit : adjiciet, alia decreta in scriptis relicta fuisse, quorum tenor infra capite 3 reperietur : tandem notabit num visitator sacramentum confirmationis ministraverit, orationes ad populum habuerit, vasa sacra consecraverit, et alia hujusmodi.

Ex his paucis quæ adnotamus facile poterit notarius quisque cætera apte concinnare. Meminerit autem subscribere, quia ab ejus subscriptione dependet tota vis ejusmodi instrumentorum ad faciendam publicam fidem.

§ VII.

De indice eorum ad quæ potissimum visitator attendere debet in visitandis singulis locis et personis.

Pro juvanda visitatoris memoria, nonnulli canonistæ longum indicem contexerunt eorum quæ præcipue sunt a visitatore advertenda. Ejusmodi indicem reperies apud Gavantum (*Manuale Episcoporum*, parte 2, *Praxis visitationis*), necnon apud Ferraris (verbo *visitare*, n. 121). Dubii aliquantisper hæsimus, num similem hic catalogum subjiceremus. At omittendum duximus. Ut enim utilis sit talis catalogus, singularum regionum diœcesibus aptandus est; seu potius a singulis Episcopis concinnandus. In ejusmodi autem indice, ad suum vel visitatorum suorum usum conficiendo, cavendum Episcopo est, ne inter investiganda adnotet ea, quorum investigatio ipsius potestatem seu jurisdictionem prætergrederetur. Quod inconveniens devitabit, si vel ipse jus canonicum circa unamquamque materiam apprime calleat, vel periti hac in re viri opera utatur. Cæterum utiliter percurrere poterit supra citatum longissimum indicem, quem Ferraris e Monacello exscripsit.

§ VIII.

Ordo cæremonialis in facienda visitatione servandus.

I. *De iis quæ visitationem præcedunt.* — 1° « Antequam in-
« choetur visitatio, proponuntur edicta, in quibus Episcopus
« debet denuntiare diem suum iis quos visitare intendit. Non
« enim visitandos imparatos invadere debet, nisi justa aliqua
« causa aliud prudenter suadeat. Tum quia id maxime expe-
« dit, ut parochus seu rector ecclesiæ visitandæ possit populo
« denuntiare diem adventus Episcopi visitatoris, ad hoc ut

« se præparent ad illum recipiendum. » (Ferraris, verbo *visitare*, n. 81.)

2° Optima praxis est ac summopere commendanda, ut præmittantur aliquot missionarii, qui prædicationibus et spiritualibus exercitiis parochiam visitandam præparent; ita ut superveniens Episcopus visitatione sua missionem compleat, sacramque communionem populo ministret.

3° Formula edicti pro denuntianda futura visitatione, concinnari poterit in hunc aut similem modum : « Nos N., misericordia divina et Sedis Apostolicæ gratia Episcopus N., « rectori, clero et populo parochiæ N., loci N., salutem et « benedictionem in Domino. — Sacrorum canonum ac Tri- « dentini Concilii salubri sanctione dispositum est, ut tenean- « tur Episcopi certis temporibus diœcesum suarum ecclesias « ac personas omnes, jurisdictioni suæ subjectas, visitare. « Quarum quidem visitationum præcipuus scopus est, non « tantum confirmationis sacramentum ministrare, sed (ut « præfati Sacri Concilii verbis utamur) *sanam orthodoxamque* « *doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pra-* « *vos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad* « *religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout* « *locus, tempus, occasio feret, ad fidelium fructum constituere.* « Id nos officii explere hoc anno volentes erga dilectum cle- « rum et populum loci N., necnon parochialem ejusdem loci « ecclesiam, hoc præsenti nostro edicto denuntiamus, eam Nos « visitationem, Deo juvante, incœpturos die... mensis ..Hor- « tamur autem...» (Et ibi potest Episcopus opportuna monita subjungere, necnon collectam in missa præcedentis Dominicæ addendam præscribere, et commendare ut fiant ad Deum orationes pro felici visitationis successu : item præcipere ut ex vicinis locis adducantur qui sacramentum confirmationis recipere debent : et alia hujusmodi.) « Omnes insuper enixe « in Domino hortamur, ut si quos noverint irrepsisse abusus « aut excitata scandala, de iis Nos certiores faciant, ut op- « portunis mediis occurrere valeamus. Et ne quis a præstan-

« dis quæ de jure præstare tenetur, ignorantiæ prætextu se « tueri possit, mandamus ut hæ præsentes litteræ intra parochialem missam e suggestu a parocho legantur et publi« centur. Datum... — N. Episcopus N. — N. cancellarius. » Varianda erit (ut patet) formula, prout visitandum erit cathedrale capitulum, vel civitas, vel oppidum, vel parochia ruralis, vel conventus : item si ab alio quam Episcopo visitatio facienda sit.

4° Expedit ut Episcopus, præter notarium, unum aut alterum peritum virum pro facienda visitatione sibi adjungat. Quamvis in rigore juris solus eam perficere posset.

II. *De accessu et receptione Episcopi visitantis.* — 1° Si visitetur aliqua civitas vel oppidum, observantur dispositiones *Pontificalis*, parte 3, sub titulo *ordo ad recipiendum Prælatum*, descriptæ, usque ad orationem *Omnipotens* exclusive. Postea vero observantur, quæ sub titulo sequenti *ordo visitandi parochias* habentur.

2° In minoribus locis accedit Episcopus ad portam ecclesiæ cum rochetto et mozetta, genuflexus osculatur crucem quæ ibi ad id parata est ; postea eum stantem incensat dignior e clero loci, indutus pluviali albo. Tum orat ante altare, illud osculatur, et benedicit populo solemniter (vide apud Gavantum, *Manuale Episc.*, *Praxis visitationis*, § 8, n. 3).

III. *Ordo faciendorum post receptionem, usque ad discessum.* — Describitur in Pontificali, sub præfato titulo *ordo ad visitandas parochias.*

IV. *De discessu.* — Item quæ ad modum discedendi pertinent, ibidem notantur, a vocibus *peracta demum visitatione,* usque ad finem tituli.

§ IX.

Quænam addenda vel omittenda sint, quando visitator non est ipse Episcopus, sed presbyter ab ipso deputatus.

1° Dantur ab Episcopo patentes litteræ, quibus eum in visitatorem deputet.

2° Scribi autem possunt ejusmodi patentes litteræ, in hunc modum : « Dilecto nobis in Christo N., salutem in Domino.— « Ut executioni earum rerum quæ a Conciliis hujus provin« ciæ ac diœcesis et a Nobis decreta sunt consulamus, te « visitatorem in tota diœcesi constituimus; cum facultate « mandandi, quod opus fuerit pro ejusmodi executione, etiam « pœnis et censuris adhibitis; informationes assumendi de ne« gligentiis ac delictis quæ compereris, ac inobedientes pu« niendi, pœnitentiis et mulctis pecuniariis adhibitis, ad usum « pium arbitrio nostro applicandis; ita tamen ut si quæ gra« viora inciderint, Nobis aut vicario nostro generali reserves. « Omnia autem in acta redigas, prout opus fuerit, et ad Nos « quamprimum referas. Concedimus quoque ut... Mandantes « omnibus vicariis, parochis aliisque ad quos pertinet, ut te « tanquam visitatorem nostrum recipiant, et procurationes « sumptusque debitos præbeant, prout opus fuerit. Hæ vero « valeant ad... — Datum, etc. » (Hanc formulam transcripsimus ex Gavanto, *Manuale Episc.*, *Praxis visitationis*, sub finem.)

3° In unoquoque loco visitando, antequam visitatio inchoetur, publice legendæ sunt dictæ patentes litteræ.

4° Dictus visitator omittere debet quæ spectant ad pontificalem dignitatem, cum illa careat.

5° Stola supra cottam indutus facit absolutionem defunctorum, visitat sanctissimam eucharistiam, olea sacra, reliquias et baptisterium.

6° Cætera eodem modo fiunt ac si visitaret Episcopus.

§ X.

De impedientibus visitationem.

1° « Impedientes visitatorem a munere visitationis excom« municationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipi« cant. » (Ferraris, verbo *visitare*, n. 99.)

2° Si Episcopo visitandi jus habenti et ad visitationem accedenti claudatur porta, an possit Episcopus eam frangere et per vim ingredi, a canonistis controvertitur (vide apud Ferraris, citato loco, n. 98). Sed quidquid sit de stricto jure, haud decebit unquam eo medio Episcopum uti. Et multo melius est ut in delinquentes excommunicatione vel interdicto animadvertat.

§ XI.

An et qualis procuratio seu subsidium visitatori debeatur.

1° Ubi de visitatoribus agitur, *procurationis* nomine intelligi solet « contributio sumptuum et expensarum necessariarum « pro victu et honesta sustentatione tempore visitationis præ« standa illis qui ecclesias diœcesis visitant.» (Ferraris, verbo *procuratio*, n. 1.)

2° Regula generalis est, deberi visitatori procurationem seu victualia. At præter victualia pro se et suis, et quidem moderata et frugalia, nihil ultra potest visitator exigere aut recipere. Constat, tum aliis multis textibus, tum capite 3 sessionis 24 Tridentinæ Synodi.

3° A dicta regula excipiuntur loca et provinciæ ubi consuetudo est ut nihil visitatori suppeditetur : « In iis vero locis « seu provinciis ubi consuetudo est ut nec victualia, nec pe« cunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed

« omnia gratis fiant, ibi id observetur. » (Trid. Conc., citato capite.)

4° Hodie in tota Gallia viget præfata consuetudo ; unde in ea regione visitantibus Episcopis nulla procuratio debetur.

5° Ordinarie loquendo, qui visitationi subjacent, exhibendæ etiam procurationis oneri subjiciuntur. At

6° Non tenentur procurationem exhibere, qui privilegium ab ea eximens habent : nec parvi conventus : nec hospitalia et alia pia loca pro pauperibus : nec ecclesiæ aut personæ civitatis episcopalis. Item pro visitando oratorio privato nulla potest procuratio exigi (quæ omnia vide apud Ferraris, v. *procuratio*). Pro aliis nonnullis de hac materia difficultatibus, ad citatum auctorem remittimus.

CAPUT III.

DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM AB EPISCOPIS FACIENDA.

Prænotatur quid sacrorum liminum visitatione intelligi debeat. — « Munus visitationis liminum in tribus actibus potissimum « consistit, scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, « in exhibitione debitæ obedientiæ ac reverentiæ Romano « Pontifici, et in relatione status ecclesiæ. Quos tres actus « complectitur citata Bulla *Romanus Pontifex* Sixti V, § *quo-* « *circa :* et eorumdem meminit Sacra Congregatio Concilii, in « litteris patentibus, quas tribuere solet Episcopis post per- « actam visitationem. » (Ferraris, verbo *limina Apostolorum*, n. 9). Quod autem ipsa limina Apostolorum intelligi debeant de loco ubi est Papa, est communis doctorum sententia. « Li- « mina Apostolorum, inquit citatus Ferraris (ibid. n. 29), ibi « esse dicuntur, ubi est Papa. Sic ex multis et cum multis « probat Fagnanus. » Quo prænotato, sit,

ART. I.

QUAM ANTIQUA SIT ECCLESIASTICA LEX, AD VISITANDA SACRA LIMINA EPISCOPOS OBLIGANS.

Erraret quam maxime qui Sixtnm V existimaret primum hujusce obligationis auctorem. Multo anteriorem legem hanc testantur monumenta plurima, e quibus nonnulla hic, a recentioribus ad antiquiora ascendendo, subjicimus.

1° Gregorio XIII, qui Sixtum V in Summo Pontificatu immediate præcessit, hoc inter alia dubium proposuit Maronitarum Patriarcha : *Cum Pontificale Romanum statuat jubeatque, singulos Episcopos ultramarinos omni triennio Romam venire, de ecclesiarum ipsorum statu deposituros ; num et nostri ad idem teneantur necne? Sufficiatque, propter itineris difficultates, Turcarumque pericula, quempiam eorum delegare?* — Responsum est : *Ob magnam locorum intercapedinem, denegandum non videtur quod petunt ; ut satis sit unoquoque triennio, unum, Episcoporum omnium nomine, Romam destinari* (vide documentum illud citatum a Beuedicto XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 6, n. 12).

2° Circa medium sæculum decimum-tertium, multi Episcopi Indulta specialia a Sede Apostolica impetraverant, quibus ab ouere visitationis ad limina eximebantur. Verum Alexander IV, edita Constitutioue, omnia ejusmodi Indulta abrogavit; et in ea Constitutione reperiuutur hæc valde atteudenda verba : *Non est facile recedendum ab eo, quod a prædecessoribus nostris super hoc diu excogitatum exstitit et obtentum* (rem narratam vide apud Raynaldum, ad annum 1257, n. 50).

3° « Iuter Inuocentii III rescripta unum est, quod spe-
« ctat ad Patriarcham Antiocheuum ; qui, cum juxta obliga-
« tionem suam quarto quoque anno, ad visitanda Apostolorum
« limina reddendamque ratiouem administrationis ecclesiæ
« suæ, Romam veuire debuisset, neque id, certis impedimen-
« tis obstantibus, exsecutus esset, excusationes suas ad Pon-

« tificem miserat. Qui sane eas benigne admisit, sed simul « Patriarcham admonuit, ne in posterum officio suo deesset. « Facti series exponitur in *Historia Pontificiæ jurisdictionis,* « quam edidit Roussel, l. 3, c. 1, n. 11. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 6, n. 12.)

4° In libro 11 Decretalium, titulo 24 *de jurejurando*, cap. 4, habetur forma juramenti ab Episcopis Summo Pontifici præstandi, quam sancto Gregorio VII tribuunt eruditi (vide Gonzalez in cap. *ego N..., de jurejurando*), quamvis sub nomine Gregorii III in corpore juris inscribatur. Porro hoc tempore viguisse, et quidem strictiorem quam nunc, dictam obligationem sacra adeundi limina, palam faciunt ultima hujusce formulæ verba, nempe : *Limina Apostolorum singulis annis, aut per me, aut per certum nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.*

5° In Concilio Romano anni 743, sub Zacharia Papa, canone 3, decernitur : *Ut juxta sanctorum Patrum et canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacebunt, qui propinqui sunt, annue idibus mensis maii, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli liminibus præsententur, omni occasione seposita : qui vero de longinquo, juxta chirographum suum impleant* (in collectione Harduini, tom. 3, col. 1927).

6° In epistolis sancti Gregorii Magni recurrit dictæ obligationis mentio relative ad Siciliæ Episcopos. Sic enim scribit laudatus Pontifex ad Cyprianum diaconum, in ea insula residentem : *Novit dilectio tua, hoc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres et coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia convenirent : sed Nos eorum labori consulentes constituisse, ut suam huc semel in quinquiennio præsentiam exhiberent* (libro 7 epistolarum, epistola 22, in editione Benedictinorum).

ART. II.

EXPONITUR HODIERNUM JUS COMMUNE CIRCA OBLIGATIONEM VISITATIONIS AD LIMINA.

PROPOSITIO Iª. — *Tenentur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi sacrorum liminum visitationem certis temporibus facere.*— In probationem adducemus Constitutionem *Romanus Pontifex* a Sixto V die 20 decembris 1585 editam; Constitutionem *quod sancta* Benedicti XIV, 23 novembris 1740; juramentum quod præstant Episcopi de facienda dicta visitatione; et tandem unanimem doctorum sententiam.

Probatur I. — *Ex Constitutione* ROMANUS PONTIFEX *Sixti V.* « § 3. Hac perpetua Constitutione sancimus, decernimus « et mandamus, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepi« scopi, Episcopi, per universum orbem terrarum constituti, « et a Nobis deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus honore « præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu « eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum « tradatur, aut si ad aliam ecclesiam transferantur, antequam « illius regimini et administrationi se immisceant; si quidem « præsentes in Curia fuerint, in manibus Sanctæ Romanæ Ec« clesiæ diaconi Cardinalis ordine prioris; si vero absentes, « in manibus Antistitis, qui ad impendendum munus præ« dictum a Sede Apostolica delegabitur; jurent juxta formu« lam in libro Cancellariæ Apostolicæ, *quinterno* appellato, « nuper descriptam, se Beatorum Apostolorum Petri et Pauli « limina, statutis in hac nostra Constitutione temporibus, per« sonaliter et per seipsos visitaturos, ac Nobis et successori« bus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus « rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque « rebus omnibus ad ipsarum quibus præsunt ecclesiarum « statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, « quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovismodo perti-

« nentibus; vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam « diligentissime executuros.

« § 4. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent « se prædicta omnia adimpleturos per certum nuntium, ad « id speciale mandatum habentem, de gremio suorum capi« tulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, « seu alias personatum habentem; aut si hujusmodi hominem « ecclesiastica dignitate et personatu præditum non habeant, « per diœcesanum sacerdotem; et si clero careant, omnino « per alium presbyterum sæcularem vel regularem, specta« tæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene « instructum.

« De hujusmodi autem impedimento docere debeant per « legitimas probationes...

« § 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode « explendum, supradicti omnes Patriarchæ, Primates, Archi« episcopi, et Episcopi; Itali videlicet vel ex Italicis insulis, « unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, « Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac « etiam Dalmatiæ et Græcorum, quæ e regione ipsis Italiæ « et Siciliæ oris sunt, *tertio anno ;* Germani vero, Galli, His« pani, Belgæ, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni, et cæ« teri omnes qui in Europa sunt citra mare Germanicum et « Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, *quarto « anno;* et qui intra Europæ fines sunt his provinciis remo« tiores, ac etiam Africanis littoribus adversi, ac insularum « maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europæ et Afri« cæ, citra continentem novi orbis..., *quinto anno ;* Asiatici « vero et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, « meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam « in insulis quam in continentibus, *decimo anno* iter susci« piant, et Deo concedente perficiant. Idemque institutum « tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et « observent...

« § 7. Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supra-

« dictis omnibus Antistitibus, præsentibus et futuris, ut visi-« tationem prædictam, sibi suisque ecclesiis adeo utilem ac « necessariam, juxta prædictam formulam omnino conficiant.

« § 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu « ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium « quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum « ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora « cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricæ « seu ornamentorum ecclesiæ emptionem insumendorum, « ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contu-« macia resipiscentes relaxationem suspensionis hujusmodi a « Sede prædicta meruerint obtinere. » Magna ex parte transcribendam duximus Constitutionem hanc, quia pluries infra ad ipsius dispositiones recurrere debebimus. Patet autem hac Sixtina lege veram probari conclusionem positam. Idipsum nempe quod in propositione affirmamus, per legis hujus textum in jus commune sancitum fuit. Jus autem illud commune a tempore Sixti V nunquam revocatum est; ergo hodiedum pro jure communi habendum est.

Probatur II. — Ex Constitutione QUOD SANCTA *Benedicti XIV.* — Ibi enim Sixtinam legem confirmavit in forma specifica Benedictus XIV, his verbis : « Easdem litteras Sixti V præde-« cessoris, et in eis contenta quæcumque, ex certa scientia et « Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et « confirmamus, ac etiam innovamus; omnibusque Patriarchis, « Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis mandamus et « præcipimus, ut eas sedulo ac diligenter et omnia in eis « præscripta observare ac custodire studeant, et Apostolicæ « Sedis monitis ac præceptis in re tanti momenti, ea reveren-« tia atque animi cura et promptitudine qua par est, pareant « atque obsequantur. » (§ 4.) Hinc, etiamsi aliqua de causa desiisset Sixtina lex esse jus commune (quod nunquam contigit), iterum post Benedicti XIV confirmationem jus commune evasisset.

Probatur III. — Ex juramento quod emittunt singuli Episcopi

de adimplenda Sixtina lege. — Singuli Episcopi, antequam episcopalem consecrationem recipiant, formulam juramenti pronuntiant quæ habetur in Pontificali sub titulo *de consecratione electi in Episcopum.* In hac autem formula verba hæc reperiuntur : « Apostolorum limina singulis trienniis (1) personaliter per meipsum visitabo ; et Domino Nostro, ac successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus ; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum nuntium... De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii, per supradictum nuntium transmittendas. » Hinc quilibet Episcopus, non tantum ex jure communi, sed insuper juramenti religione, ad dictam sacrorum liminum visitationem adstringitur.

Probatur IV. — *Ex unanimi doctorum sententia.* — Nullum scilicet e probatis auctoribus reperire est, qui vel in quæstionem vocet, num ad dictam sacrorum liminum visitationem Episcopi omnes de jure communi teneantur.

Propositio IIa. — *Prædicta obligatio sacra limina visitandi sub peccato gravi obligat.* — Patet 1° ex hujusce legis materia, de cujus gravitate nullum sane dubium moveri potest. 2° Ex verbis *jubemus in virtute sanctæ obedientiæ* quibus usus est Sixtus V ; item ex verbis Benedicti XIV, *Apostolicæ Sedis monitis ac præceptis in re tanti momenti pareant atque obsequantur*. 3° Ex pœnis gravibus, quas ipso facto ab inobedientibus incurrendas decrevit Sixtus V, ut constat ex supra citato § octavo Constitutionis *Romanus Pontifex.* 4° Ex unanimi doctorum

(1) Si Episcopus sit Germanus vel Gallus, dicitur *singulis quadrienniis.*

sententia. Nulli siquidem in mentem venit, sub levi tantum legem illam obligare. 5° Ex superaddito uniuscujusque Episcopi juramento. Caveant proinde Episcopi, ne sibi hac in re blandiantur. Et qui ipsis a confessionibus sunt, pro certo teneant, haud fore ad recipiendam sacramentalem peccatorum absolutionem dispositum Episcopum, qui (quod Deus avertat) huic obligationi parcere nollet.

PROPOSITIO III^a^. — *Episcopus qui, ob aliquod impedimentum, visitationem per alium a se delegatum facit, tenetur probationes legitimas de impedimenti veritate ad Sacram Congregationem transmittere.*—Constat ex citatis Sixtinæ Constitutionis verbis, « de hujusmodi autem impedimento doceant per legitimas probationes. » Item ex verbis supra transcriptæ juramenti formulæ, « de hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad... Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii per supradictum nuntium transmittendas. » Unde satis non est ut Episcopus dicat, se impeditum fuisse ne personaliter accederet ; sed debet documenta, ad probandum illud impedimentum idonea, expedire.

PROPOSITIO IV^a^. — *In æstimando, an sufficiens sit impedimentum ab Episcopo allegatum, an sufficientes ejusdem impedimenti probationes, an denique delegatus procurator de iis sit qui delegari potuerint, jamdudum facilius Romæ et remissius agi, asserit Benedictus XIV.* — Hac de re sic adnotat laudatus Pontifex (*de Synodo diœcesana*, l. 13, c. 6, n. 2) : « Abstinendum hic ducimus ab exponendis controversiis olim in prædicta Congregatione agitatis, tam super qualitate impedimenti quo Episcopus a personali sacrorum liminum visitatione recte excusetur, quam super documentorum genere quæ ad idem impedimentum legitime probandum afferri debeant, ac demum super persona procuratoris ad obeundas Episcopi vices delegandi ; de quo disputatum fuit, an liceret canonicum, aliumve diœcesanum sacerdotem, non præcise in eum finem ablegatum, sed jampridem in Urbe commorantem, suasque res ibi agentem, ad visitationem peragendam pro-

« curatorem constituere; et an sacerdotem regularem mit-
« tere et deputare liceret. In hoc enim rerum genere jamdu-
« dum facilius atque remissius agi cœpit, et pristinus rigor
« progressu temporis valde temperatus est, habita ratione
« gravium expensarum, quæ ad Romanum iter conficiendum
« Episcopis subeundæ sunt, graviorumque onerum, quibus
« episcopales mensæ, vel temporum calamitate, vel aliis de
« causis, subjiciuntur. Unde, si Episcopus, justo quolibet im-
« pedimento detentus, a Sacra Congregatione licentiam petat
« visitandi limina per procuratorem, atque etiam in eum
« finem deputandi canonicum aliquem aut sacerdotem diœ-
« cesis suæ jam in Urbe existentem, et privatis suis rebus va-
« cantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorem
« seu agentem, de rebus diœcesis probe instructum (dum-
« modo ecclesiastico charactere sit insignitus), facta Romano
« Pontifici per secretarium ipsius Congregationis instantiæ
« illius relatione, non ita frequenter rejici solet. De regulari
« tamen sacerdote..., si regularis aliquis sacerdos deputari
« velit, nonnihil difficultatis offendi solet; cum prius pro-
« bauda sit deficientia capituli et cleri sæcularis. »

Hodie non videtur generaliter subsistere ratio illa nimiarum pro suscipiendo Romano itinere expensarum, ob quam Romæ jamdudum visum est (testante Benedicto XIV) exigendam ab Episcopis non esse rigorosam, quoad prædicta, legis adimpletionem. Cum enim per vias ferreas, ac naves vapore tractas, itinerantes citissime pervehantur, vitantur graves illæ expensæ et incommoda, quibus olim ob transvectionis diuturnitatem ac difficultatem Episcopi quam maxime gravabantur. Adnotare autem liceat, maxima ex parte in nihilum abire antiqnissimam illam ac tantopere commendatam de visitandis sacris liminibus disciplinam, si cuilibet fere Episcopo liceat, ob itineris expensas, et absque legitimo ad juris terminos impedimento, per suum, qui Romæ degit, agentem, visitationem illam perficere.

Propositio V. — *Episcopi viciniores, ut Itali, visitationem*

facere tenentur quolibet triennio : paulo remotiores, ut Germani, Galli, Hispani, quarto quoque anno: magis remoti, quolibet quinquennio : remotissimi, ut Asiatici, quolibet decennio. — Constat citato paragrapho 6 Constitutionis Sixti V, ubi regula pro cujuslibet regionis Episcopis ponitur.

PROPOSITIO VI^a. — *Hibernis Episcopis, habita ipsorum paupertatis ratione, anno 1631 indultum est, ut quolibet decennio tantum visitationem facere tenerentur.* — Ad terminos Sixtinæ Constitutionis, debebant quolibet quadriennio id officii explere; sed præfatum indultum eis fuisse concessum vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c, 6, n. 4).

PROPOSITIO VII^a. — *Episcopi juramentum de visitandis sacris liminibus emittere debent, tum antequam episcopalem consecrationem recipiant; tum insuper (si jam sint consecrati) quando ipsis Pallium tradendum est ; tum denique, quando ad aliam ecclesiam transferuntur, antequam novæ ecclesiæ administrationi sese ingerant.* — Constat ex citato supra paragrapho 3 Constitutionis Sixti V.

PROPOSITIO VIII^a.— *Episcopi qui in Curia Romana præsentes sunt, quando emittendum ab ipsis est dictum juramentum, illud emittere debent in manibus Cardinalis-Diaconi Decani : extra Curiam vero, in manibus Antistitis, ad id ab Apostolica Sede delegati.* — Constat ex eodem paragrapho 3 Sixtinæ Constitutionis. Quandoque autem delegatur ad recipiendum hocce juramentum ipsemet consecrator Episcopus; et pro hoc casu ponitur in Pontificali dicti juramenti formula.

PROPOSITIO IX^a. — *Visitatio fieri debet intra ultimum annum triennii, quadriennii*, etc. — Ita decisum vide apud Ferraris (verbo *limina Apostolorum*, n. 27).

PROPOSITIO X^a. — *Triennia, quadriennia, et alia respective spatia, currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus.* — Ita ut nempe successor eodem ipso anno visitationem facere teneatur, quo eam facere deberet antecessor, si remansisset. Unde, verbi gratia, si quis Episcopus Galliæ decedat vel transferatur, uno anno ante finem sui quadriennii, intra hunc

ipsum ultimum quadriennii annum tenebitur ejus successor visitationem facere. Id vide firmatum apud Ferraris (v. *limina Apostolorum*, n. 26).

Propositio XI^a. — *Triennia, quadriennia;* etc., *inceperunt currere a die publicatæ Constitutionis Sixti V, id est, a die* 20 *decembris anni* 1585. — Ita decisum a S. Congregatione Concilii (vide apud Ferraris, loco cit. n. 23).

Nota. — Quoad diœceses post dictum Pontificem erectas, videtur computanda esse triennia, quadriennia, etc., a die quo primus noviter erectæ diœcesis Episcopus administrationem suscepit. Unde in Gallia, ubi suppressis omnibus antiquis diœcesibus novæ per Concordatum anni 1801 erectæ sunt, computanda videntur quadrienniorum initia a die, qua in unaquaquaque diœcesi primo primus post Concordatum Episcopus possessionem sumpsit. Cæterum ob omissam ab aliquibus vel etiam multis ejusdem sedis Antistitibus visitationem ad limina, non videtur mutandus modus quadrienniorum initia computandi.

Propositio XII^a.—*Pro visitandis liminibus abesse a suis diœcesibus possunt Episcopi citra-montani per quatuor, ultramontani per septem menses.*— Ita expresse disposuit Urbanus VIII Constitutione *sancta Synodus* (vide apud Ferraris, loco citato, n. 11).

Propositio XIII^a. — *Canonicus qui accedit Romam pro servitio sui Episcopi limina visitantis, etiamsi veniat post Episcopum, lucratur distributiones* (vide ibid., n. 13).

Propositio XIV^a. — *Episcopus impeditus, nequit in procuratorem pro visitatione facienda deputare aliquem in Curia Romana degentem; neque presbyterum diœcesis qui non sit in dignitate aut canonicus cathedralis; neque sacerdotem regularem.* — Vide apud Ferraris, loco citato, n. 18. Supponitur Episcopum non carere canonicis, aut clericis in dignitate constitutis; alioquin posset deputare presbyterum sæcularem diœcesis suæ: quod si et isto careret, posset deputare regularem.

Propositio XV^a. — *Visitationem ad limina facere probabilius non tenentur Episcopi titulares, qui dicuntur Episcopi in parti-*

bus. — Vide probatum supra, parte 4, sect. 3, capite 1 (1).

PROPOSITIO XVI[a]. — *Si quis Episcopus coadjutorem habeat, non tenetur coadjutor visitationem facere, sed coadjutus.* — Ita decisum vide apud Ferraris, (verbo *limina*, n. 8). Sufficit autem ut fiat ab alterutro. Ita decisum vide apud Benedictum XIV (*de Synodo diœc.*, l. 13, c. 6, n. 5).

PROPOSITIO XVII[a]. — *Ad visitanda sacra limina tenentur etiam Prælati sæculares et regulares, jurisdictionem quasi-episcopalem habentes cum territorio separato.* — Ita sancivit Benedictus XIV, in memorata Constitutione *quod sancta* (§ 5), qua Sixtinam legem ad ejusmodi Prælatos extendit.

PROPOSITIO XVIII[a]. — *Dicti Prælati, si sint ex Italia aut insulis adjacentibus, visitationem facere tenentur quolibet triennio : secus, quolibet quinquennio.* — Ita dispositum in præfata Constitutione *quod sancta*, § 7.

PROPOSITIO XIX[a]. — *Dicti Prælati, tenentur juramentum emittere, quo se adstringant ad visitanda sacra limina et reddendam Summo Pontifici suæ administrationis rationem.* — Ita dispositum in eadem Constitutione *quod sancta;* ubi etiam statuitur qua formula, et in quorum manibus juramentum illud præstari debeat.

ART. III.

QUA FORMA EPISCOPI SACRA LIMINA VISITANTES RELATIONEM DE STATU SUARUM DIŒCESEON CONCINNARE DEBEANT (UBI TRANSCRIBITUR HAC DE RE INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS).

Cum sæpe ejusmodi Episcoporum relationes abundarent in superfluis, in necessariis deficerent, jussu Benedicti XIII

(1) Equidem Benedictus XIV (*de Syn. diœces.*, l. 13, c. 6, n. 5) ita concludit : « Affirmandum videtur Episcopos quoque titulares ad sixtinæ Bullæ observan« tiam teneri. » Sed contrarium docet in eodem opere, l. 2, c. 7, n. 2. Et cum in hoc posteriori loco auctoritatem S. Congregationis Concilii et Clemenits VIII adducat, in priori autem nonnisi opinionem unius aut alterius canonistæ, merito potius neganda videtur dicta obligatio Episcoporum titularium faciendi visitationem ad limina.

edita est a Sacra Congregatione Concilii instructio, quæ pro norma in posterum haberetur. Eam transcripsit Benedictus XIV ad calcem tractatus sui *de Synodo diœcesana ;* et in multis aliis libris reperitur. Hic etiam eamdem subjiciendam duximus, omisso dumtaxat procemio.

« Instructio Sacræ Congregationis Concilii pro Episcopis, « Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis, super modo con- « ficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum, quas, oc- « casione visitationis sacrorum liminum, eidem Congregationi « exhibere tenentur...

« § I. — *De primo relationis capite, pertinente ad statum ec- « clesiæ materialem.* — In hoc primo relationis capite sequen- « tia erunt exponenda : 1° Institutio. 2° Confinia. 3° Privi- « legia et prærogativæ episcopatus, archiepiscopatus, aut « patriarchatus. 4° Numerus civitatum, oppidorum, aut loco- « rum, qui episcopatui, archiepiscopatui, aut patriarchatui « subjecti sunt. 5° Status cathedralis, metropolitanæ aut « patriarchalis ecclesiæ, una cum numero canonicorum, et « aliorum servitio chori addictorum ; et an erectæ fuerint « præbendæ pœnitentiaria et theologalis. 6° Status ecclesia- « rum collegiatarum, una cum numero pariter canonicorum, « et cæterorum qui choris earum intersunt ; et an in colle- « giatis erecta sit præbenda theologalis. 7° Status et numerus « ecclesiarum parochialium, necnon aliarum ecclesiarum et « oratoriorum, in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriar- « chatu existentium ; referendo signanter, an cathedralis, « metropolitana aut patriarchalis, et collegiatæ, oratoria, « necnon parochiales, cæteræque ecclesiæ, sint sacris supel- « lectilibus instructæ, et quænam ex eis habeant redditus « pro fabrica assignatos. 8° Numerus monasteriorum, tam « virorum quam mulierum ; exprimendo an aliqua ex mona- « steriis virorum sint subjecta suæ jurisdictioni ; et an et quæ « mulierum monasteria sibi subjecta sint, vel prælatis regu- « laribus. 9° An adsit in diœcesi seminarium clericorum ; quot « clerici in eodem alantur ; an fuerit statuta taxa, et in qua

« quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita ; et « in universum quinam et quot sint redditus prædicti semi- « narii. 10° Numerus hospitalium, confraternitatum, et alio- « rum locorum piorum, quæ sunt in episcopatu, archiepi- « scopatu aut patriarchatu, et quinam sint eorum redditus. « 11° An adsint montes pietatis, et quot sint ; una cum aliis « consimilibus, ad statum materialem ecclesiæ spectantibus ; « cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio « in prima relatione tantum quæ fit ab Episcopo, Archiepi- « scopo aut Patriarcha exhibeatur. In subsequentibus enim « relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi « aliquid novi pertinens ad dictum statum materialem conti- « gisset, quod referens notificandum Sacræ Congregationi « existimaret.

« § II. — *De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum « Episcopum, Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham.*— In hoc « capite exponi debebit : 1° An residentiæ præceptum a sacris « canonibus, Concilio Tridentino et Constitutione Urbana « præscriptum adimpleverit ; et an aliquo, et quo tempore « abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum vel sine « Sedis Apostolicæ licentia. 2° An et quoties diœcesis sibi « commissæ visitationem expleverit. 3° An per se, vel per « alium Episcopum, sacras ordinationes expleverit, et sacra- « mentum confirmationis administraverit. 4° An et quoties « Synodum diœcesanam coegerit : et, si Episcopus nulli Ar- « chiepiscopo subjectus sit, an ad Synodum provincialem ejus « Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, « ut ejus Synodo provinciali intersit, accesserit ; et, si sit « Archiepiscopus, an Synodum provincialem habuerit, et « quinam suffraganei eidem interfuerint. 5° An verbum Dei « per seipsum prædicaverit, et an, legitimo concurrente im- « pedimento, viros idoneos assumpserit ad hujusmodi præ- « dicationis officium salubriter exequendum. 6° An habeat « depositarium pœnarum et mulctarum pecuniariarum, et an « eædem fuerint piis usibus applicatæ. 7° Quænam taxa, et

« an Innocentiana in sua cancellaria observetur. 8° An aliquod « habeat quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, « jurisdictionis ecclesiasticæ, necnon tuendæ libertatis et im« munitatis ecclesiarum. 9° An aliquod pium opus peregerit « pro ecclesia, pro populo, aut pro clero.

« § III. — *De tertio capite ad clerum sæcularem pertinente.* — « In hoc capite exponendum erit : 1° An canonici, cæterique « choro addicti cathedralis, metropolitanæ aut patriarchalis « ecclesiæ, necnon collegiatarum, choro jugiter intersint. « 2° An ultra matutinum, laudes, cæterasque alias horas ca« nonicas, quolibet die celebrent missam conventualem. « 3° An quolibet die eam applicent pro benefactoribus. 4° An « suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent. « 5° An qui obtinent præbendam pœnitentiariam aut theolo« galem, adimpleant quæ adimplenda sunt, et quomodo. « 6° An parochi in suis parochiis resideant, 7° An librum « matrimonii et baptizatorum, aliosque libros, quos ad normam « Ritualis Romani retinere debent, retineant. 8° Au aliqui « ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacra« menta populo administrent. 9° An eidem per se, vel per « alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem « dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro « sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docen« do quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta « monitum Tridentini, et præcitati Concilii Romani. 10° An « saltem dominicis, et aliis festis diebus, in suis parochiis « fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, « pueros cæterosque hoc adjutorio indigentes, doceant ; et « an et qui eis operam præstent in hoc opere adimplendo, et « an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis « proficiat. 11° An singuli parochi, cæterique curam anima« rum exercentes, singulis dominicis festisque de præcepto, « missam applicent pro populo eorum curæ commisso. 12° An « et quæ præmittantur, antequam quis ad primam tonsuram « et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus ini-

« tiandi, ante cujuscumque ordinis sacri receptionem, piis « meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per « aliquot dies in aliqua domo religiosa. 13° An omnes prædicti vestes jugiter deferant clericales, et an quoad fori privilegium serventur disposita a sacrosancta Synodo Tridentina, sessione 23, capite 6, *de Reformatione*, et a Constitutione Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papæ XIII, in « eodem Concilio Romano emanata. 14° An habeantur conferentiæ theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ, et etiam « sacrorum rituum ; et quot vicibus habeantur ; et qui illis « intersint ; et quinam profectus ex illis habeatur. 15° Quinam « sint mores cleri sæcularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

« § IV. — *De quarto capite, ad clerum regularem pertinente.* « — In hoc capite exponendum erit : 1° An regulares, curam « animarum exercentes, qui episcopali jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis quæ ad curam pertinent, « et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant, juxta ea quæ in præcedenti capite « dicta sunt de parochis sæcularibus. 2° An aliquis regularis « extra monasterium degat : et an aliqui adsint in diœcesi, « a suis superioribus, servatis servandis, ejecti ; vel aliquis « fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui « extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit ; « et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit. 3° An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda « visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in « quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus præfixo ; et quinam sint religiosorum mores, in dictis « conventibus et granciis degentium. 4° Denique an aliquod « habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatæ in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa « est a Sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter a Bulla Clementis Papæ X, « quæ incipit *superna*.

« § V.—*De quinto relationis capite, ad moniales pertinente.—*
« In hoc capite exponendum erit : 1° An moniales Episcopo
« subjectæ suas servent constitutiones. 2° An clausura in
« earum monasteriis inviolate custodiatur. 3° An aliqui abu-
« sus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxi-
« lio Sacræ Congregationis indigeant. 4° An, præter ordina-
« rium confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis aut ter
« fuerit oblatus. 5° An dictorum monasteriorum redditus
« fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint perso-
« lutæ, et quomodo erogatæ. 6° An in monasteriis monialium
« quæ sunt Prælatis regularibus subjecta, curaverit, ut clau-
« sura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata;
« et an contra inobedientes et contradictores, per censuras
« ecclesiasticas, et alia juris remedia processerit. 7° An ha-
« rum monialium confessarii regulares, sive ordinarii, sive
« extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam earum
« confessiones exceperint. 8° An, adhibitis superioribus regu-
« laribus, singulis annis exegerit rationem administrationis
« ab his qui administrarunt bona pertinentia ad hæc monia-
« lium monasteria regularibus subjecta : et an fideliter
« eorum redditus administrentur; et alia fuerint adimpleta
« quæ præscribuntur in Bulla Gregorii XV, quæ incipit *inscru-*
« *tabili.*

« § VI. — *De sexto relationis capite, pertinente ad semina-*
« *rium.* — In hoc capite exponendum erit : 1° Quot sint in
« seminario alumni. 2° An in ecclesiastica disciplina recte
« instituantur. 3° Quibusnam studiis vacent, et quo profectu.
« 4° An cathedrali, et aliis locis ecclesiæ diebus festis inser-
« viant. 5° An cum consilio duorum canonicorum seniorum,
« a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.
« 6° An illud aliquando visitet, et operam det, ut constitu-
« tiones adimpleantur. 7° An statuta sit taxa ad tramites Con-
« cilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint morosi
« in ejus solutione.

« § VII. — *De septimo capite, ad ecclesias, confraternitates et*

« *pia loca pertinente.* — In hoc capite exponendum erit : 1° An « in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit « tabella onerum missarum et anniversariorum, ad tramites « decretorum sanctæ memoriæ Urbani VIII, et an eis pun- « ctualiter satisfactum sit. 2° An in confraternitatibus, scho- « lis, aliisque locis piis, punctualiter executioni mandentur « pia opera a testatoribus injuncta. 3° An quolibet anno sibi « fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus. « 4° An montem pietatis sive charitatis visitaverit; et an « idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi « ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas cau- « sas redditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, « qui pecuniam aut frumentum, si agatur de monte frumen- « tario, ab eo recipiunt. 5° An infirmorum hospitalia visita- « verit, redditaum rationes ab administratoribus exegerit, et « an infirmis necessaria, quoad salutem animæ et corporis, « in eis subministrentur.

« § VIII.—*De octavo relationis capite, ad populum pertinente.* « — In hoc capite exponendum erit : 1° Quinam sint populi « mores, et an in pietate proficiat. 2° An aliquis irrepserit « abusus, aut prava quædam in eodem inoluerit consuetudo, « quæ consilio indigeat, et Sedis Apostolicæ adjutorio.

« § IX.— *De ultimo capite ad postulata pertinente.*— Ultimô « loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ, qui « suarum ecclesiarum relationes ad Sacram transmittunt Con- « gregationem, si quæ habent postulata proponenda pro sua- « rum regimine ecclesiarum, proponere poterunt, cum clara « facti et omnium circumstantiarum expressione; et quate- « nus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea « sint in aliis tribunalibus introducta; an adsint super iisdem « aliorum tribunalium sententiæ; ut omnibus mature per- « pensis, possit Sacra Congregatio congruum suppeditare præ- « dictis postulatis responsum.

« Et hæc sunt, quæ opportuna visa fuerunt, ut in hac in- « structione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quæ Episcopi,

« Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ, pro suarum indi-
« gentia ecclesiarum atque diœcesum, addenda existimave-
« rint, sciant sibi liberum esse addere, quæ ipsis addenda
« videbuntur, et ad notitiam Sacræ Congregationis deferre:
« quæ ex charitatis et justitiæ norma per se expediet quæ
« poterit, et majora ad Summum Pontificem deferet, qui fra-
« tribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratifi-
« cari semper exoptabit. »

ART IV.

QUIBUSNAM IN SACRA CONGREGATIONE CONCILII DEMANDATUM SIT MUNUS RELATIONES EPISCOPORUM EXPENDENDI, ET AD EAS RESPONDENDI; ET AN EX EO QUOD RESPONSA HUJUSMODI ALIQUIS EPISCOPUS TARDIUS RECIPIAT, LIBERETUR AB OBLIGATIONE FACIENDÆ VISITATIONIS IN SUBSEQUENTI TRIENNIO VEL QUADRIENNIO.

I. Ob negotiorum multitudinem quæ in Sacra Congregatione Concilii agitantur, animadverterat Benedictus XIV frequenter contingere, ut dictis relationibus per Episcopos transmissis serius aliquanto responderetur. Quapropter Constitutione sua *decet Romanum Pontificem* (tomo primo ipsius Bullarii, n. 8), novam sectionem seu peculiarem congregationem, ipsi Sacræ Congregationi Concilii addidit, cui dictum munus specialiter demandaretur. Hæc tamen peculiaris Congregatio seu potius sectio, non alium habet secretarium nec Cardinalem Præfectum, quam ipsiusmet Congregationis Concilii secretarium et Præfectum, prout videre est in citata Constitutione *decet Romanum.* Et adhuc hodie per dictam Sacræ Congregationis Concilii specialem sectionem ejusmodi Episcoporum relationes expenduntur, et eorumdem postulatis respondetur.

II. At fatendum est, hac etiam ratione nondum sufficienter devitatum fuisse inconveniens, cui obviam ire intenderat Benedictus XIV. Adhuc enim frequentes audire est Episcoporum querelas, qui cum ab uno aut etiam pluribus annis rela-

tionem transmiserint, nullum adhuc responsum acceperunt. Id pervigilem Pii IX feliciter regnantis sollicitudinem non effugit; qui, dum Romæ degerem, præter cæteros a Benedicti XIV Constitutione statutos dictæ sectionis officiales, novum addidit, quo citius tanti momenti negotium expediretur. Hinc sperandum fore ut tandem præcaveantur illæ in rescribendo moræ, quæ tantam Episcopis molestiam afferre solent, quæque forsan non parum in causa fuerunt, cur nonnulli in facienda debitis temporibus sacrorum liminum visitatione segniores efficerentur.

III. Ex eo tamen quod serius ad transmissam relationem rescriberet Sacra Congregatio Concilii, immerito exoneratum sese Episcopus existimaret ab obligatione faciendæ, quæ proxime instat, sequentis visitationis liminum, cum solita de statu diœcesis relatione. Nam Sixtina lex absolute præcepit faciendam ejusmodi visitationem et relationem, intra certa temporis spatia; nec adjecta est conditio, *dummodo ante sequens triennium aut quadriennium, Sacra Congregatio rescripserit*. Scopus nempe legis non fuit ut Episcoporum postulatis opportuna responsa expedirentur (de hoc quippe lex tacet), bene vero ut Summus Pontifex omnium diœcesum statum apprime notum haberet, et confluentes Romam Episcopos paterno suo colloquio reficere, et opportunis monitis dirigere posset, pro ea quæ ipsi a Christo demandata est cura *confirmandi fratres suos*. Scopus autem ille maxima saltem ex parte attingitur, si quilibet Episcopus Romanum Pontificem statis temporibus adeat, et de statu diœcesis suæ relationem S. Congregationi tradat; quamvis eadem Congregatio, ob negotiorum molem, serius ad adjuncta relationi postulata nonnunquam respondeat.

ART. V.

JUS COMMUNE DE FACIENDA SACRORUM LIMINUM VISITATIONE GALLIÆ ETIAM EPISCOPOS OBLIGAT.

I. *Quid Gallicanismi systema hac de re tradat?* — De præcepto visitandi sacra limina dicit Van Espen (parte 1, tit. 15, n. 17) : « Ita commode et recte ab Episcopis præstari posse, « *dummodo consensus regis et principum interveniat*, præsertim « in Gallia, et hisce provinciis (Belgicis). » Et rationem affert, quod Episcopis non liceat, « absque consensu regis, regni « finibus excedere, vel ad Synodum, vel ad Pontificem profi- « cisci. » Paulo post, numero 27, ita subjungit : « Moderna « Belgii vicinarumque provinciarum constans ac uniformis « praxis habet, ut visitatio per nuntium fiat; quasi ob itine- « ris longitudinem molestias et expensas, atque diuturniorem « a diœcesi absentiam, legitimum ac continuum impedimen- « tum subsit; neque ulli Episcopo hinc difficultatem moveri « hactenus intelleximus. In Gallia vero hic articulus non ob- « servatur, ait dominus Fleury, *Institutionibus juris canonici*, « parte 1, capite 11. »

Hinc tam antiquum tamque aptum ad devincienda capiti membra præceptum, de quo implendo quilibet Episcopus juramentum solemniter emittit, absque scrupulo violari posse tradebat gallicanismus. Quæ violatio inter libertates ecclesiæ gallicanæ summo zelo retinendas censebatur. Sane a vero non errabat quidam, qui nuper gallicanismum definiebat : *Rébellion à l'égard du Pape, servilisme à l'égard du roi, despotisme à l'égard des inférieurs.*

II. *Quid sentiendum sit de prædicta gallicanismi doctrina.* — 1° Prohibitio regum Galliæ ne Episcopi Romam pergerent ad visitanda sacra limina, etsi omnino injusta et jurium Ecclesiæ læsiva, Episcopos ab implendo personaliter hoc præcepto excusabat. In hypothesi nempe, quod non potuerint Episcopi Galliæ

dictæ prohibitioni contraire, nisi cum gravi rei catholicæ detrimento, fuerunt hoc ipso a facienda personali sacrorum liminum visitatione legitime impediti. Si hoc tantum dixissent scriptores gallicani, a vero non errassent.

2° At fingunt, *vi consuetudinis*, et abstrahendo etiam, tum a præfato, tum ab alio quolibet legitimo impedimento, ab ejusmodi obligatione liberos exstitisse Galliæ Episcopos. Quæ opinio prorsus erronea est. Nam *primo*, consuetudo hæc de facto nunquam contra legem præscripsit, ob juramentum quod singuli Episcopi emittebant de lege implenda, cessante legitimo impedimento. *Secundo*, sustineri potest talem consuetudinem de iis esse, per quas ecclesiasticæ disciplinæ nervus solvitur, et quæ ideo nunquam possunt legitimæ evadere. Nec objiciatur silentium Sedis Apostolicæ, et axioma juris *qui tacet consentire videtur*. Probandum enim foret tales fuisse circumstantias, ut potuerit Sedes Apostolica legis observantiam urgere, quin graviora habuerit pertimescenda mala. Dum enim silet Romanus Pontifex, ob gravioris detrimenti metum, silentium ejus nequaquam pro consensu haberi potest, ut in tractatu *de Principiis* probavimus.

III. *An plene vigeat præceptum visitationis sacrorum liminum quoad hodiernos Galliæ Episcopos?* — Respondetur affirmative. 1° Quia singuli hodierni Episcopi juramentum de explendo illo præcepto emiserunt. 2° Quia hodie non existit prohibitio sæcularis potestatis, quæ antiquos Galliæ Episcopos ab implendo præcepto excusabat. 3° Quia falsum est, ut diximus, desiisse unquam ejusmodi præceptum vigere in Galliis. Nam ex eo quod a rege prohiberentur Episcopi Romam ire, non ideo vim habere lex desinebat; sed tantum constituebantur Antistites in casu legitimi impedimenti. 4° Etiamsi (quod falsum est) aliquando vigere desiisset in Gallia dicta lex ob contrariam consuetudinem, nequaquam hodie consuetudo hæc invocari posset, utpote interrupta jam et sublata per legis observationem. Jam enim a pluribus annis hocce præceptum fideliter explent Episcopi Galliæ, sive per seipsos, sive per procuratorem, si

legitime impediantur. Quod si quis forte contendat non deesse adhuc hodie in Gallia Episcopos qui dictam legem non servent, id ei probandum relinquimus. A multis eam servari mihi constat : sufficeret autem hæc multorum praxis ad reducendam vim legis, si (quod nequaquam verum est) per contrariam consuetudinem suspensa fuisset.

Ex dictis colligendum est, gravis peccati reatum hodie in Gallia incursurum Episcopum, qui nullo detentus legitimo impedimento dictam legem (quod absit) violaret. Cum enim, ex probatis, lex certo obliget, et aliunde materia gravis sit, haud dubium quin ejus violatio grave peccatum sit. Esset etiam grave peccatum ratione perjurii : explendam enim obligationem illam, juramenti religione sese quilibet Episcopus solemniter obstrinxit. Et tandem posset insuper esse simul grave peccatum scandali : si nempe clerus aut fideles, scirent Episcopum nullo legitimo impedimento detineri, et tamen præcepto non satisfacere.

CAPUT IV.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD SEMINARIUM.

Cathedralium canonicis jus quoddam in regendis seminariis competit. Quod quidem ipsorum jus, in meo tractatu *de Capitulis* (pagina 470 et sequentibus) ita exposui, ut Tridentinas simul hac de re sanctiones fuse expenderim. Idcirco quæ ibi jam probata fuerunt, summatim dumtaxat hic referam, additis iis quæ Episcopi officium tangunt, quæque utpote ad tractatum *de Capitulis* haud pertinentia, in eo prætermissa sunt. Hinc expendenda veniunt : 1° qualia seminaria fuerint a Concilio Tridentino præscripta ; 2° qua ratione regi atque administrari debeant ; 3° an et quatenus possit seminarium alicui religiosæ congregationi regendum committi ; 4° quænam in hodiernis Galliæ seminariis Tridentinæ dispositioni

adversentur; 5° num hæc Tridentinæ legi contraria, legitime nihilominus hodie in Galliis peragi censenda sint.

§ I.

Qualia seminaria fuerint a Concilio Tridentino præscripta.

Prænotandum de seminariorum origine. — « Primævis gymnasiis, quæ in cathedralibus olim et collegiatis vigebant, « ac florentissima erant clericorum vitæque communis collegia, publicæ successerunt academiæ, quas sæculo VIII « colere cœperunt clerici, amplissimis impetratis privilegiis « ab Honorio III (in capite *super specula*, 5 *de magistris*), et « Innocentio IV (in capite *de diversis, de privilegiis*, in 6). « Quæ quidem privilegia a sacro Concilio Tridentino (capite « 1, sessionis 5) servata ait Thomassinus.... Aptiora sunt seminaria institutioni clericorum; eaque sacrum Concilium « Tridentinum academiis suffecit, ut notat Fagnanus, in citato « capite *super specula, de magistris*, n. 1. » (*Thesaurus resolutionum*, tomo 71, in causa *Faventina*, § *primævis*, 18 augusti 1792.) Attentis præcipue hodiernis temporibus, verissima videntur verba hæc, *aptiora sunt seminaria institutioni clericorum;* ita ut etiam dubitare fas sit, an ii, qui magno zelo inducendis denuo publicis facultatibus adlaborant, attente perpenderint qualis et quanta cleri mutatio inde expectanda sit. Sane clericorum magna pars, non jam sub communi seminarii regula, sed privatim in magnis civitatibus, nullo eos ad pietatem informante superiore, ipsorum mores corrigente nullo, sacro studio operam dabunt; et præmisso dumtaxat paucorum mensium, aut forte dierum secessu, sacris ordinibus initiabuntur.

Quo prænotato, de seminariis breviter expendendum venit, qualia fuerint a Tridentino Synodo instituta atque præscripta.

I. *Voluit Tridentina Synodus seminaria hæc esse collegia in quibus pueri seu juvenes alantur, religiose educentur et ecclesiasticis disciplinis instituantur.* — « Sancta Synodus statuit ut sin- « gulæ cathedrales... certum puerorum numerum... in colle- « gio ad hoc ab Episcopo eligendo, alere, ac religiose « educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. » (Sess. 23, c. 18.)

II. *Potest Episcopus plura ejusmodi seminaria habere: sed tenetur habere saltem unum, nisi diœcesis paupertas obstet.* — Ita clare dispositum vide in citato capite 18, sessionis 23.

III. *Si obstet paupertas ne singulæ diœceses suum habeant seminarium, debet provideri a Concilio provinciali, ut commune seminarium pro ejusmodi diœcesibus constituatur.*—Constat eodem capite, ubi determinatur etiam modus quo seminarium illud, duobus aut pluribus diœcesibus commune, constitui debet.

IV. *In seminariis admitti non debent nisi ii pueri seu juvenes, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.* — Ita expresse in citato capite. Hinc seminaria in quibus promiscue instituuntur, tum ii qui clericalem, tum ii qui laicalem statum amplexuri sunt, proprie dicta seminaria, ad sensum Tridentinæ Synodi haud dici possunt.

V. *In hunc finem seminaria potissimum constitui jussit Tridentina Synodus, ut in eis filii pauperum gratis alantur et instituantur: toleravit tamen ut recipi etiam possint filii divitum, sed propriis eorum expensis.* — « Pauperum autem filios præ- « cipue eligi vult: nec tamen ditiorum excludit, modo suo « sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ « serviendi. » (Sess. 23, c. 18.)

VI. *Recipi in iis seminariis non debent nisi duodecim saltem annos nati, necnon orti ex matrimonio legitimo, et qui legere et scribere sciant.* — Ita expresse disponitur in citato capite 18, sessionis 23.

VII. *Quicumque in seminario admittuntur, debent statim tonsuram accipere et clericali habitu indui.* — « Tonsura statim at-

« quæ habitu clericali semper utentur. » (Ibid.) Quod intelligitur etiam de pueris duodecim annos natis.

VIII. *Debent addiscere grammaticam, cantum, computum ecclesiasticum aliasque bonas artes, necnon sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, et quæ pertinent ad sacramentorum, præsertim pœnitentiæ, administrationem, sacrosque ritus et cæremonias.* — Hæc expresse in seminariis docenda præscribit Tridentina Synodus : addendo posse Episcopum « alia ad hanc rem opportuna et necessaria » statuere : quibus verbis arbitrio et prudentiæ Episcopi relinquit, ut de aliis etiam disciplinis lectiones in seminario fiant.

IX. *Debent quotidie missæ sacrificio interesse, necnon singulis saltem mensibus peccata confiteri, et sacrum Domini corpus (approbante tamen proprio confessario) recipere : festis autem diebus, cathedrali et aliis loci ecclesiis inservire.* — Ibidem.

X. *Seminarium debet esse dotatum, id est, certos habere annuos redditus : qui si aliter non habeantur, potest et debet Episcopus ab omnibus qui beneficium aliquod ecclesiasticum obtinent, juxta taxam cum consilio duorum canonicorum et duorum de clero determinandam, aliquid annuatim exigere.* — Ita disponitur dicto capite 18, sessionis 23. Uniendi etiam seminario beneficia simplicia potestas fit Episcopo.

XI. Ergo seminaria, ad terminos Tridentinæ Synodi, debent esse instituendis clericis exclusive propria : et comprehendere non tantum juvenes qui theologiæ operam navant, sed et juniores, ita ut non excludantur nisi minores annis duodecim : in iisque *potissimum filii pauperum* gratis ali ac institui debent ; quamvis filii divitum non excludantur, dummodo probabile sit, eos in clericali statu perpetuo permansuros, et propriis sumptibus alantur. — Patet ex præmissis dictæ Synodi præscriptionibus.

XII. *Si plura in diœcesi exstent seminaria, cætera debent ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit in omnibus dependere.* — Ita expresse in dicto capite 18, sessionis 23. Unde alia debent esse quasi principalis seminarii

membra, non autem diversa et independenti administratione regi.

§ II.

Quomodo seminarium regi et administrari debeat.

QUÆSTIO I^a. — *Quatenus teneatur Episcopus, in regendo seminario quoad spiritualia, duorum canonicorum consilio uti.* — 1° Tenetur Episcopus in administratione spirituali seminarii duorum canonicorum consilium adhibere.

2° Duorum illorum canonicorum electio ad solum Episcopum spectat.

3° Semel electi, sunt perpetui; nec proinde possunt sine causa removeri.

4° Eorum consilium requirere debet Episcopus in sequentibus materiis: in constituendis regulis universalibus seminarii: in electione singulorum introducendorum: in electione librorum legendorum: in punitione dyscolorum: in visitationibus: in electione loci: in electione magistrorum; in electione confessoris: in eorumdem expulsione.

5° Prædictum consilium requirere dumtaxat tenetur Episcopus, non autem sequi.

6° Videtur requiri ad valorem actuum, ut Episcopus dictum consilium requisiverit. Hæc omnia probata vide in meo tractatu *de Capitulis* (pag. 473 et seq.).

QUÆSTIO II^a. — *Quatenus teneatur Episcopus, in regendo seminario quoad temporalia, duorum de capitulo et duorum de clero civitatis consilio uti.* — 1° Tenetur Episcopus in temporali seminarii administratione istorum quatuor consilium adhibere.

2° Alter ex duobus istis canonicis eligendus est ab Episcopo, et alter a capitulo: item duo desumendi e clero civitatis eligendi sunt, alter ab Episcopo, alter a toto diœcesis clero.

3° Semel deputati, in munere suo perpetui sunt; nec

proinde potest Episcopus eos absque causa legitima removere.

4° Tenetur Episcopus eorum consilium requirere in sequentibus materiis : circa taxationem contributionis a beneficiatis exigendæ : circa unienda seminario beneficia : in difficultatibus ob quas seminarii ædificatio vel conservatio impeditur aut perturbatur : in omni temporali administratione seminarii : in expulsione et deputatione ministrorum seminarii : in expensis quotidianis, in provisionibus bladorum, in administratione bonorum quorumcumque ac redditunm ipsius : non autem in exigenda taxa.

5° Pro deputando etiam rectore seminarii tenetur Episcopus dictum consilium requirere.

6° Dicti consilii requisitio est necessaria, ut administrationis actus, ab Episcopo gesti, valorem habeant.

7° Requirere dumtaxat tenetur Episcopus dictum consilium, non autem sequi.

8° Dictorum consiliariorum officium extenditur ad omnia diœcesis seminaria.

Vide probata hæc omnia in meo tractatu *de Capitulis* (p. 481 et seq.).

Quæstio IIIᵃ. — *Quatenus singulis annis administrationis seminarii ratio reddenda sit Episcopo, præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis.* — 1° Isti quatuor præsentes esse debent dum Episcopus ejusmodi computorum rationem accipit.

2° Et sunt distincti a duabus aliis commissionibus, quarum consilio tenetur Episcopus uti respective, quoad spiritualem et temporalem seminarii administrationem. Nam prior ex istis commissionibus constat duobus canonicis ab ipsomet Episcopo electis : posteriorem conflant unus canonicus electus ab Episcopo, alter canonicus electus a capitulo, unus de clero civitatis electus ab Episcopo, et alter de eodem clero civitatis electus a totius diœcesis clero : atvero ex illis quatuor qui assistere debent dum redditur administrationis ratio, nul-

lus ab Episcopo nominatur, sed duo deputantur a capitulo, et duo alii a clero.

3° Cum his quatuor assistere etiam debet commissio pro temporali administratione, de qua sub præcedenti quæstione diximus. Vide quoad hæc meum tractatum *de Capitulis* (pag. 489 et seq.).

§ III.

An et quatenus possit Episcopus seminarium alicui religiosæ Congregationi regendum committere.

I. Religiosæ familiæ plerumque non solent alicujus seminarii regimen accipere, nisi sub ea conditione, quod ad generalem ordinis superiorem pertinebit rectorem, magistrosque seminarii eligere et deputare; quodque hi valebunt absque dependentia a præfatis commissionibus seminarium administrare; nec nisi ex causa ab Episcopo aut successoribus poterit seminarii regimen ab ipsorum Congregatione auferri, ut denuo sæcularibus, vel aliis regularibus regendum committatur.

II. Porro id fieri nequit nisi derogando juri communi, id est, Tridentino, ut patet. Aliunde potestatem Episcopi excedit hujusmodi derogatio. Ac proinde necessario intervenire debet Sedis Apostolicæ auctoritas.

III. Hinc quando vult Episcopus seminarium alicui religiosæ familiæ committere, procedi solet hoc modo : Ab Episcopo et Prælato religioso vel superiore Congregationis cui seminarium committendum est, determinatur certis articulis pactum, Sedis Apostolicæ confirmationi subjiciendum. Dein mittitur pactum illud Sacræ Congregationi Concilii, pro approbatione. Quæ S. Congregatio, auctoritatis Pontificiæ robur approbando ei impertitur. Et tunc pacti hujus articuli pro lege perpetua sunt, quam liberum non est successoribus Epi-

scopis immutare. Vide quoad hæc meum tractatum *de Capitulis* (pag. 492 et seq.).

§ IV.

Quænam in hodiernis Galliæ seminariis Tridentinæ dispositioni adversentur.

I. Quod in plerisque Galliæ diœcesibus seminarium in duas partes dividatur, quarum altera magnum, altera minus seminarium nuncupetur, ac sua unicuique domus assignetur, legi Tridentinæ contrarium non est. Nullibi enim Tridentini Patres sanxerunt ut omnes seminarii alumni eodem in loco, iisdemve in ædibus, commorari deberent. Imo plurium in eadem diœcesi seminariorum erectionem approbarunt, dummodo ab uno tanquam capite reliqua tanquam membra dependerent, ut supra vidimus.

II. Esse autem parvum seminarium a magno independens, ita ut utrumque sua bona sejunctim possideat, atque administret, et unius rector non regat simul aliud, sive per se, sive per substitutum, id Tridentinæ institutioni non cohæret, ut palam faciunt dicta in superioribus paragraphis.

III. Maxime vero adversatur Tridentinis dispositionibus quod in parvis seminariis Galliæ promiscue recipiantur, tum ii juvenes qui clericali statui, tum etiam ii qui laicali destinantur : item quod recipiantur ante annum duodecimum : item quod tonsura ipsis non conferatur, nec clericalem vestem gerant : tandem quod in iis non filii pauperum gratis, sed filii divitum solvendo præcipue instituantur.

Nec tantum Tridentini instituti litteræ contraria sunt ejusmodi parva seminaria Galliæ, prout hodie multis in diœcesibus exstant, sed etiam menti et intento scopo. Voluit enim Tridentina Synodus ut qui angelicis ministerii sacri functionibus addicendi aliquando sunt, jam a teneris fiant clerus seu portio Domini : segregentur scilicet a mundo ac a propriis etiam aliquatenus familiis : cum juvenibus etiam pie viventibus, sed

quæ mundi sunt cogitantibus non commisceantur, ne ex eo contubernio eorum animi ad sæcularia periculose alliciantur : clericalibus scientiis, clericalibus præcipue moribus informentur : atque ut libere valeat Ecclesia eos ad intentum scopum, exclusis parentum interventu et oppositionibus, promovere, pauperum præcipue filii assumantur, et gratis (ne quid respective eorum familiæ aliquando obtendere valeant) alantur et instituantur.

Porro ejusmodi obtinendo scopo minus idonea sunt hodierna quædam Galliæ seminaria, quæ minora vocantur. Nihil enim aliud fere sunt quam laicalia collegia ; id est, ad instituendos etiam et magna ex parte pueros laicalem statum amplexuros. Quæ quidem collegia, sub Episcopi auctoritate ac regimine constituta, ad christiane instituendam juventutem summæ utilitatis fuisse et esse, nemo est qui ambigat. Id tantum dicimus, ea non esse proprie dicta seminaria, nec attingendo a Tridentinis Patribus intento scopo idonea.

IV. Hinc, si fas sit meam qualemcumque sententiam hac de re superioribus ecclesiasticis subjicere, mihi possibilis atque opportuna, videretur dispositio quædam, qua simul et dictorum collegiorum conservationi, et Tridentinæ legis executioni consuleretur ; ut scilicet, præter et extra præfata collegia quæ parva seminaria vocantur, quæ non tantum retinenda, sed et pro posse multiplicanda sunt, scligeretur ad terminos Tridentini Concilii puerorum seu juvenum manipulus, qui seorsim, et in magno (si fieri possit) seminario, recepta tonsura et assumpto clericali habitu, institueretur. Electis ejusmodi pueris magistri duo addicerentur, quorum alter grammaticam, alter humaniores litteras edoceret. Ad philosophiam enim quod attinet, jam in multis Galliæ majoribus seminariis prælegitur. Cantus et sacrorum rituum disciplina hisce pueris et theologiæ studentibus communis foret. Esset tunc idem seminarium magnum simul et parvum, id est, quale illud Tridentini Patres excogitaverunt; cuique unicus rector præsideret.

Atque utinam triginta saltem aut viginti (si pluribus alen-

dis facultates non suppetant) selecti pueri dicto modo instituerentur. Facile enim ac veluti sponte, piis exercitationibus grandiorumque ac in sacris præcipue versantium exemplo, novellæ illæ plantationes, ab omni contagio segregatæ, cœlesti rore pietatis et amoris Dei (infantes disertos facientis) in domus Dei ornamentum excrescerent. Inde Ecclesiæ orirentur sacerdotes, qui non aliquot mensium spatio, sed toto juventutis curriculo donum Dei degustassent, et aquam salientem ad vitam æternam hausissent : inde potentes opere et sermone exurgerent. Optarem ego ut Episcopi et majorum seminariorum rectores hosce parvulos sinerent venire ad se, id est, in majus seminarium, quia in talibus Ecclesiæ robur Tridentini Patres introspexerunt. Quæ tamen dicta intelligantur, salvo meliori judicio, et nisi temporum ac locorum circumstantiæ obstent.

V. Ejusdem Tridentini Concilii dispositionibus insuper adversatur regendorum et administrandorum seminariorum modus. In hoc nempe regimine consiliariis a lege Tridentina præscriptis Episcopi non utuntur. Sane quam grave negotium sit seminarii rectorem, magistrosque, ac legendos in scholis libros, necnon disciplinares regulas et alia similia constituere aut mutare, nemo non videt. Opus in ea re magna prudentia, consilio multo. Neque objiciatur præsto esse Episcopis vicariorum generalium, aliorumque consilium : aliud enim est posse prudentes viros consulere, et aliud ad ejusmodi consilium requirendum teneri. Possunt quidem Episcopi vicariorum suorum generalium consilio uti ; sed ad id non tenentur. Voluit autem Tridentina Synodus Episcopo assistere consiliarios, quorum consilium adhibere teneretur, ita ut prætermisso consilio gesta ab Episcopo nullitate laborarent. Præterea vicarii generales, etiamsi eos de facto quoad seminarii regimen consulat Episcopus, utpote ad nutum revocabiles et unam personam moralem cum Episcopo constituentes, non habent convenientem eam libertatem, quæ occurrere solet in consiliariis a lege datis, quales sunt illi deputati a capitulo et clero, a

Tridentina Synodo præscripti. Norunt omnes quam frequens sit in diœcesibus Galliæ, ut succedentibus novis Episcopis, vel etiam ab eodem quandoque Præsule, pluries intra brevis temporis spatium, seminarii rector, magistri, docendi ratio, prælegendi libri ac disciplinares regulæ immutentur. Quæ adeo frequentes mutationes ac perturbationes, vel necessariæ aut saltem utiles sunt, vel non : si prius, ergo in constituendis et ordinandis, quæ tam cito mutantur, rebus et personis, defuit prudentia ac maturitas : si posterius, ergo perperam immutantur. Sane si Tridentina lex de consiliariis ad hæc omnia peragenda adhibendis servaretur, haud adeo frequenter contingeret ut juniores ac scioli, quos deceret discere adhuc pluribus annis, non docere, in seminariorum directores assumerentur, ut vicissim paulo post aliis inexpertis tunc locum cedant, quando idonei esse cœperant. Nec objiciatur teneri quidem ex lege Tridentina Episcopum consiliariorum sententiam expetere, non autem sequi : nam ex ipso solo quod fortiter et communi consensu propositis mutationibus aut dispositionibus ejusmodi consiliarios adversari videret, satis efficaciter noviter ad diœcesim accedens Episcopus, a præpropera immutandi et prædecessorum ordinationes subvertendi prurigine cohiberetur.

VI. Juri communi pariter contrarius est modus, quo in Gallia seminariorum regimen religiosis congregationibus tradi solet. Id propria auctoritate Episcopus peragit : id regularium seu religiosæ congregationis superior fas sibi existimat acceptare et exequi. Porro, ut supra vidimus, ad terminos Tridentinæ Synodi, regi et administrari debet seminarium adhibito consilio nonnullorum de capitulo et de clero civitatis. Quæ juris universalis dispositio ut urgere quoad aliquam diœcesim desinat, necessarius est illius auctoritatis interventus, quæ valeat leges Ecclesiæ universalis abrogare aut ab eis dispensare, id est, interventus Sedis Apostolicæ. Dum ergo pro committendo alicui religiosæ congregationi seminaria ad Sacram Congregationem Concilii aut directe ad Summum Ponti-

ficem non recurritur, jus Tridentinum infringitur. An tamen legitime id fiat, ob legitime præscriptam consuetudinem, vel quod in Galliis recepta non sit Tridentini Concilii disciplina, expendimus sequenti paragrapho. Hic dumtaxat adnotare voluimus quæ in seminariorum Galliæ regimine juri Tridentino haud cohærent. Cæterum quam utile sit ut nequeat ejusmodi seminariorum religiosis familiis traditio absque Sedis Apostolicæ confirmatione fieri, vel inde patet, quod alioquin traditio hæc (etiamsi legitima videri queat) nullam fere habebit firmitatem. Poterit nempe, vel idem, vel succedens Episcopus, congregationem illam religiosam a regendo seminario removere, et vel aliam vel sæculares presbyteros ei substituere. Ex qua removendi facilitate quanta oriantur incommoda, ubi præsertim de religiosis familiis agitur, satis per se patet. Neque adeo rara sunt exempla ejusmodi congregationum religiosarum remotionis. Ut enim alia taceam, nuper a duorum seminariorum regimine remota fuit congregatio Oblatorum, quibus tanquam generalis superior præsidet hodiernus Massiliensium Episcopus. Si ex pacto a Sede Apostolica confirmato, regenda illa seminaria dicta congregatio suscepisset, non potuisset, nisi probata legitima causa, removeri, et patuisset ei ad superiorem auctoritatem recursus.

Hinc etiamsi ad id in rigore juris non teneretur, caute saltem ageret Episcopus, alicui congregationi regendum seminarium in perpetuum committere volens, si confirmari a Sede Apostolica pactum procuraret : et caute item id prærequireret religiosæ congregationis superior. Alias uterque in arena ædificabit.

§ V.

Num quæ hodie in Galliæ seminariis Tridentinis decretis adversantur, nihilominus legitima censenda sint.

I. Ex iis supra enumeratis, quæ a Tridentina forma in Galliis recedunt, alia ex necessitate invaluerunt et permanent, alia

de iis sunt quæ possent ad Tridentinæ legis terminos reduci. Hodie, verbi gratia, dotari nequeant Galliæ seminaria, ope contributionum singulis beneficia obtinentibus impositarum, juxta taxam ab Episcopo sanciendam. Item quod rei temporalis magni seminarii administratio aliquatenus subjaceat consilio alicui, a lege sæculari præscripto, in quo nonnulli etiam civiles magistratus partes suas habeant, necessitate imponitur.

Alia sunt vicissim, quæ possent juxta Tridentinam normam peragi : posset, verbi gratia, Episcopus, in eligendo ac deputando seminarii rectore, magistrisque, ac aliis officialibus, in admittendis juvenibus, in probandis prælectionum libris et aliis hujusmodi, supradicta uti consiliariorum commissione, prout injunxerunt Tridentini Patres. Item cum alicui religiosæ congregationi regendum seminarium committit, posset pacti confirmationem, prout de jure communi necesse est, a Sede Apostolica expostulare.

II. Quæ ex morali necessitate, contra Tridentinas dispositiones, aliasve mere ecclesiasticas leges fiunt, legitime fieri dubium non est.

III. Atvero quæstio ardua est, num cætera quæ ad terminos Tridentinæ legis reduci possent, legitime alio modo peragantur. Tradere solent gallicani auctores, Concilium Tridentinum in Galliis quoad disciplinæ decreta receptum non fuisse : sed contrariam thesim vide probatam in meo tractatu *du Concile provincial* (pag. 500 et seq.). Item a nonnullis contenditur, consuetudines Galliæ, quæ a tempore Concordati usque nunc perseverarunt, contra Tridentinas dispositiones legitime jam præscripsisse : sed contrariam thesim vide in meo tractatu *de Principiis* (pag. 369 et seq.).

Ob rationes in memorata utraque thesi expositas, ego quidem legitimum dicere non audeo illum seminaria Galliæ disponendi ac regendi modum, qui Tridentinis decretis adversatur, quique posset ad ejusmodi decretorum terminos, absque ullo rei ecclesiasticæ damno, reduci.

CAPUT V.

DE LEGISLATIVA EPISCOPORUM POTESTATE.

QUÆSTIO Iª. — *An Episcopus possit constitutiones seu statuta condere, etiam extra diœcesanam Synodum, et etiam sub pœnis et censuris?* — Respondeo affirmative : potest nempe statuta quoad omnes subditos suos obligatoria edere, tum in diœcesana Synodo, tum extra Synodum; atque etiam sub pœnis, verbi gratia, sub excommunicatione ipso facto incurrenda. Quæ Episcoporum legislativa potestas omnino certa est (vide Reiffenstuel, in tit. 2 libri 1 Decretalium, n. 69; et Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 4, n. 5).

QUÆSTIO IIª. — *An statuta episcopalia morte conditoris expirent?* — Facta in diœcesana Synodo non expirant. An autem expirent facta extra Synodum, disputatur (vide Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 5, c. 4, n. 3).

QUÆSTIO IIIª. — *An possit Episcopus aliquid statuere contra jus commune, quando nondum contra jus illud legitime præscriptum fuit?* — Respondendum negative : etenim jus commune est lex superioris relative ad Episcopum. Nequit autem inferior contra legem superioris quidquam decernere, ut per se patet.

QUÆSTIO IVª. — *Quando in aliqua diœcesi contra juris communis dispositionem per contrariam consuetudinem legitime præscriptum est, an possit Episcopus, per formam legis aut statuti, decernere secundum consuetudinem illam legitime præscriptam?* — Respondeo : potest tunc Episcopus contra illam juris communis dispositionem agere : non vero quidquam per formam statuti aut legis decernere. Quia, ait Benedictus XIV (*de Synodo*, l. 12, c. 8, n. 8) « si inferior consuetudini, superio« ris legi contrariæ, suo peculiari statuto vires adjicere velit, « videbitur profecto auctoritatem sibi arrogare delendi legem « superioris; » quod in nullo rerum eventu esse eidem per-

missum, ibidem annotat citatus Pontifex. Hinc, quamvis in dicto casu licite valeant Episcopi juris communis dispositionem in praxi non servare, si tamen in Concilio provinciali aliquid contra dispositionem illam statueretur, statutum illud Romæ, a S. Congregatione Concilii (cujus revisioni submitti debent Conciliorum provincialium acta et decreta) procul dubio expungeretur.

Quæstio Vª. — *An synodales constitutiones antequam publicari valeant, debeant Sedis Apostolicæ revisioni submitti, aut ab ea approbari?* — Respondendum negative. Equidem certissima est obligatio Romam mittendi, antequam publicari valeant, provincialium Conciliorum decreta, ut a S. Congregatione Concilii revideantur: id in tractatu de *Concilio provinciali* fuse probavimus. At nihil tale jus commune disposuit quoad diœcesanas Synodos. « Harum quippe constitutiones statim « possunt ab Episcopis publicari, quin ulla obstringantur « obligatione illas transmittendi ad Sacram Congregationem « Concilii, ejusque expectandi judicium... In hac sententia « fuit Sacra Congregatio Concilii, quæ rogata ut recognosceret « acta diœcesanæ Synodi Strongolensis, die 17 junii 1645 « respondit : *Se non consuevisse revidere et approbare nisi Synodos provinciales, ex Constitutione Sixti V ; et quod idcirco Episcopus uteretur jure, sibi ex sacro Concilio competente* (libro 17 « Decretorum, pag. 484). Quocirca in nostra hac commentatione falli jam diximus Cardinalem de Luca et Van-Espenium, « asserentes diœcesanas Synodos robore et efficacia carere, « nisi a prædicta Sacra Congregatione approbentur. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 3, n. 6.)

CAPUT VI.

DE POTESTATE ET OFFICIO EPISCOPI QUOAD QUÆSTIONES FIDEI, ET ALIAS INTER GRAVISSIMOS DOCTORES CONTROVERSAS.

Propositio Iª. — *Nequit Episcopus quæstiones definire ad fidei doctrinam pertinentes.* — Etenim 1° causæ *majores* Sedi

Apostolicæ sunt reservatæ, prout in tractatu *de Concilio provinciali* fuse probavimus : porro inter causas *majores* præcipue numerandæ sunt quæstiones ad fidei doctrinam pertinentes : ergo.

2° Ad definiendas ejusmodi quæstiones requiritur potestas infallibilis : si enim qui definit errare possit, ad nihil prodest ejus definitio, seu non est proprie definitio, cum fideles huic definitioni assentire non teneantur : sed Episcopus infallibilitatis privilegium non habet : ergo. Adde unanimem hac in re doctorum sententiam.

Propositio IIa. — *Potest jubere Episcopus ut caveantur errores jam ab Ecclesia proscripti.* — « Quamvis enim nequeat « quæstiones definire ad fidei doctrinam pertinentes, non ta- « men prohibetur, ne aut in Synodo aut extra Synodum ca- « vendos jubeat errores, jam ab Ecclesia proscriptos ; quod « colligitur ex capite *ad abolendam, de hæreticis,* notatque « Gonzalez in cap. *vestra,* n. 3, *de locato et conducto.* » (Benedictus XIV, *de Synodo,* l. 6, c. 3, n. 8)

Propositio IIIa. — *Non debet sibi Episcopus arrogare partes judicis inter gravissimos secum contendentes theologos* (1). —

1° Id patet si agatur de quæstionibus jus commune respicientibus. Nequit enim Episcopus jus illud auctoritate sua mutare. Aliunde autem si pronuntiet tantum de sensu legis, judicium ejus infallibile non est ; ac proinde opposita opinio, utpote a gravissimis doctoribus propugnata, suam servat probabilitatem. Ergo si agatur de quæstionibus controversis, quæ *jus commune* respiciunt, frustra tentaret Episcopus eas auctoritative dirimere.

2° Idem autem concludendum est quoad reliquas etiam controversias. Hoc ipso scilicet quod gravissimi doctores inter se dissentiant, Episcopi judicium neutram opinionem certam auctoritative facere potest, cum infallibile non sit ipsius judi-

(1) Adhibentur hæc ipsa verba in indice tractatus *de Synodo* Benedicti XIV, verbo *Episcopus.*

cium. Unde si velit Episcopus de hisce controversis quæstionibus disserere, id quidem tanquam doctor privatus facere potest; et tunc tanti valebit ejus sententia, quanti rationes ab eo adductæ : at nequit sibi potestatem vindicare, eas episcopali auctoritate dirimendi. Hinc Benedictus XIV (*de Synodo*, L. 7, c. 11, n. 2) agens de quadam ejusmodi controversia, sic concludit : « Neque fas erit Episcopo... quidquam de ejusmodi « controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi ar« rogare partes judicis inter gravissimos hac super re inter se « contendentes theologos. » Præterea si fas foret uni Episcopo, stantibus pro et contra doctoribus, alteram ex oppositis opinionibus veram auctoritative pronuntiare, et tenendam præcipere, pari jure posset alter Episcopus oppositam diœcesanis suis injungere. Unde domicilium mutantes, id est, ex una in alteram diœcesim migrantes, tenerentur simul sententiam mutare. Quod consectarium quam sit absonum, nemo non videt.

Propositio IVª. — *Ex eo quod clericus Episcopi sui sententiam, in dictis quæstionibus controversis, non teneat, nec in praxi sequatur, haud licet Episcopo ullatenus in eum animadvertere.* — Utitur enim tunc clericus jure suo, ut patet ex dictis; nec proinde juste potest eum Episcopus ulla pœna eam ob causam afficere.

CAPUT VII.

QUID POSSINT VEL NON POSSINT EPISCOPI RELATIVE AD PONTIFICIAS BULLAS SEU CONSTITUTIONES.

Quæstio Iª. — *An Pontificiæ leges obligare valeant absque Episcoporum acceptatione? Remissive.* — Certum est, haud requiri Episcoporum consensum, ut vim obligandi habere possint Summorum Pontificum decreta et leges. Id vide probatum in meo tractatu *de Principiis juris canonici*, pagina 165.

Quæstio IIª. — *An de facto consentiat Sedes Apostolica, ut*

leges suæ statim non obligent, nisi ab Episcopis acceptentur? Remissive. — 1° Licita est sententia, quæ tenet, consentire Sedem Apostolicam ut lex sua statim non obliget, si Episcopo haud utilis in sua diœcesi videatur, modo tamen Episcopus supplicationem ad Summum Pontificem mittat, rationesque exponat, ob quas non urgeri legem in sua diœcesi expostulat. Tempore scilicet quo ejusmodi supplicatio dirigitur, et donec rescribatur ad urgendam legem, suspensa remanet legis obligatio : non quidem ex defectu potestatis in Pontifice ad statim obligandum, sed ex defectu voluntatis. Quod si rescribatur non probari rationes expositas, statim lex urgere incipit. Hæc, inquam, sententia licite in scholis catholicis defendi potest, atque eam revera tenent gravissimi et probati auctores; non tamen ad omnes Pontificias leges eam extendendo, sed ad quasdam dumtaxat earum species. Quæ omnia vide discussa in meo tractatu *de Principiis* (parte 2, sect. 2, c. 5).

2° Sedes Apostolica non consentit *absolute* ut non obliget lex sua, si eam Episcopus non acceptet; sed tantum *conditionate*, id est, sub conditione quod Episcopus supplicationem expediat, et rationes exponat. Qua conditione non verificata, id est, si Episcopus dictam supplicatiouem non mittat, statim urget lex, quantumvis eam Episcopus non acceptet. Nec gravis reatus immunis foret Episcopus, qui legem non acceptans, ab expedienda dicta supplicatione abstineret. Quod pariter vide probatum in meo tractatu *de Principiis* (loco cit., § 3).

QUÆSTIO III^a^. — *An obliget Pontificia lex, Romæ promulgata, antequam in provinciis promulgetur? Remissive.* — Respondendum affirmative, nisi expresse requirat Pontifex ejusmodi in provinciis promulgationem, ad inducendam obligationem. Vide id probatum in meo tractatu *de Principiis* (parte 2, sect. 2, c. 6).

QUÆSTIO IV^a^. — *Quatenus Episcopis illicitum sit examini suo aut approbationi Litteras Apostolicas subjicere, earumve executionem quovis modo impedire.* — 1° Magni schismatis Occidentis tempore, Episcopis concessit Urbanus VI, « ut in eorum

« civitatibus et diœcesibus Apostolicæ Litteræ executione carerent, nisi ab ipsismet Prælatis, vel eorum officialibus essent antea examinatæ atque approbatæ : idque statim in consuetudinem et veluti in legem deductum est, pluribusque synodalibus statutis firmatum ac roboratum. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 2.)

2° Hæc concessio postea revocata fuit a Bonifacio IX, et revocationem confirmavit Martinus V. Nihilominus sub Leone X Carthaginiensis et Toletana Synodi adhuc statuerunt, Litteras Apostolicas a loci Ordinario examinandas fore et approbandas; atque a præfato Pontifice ejusmodi statuti confirmationem petierunt. « Sed hic (inquit Benedictus XIV), indecens, absonum, quinimo et temerarium reputans quod, quæ erant a Summo Pontifice gesta, ea inferiorum examini et judicio subessent, nedum porrectam sibi supplicationem rejecit, sed nova insuper edita Apostolica Constitutione memoratas Bonifacii IX et Martini V sanctiones approbavit et restauravit, et quæcumque illis contraria statuta tam in præfatis Toletana et Carthaginiensi, quam in aliis quibusque Synodis facta et attentata, irrita esse voluit : et ne ulla eorumdem memoria ullo unquam tempore exstaret, eadem e libris seu codicibus, in quibus scripta atque adnotata reperiebantur, ita obliterari et radi præcepit, ut amplius legi non possent. » (*De Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 3.)

3° Episcopis ergo fas non est Apostolicas Litteras examini ac judicio suo subjicere, aut necessarium ejusmodi prævium examen et judicium decernere, ut dictæ Litteræ executionem sortiri valeant. Id per se patet, atque ex modo notatis clare evincitur.

4° Item graviter delinqueret Episcopus, qui Apostolicarum Litterarum executionem quovis prætextu impediret, aut impedientibus juvamen præstaret : imo excommunicationem ipso facto incurreret. Etenim Clemens VII (in sua Constitutione 47, Bullarii tomo 4, parte 1) declaravit « se in suis Litteris in die Cœnæ Domini lectis et promulgatis, anathemate per-

« culisse et iterum percellere, quicumque Litterarum Apo-
« stolicarum executionem quovis prætextu impedirent, aut
« impedientibus consilium, auxilium et favorem præberent. »
(Benedictus XIV, *de Syn. diœces.*, l. 9, c. 1, n. 4.)

CAPUT VIII.

DE POTESTATE EPISCOPORUM DISPENSANDI IN LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

Quæ hic expendenda veniunt exponemus hoc ordine : 1° confutabimus erroneam opinionem quæ tenet, dispensare posse Episcopum in universalibus Ecclesiæ legibus, nisi Papa dispensationem sibi expresse reservaverit; 2° tradimus regulas ad dignoscendum an in aliqua lege dispensandi facultas Episcopis concessa fuerit; 3° dicemus de potestate Episcopi dispensandi in jejuniis, et in lege abstinendi ab operibus servilibus; 4° de potestate Episcopi dispensandi in lege abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis quadragesimali tempore ; 5° de potestate Episcopi dispensandi in nonnullis aliis materiis.

§ I.

Erronea est prorsusque rejicienda opinio, quæ tenet, Episcopum dispensare posse in universalibus Ecclesiæ legibus, nisi Papa dispensationem sibi expresse reservaverit.

I. *Quinam auctores dictam erroneam opinionem tenuerint.* — De hac opinione sic habetur apud Ferraris (sub finem art. 5, verbo *Episcopus*) : « Falsa enim est opinio illa, quod Episco-
« pus, modo speciatim non sit prohibitus, valeat ab Ecclesiæ
« legibus dispensare. Fuit olim, non inficior, opinio hæc divi
« Antonini.., Soti.., Victoriæ..; et in præsens omnium fere
« Gallorum. At opinionem hanc confutarunt Wiestner (ad
« titulum decretalium *de Constitutionibus*, n. 199), Leurenius

« (ad eumdem titulum, quæst. 182 et seq.), Suarez (*de Legibus*, l. 6, c. 14), Pontius (*de Matrimonio*, l. 8, c. 7)..., et « qui priori loco commemorandus erat Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 5 et seq.). Et jure quidem meritoque : nulla enim inferiori potest esse potestas dispensandi a legibus superioris, nisi hæc ei potestas fiat a superiore. »

II. *Probatur cum Suaresio rejiciendam esse præfatam opinionem.*

1° Sic quæstionem adducit Suarez (*de Legibus*, l. 6, c. 14) : « Superest difficultas gravis : an inferior, jurisdictione ordinaria, possit vi sui muneris dispensare in lege superioris. « Quod solet quæri de Episcopo respectu Papæ, seu juris « communis... ; an possit dispensare in omnibus legibus Pontificiis, quando non est specialiter prohibitus. »

2° Fatetur a *multis* auctoribus teneri affirmativam sententiam : « Dicunt... multi, quoties Pontifex expresse non prohibet dispensationem, sed simpliciter legem fert, Episcopum posse in ea dispensare. » Et tanquam huic opinioni adhærentes citat sanctum Antoninum, Sotum et Victoriam.

3° Conclusionem, quam veram existimat et propugnandam aggreditur, ponit in hunc modum : « Nihilominus dicendum « censeo, non posse Episcopum dispensare in lege Pontificis « vel Concilii, nisi in casibus sibi concessis. » Atque ibi enumerat multos glossatores aliosque doctores, hanc doctrinam tenentes ; inter quos et sanctum Thomam *sine dubio* esse recensendum dicit.

4° Conclusionem suam ita firmat : « Probatur primo ex « Clementina *ne Romani (de Elect.)*, ubi dicitur, inferiorem non « posse tollere legem superioris, et statim explicatur, *abrogando, dispensando*, etc. Idem sumitur ex capite *inferior (de Majoritate et Obed.)* ; et capite *inferior* (21 distinctionis) ; « capite *sunt quidam* et capite *ideo* (25, q. 2) ; et ex lege 1 codicis (Justinianei), *de legibus*.

« Et ratio est, quia inferior non potest irritare vel impedire « voluntatem superioris, non solum ipso invito, sed etiam ipso

« non consentiente ; ergo non potest dispensare in lege propter solam non prohibitionem specialem ; sed necessaria est positiva concessio per voluntatem expressam, vel saltem tacitam aliquo sufficienti modo significatam. Antecedens patet..., quia rectitudo gubernationis postulat, ut voluntas superioris prævaleat contra voluntatem inferioris, nisi superior ipse cedat. Ad hoc autem necesse est ut tollat priorem voluntatem, quod non fit nisi per positivum consensum vel concessionem. Consequentia vero clara est : quia dispensatio aufert voluntatem superioris seu impedit effectum ejus in particulari materia.

« Confirmatur, quia dispensatio est actus jurisdictionis : sed inferior, ut sic, non habet jurisdictionem circa legem superioris, nec circa personas illi subditas, formaliter in eis talem subjectionem considerando, quia est altioris rationis, ut sic dicam ; ergo non habet inferior potestatem dispensandi in lege superioris, nisi ei concedatur.

« Dices, ratione officii concedi, eo ipso quod officium datur. Sed hoc est quod contendimus, falso et sine fundamento dici ; quia illa implicita concessio seu consecutio neque ex natura rei habetur, ut probant rationes factæ, quia illud munus et officium absolute inferius est et subordinatum superiori ; neque in illa intelligitur concessa virtus supra actionem vel effectum superioris. Neque etiam illa consecutio habet in jure fundamentum, quia potius generales regulæ juris sunt in contrarium, ut ex allegatis constat. Et optimum argumentum est, quia quando jura volunt concedere hanc potestatem inferiori, id declarant, ut statim dicemus : et e converso multæ irregularitates, suspensiones, etc., non possunt ab Episcopis dispensari juxta receptam doctrinam, de quibus non invenitur prohibitio, sed tantum quia non inveniuntur concessæ ; ergo signum est, requiri concessionem præter officium, ut inferior possit in lege superioris dispensare. Hoc autem fiet evidentius et explicabitur amplius respondendo ad fundamenta contraria.

« Et imprimis axioma, *Episcopus potest in suo episcopatu, quidquid Papa in Ecclesia, nisi prohibeatur*, et nullo jure fundatum « est, et in rigore censeo esse falsum, nisi multis modis limi« tetur... Si in aliquo sensu id tolerari potest, solum est « quoad ea quæ pertinent ad ordinariam gubernationem « moraliter necessariam vel convenientem ad salutem anima« rum, et considerando potestatem Episcoporum priusquam « Pontifex aliquid agendum statuat vel prohibeat : sic enim « intelligitur unusquisque Episcopus habere in tota sua diœ« cesi totam potestatem ; quia ex vi muneris conceditur, et « sic spectata non habet unde limitetur. Postquam vero Pon« tifex aliquid particulare per suam legem præscribit aut « prohibet, eo ipso excipit illud ab ordinaria jurisdictione in« ferioris. Et ideo nisi aliunde ei concedatur potestas dispen« sandi, non habet ex vi solius ordinariæ potestatis. Denique « dici potest, legem ipsam, eo ipso quod superioris est, secum « afferre prohibitionem, ut nullus inferior audeat in eam « falcem mittere, nisi ei concedatur ; neque præter hanc vir« tualem et quasi innatam prohibitionem alia formalis et « expressa per se requiritur. » (*De legibus*, l. 6, c. 14.)

5° Hancce doctrinam tanquam certam et omnino tenendam jamdudum communiter amplexi sunt probati doctores. « Nul« lus inferior (ait Leurenius) habet potestatem dispensandi in « legibus superioris, nisi superior expresse vel tacite conce« dat : Glossa..., Covarruvias..., Suarez..., Sanchez..., Ca« stropalao..., contra Sotum, S. Antoninum, etc. Dispensando « enim sine dicto consensu inferior mutaret jura superioris, « contra quod cavetur capite *cum inferior, de Majoritate et* « *Obedientia ;* et Clementina *ne Romani*, *de Electione.* Item « dispensando non consentiente superiore, inferior impediret « voluntatem superioris intendentis obligare omnes ; quod « non potest inferior, alias esset superior superiore. » (*Forum ecclesiasticum*, ad titulum *de Constitutionibus*, quæstione 182.)

III. *Confutantur rationes sententiæ oppositæ.* — Nullo solido fundamento niti sententiam illam facile perspici potest, ratio-

nes expendendo ad illam fulciendam adduci solitas ; quæ sunt sequentes :

1ª *Ratio.* — Certum est axioma, « posse Episcopum in episcopatu suo quidquid potest Papa in tota Ecclesia, exceptis « quæ Episcopis fuerint prohibita : » atqui potest Papa dispensare in omnibus ecclesiasticis legibus : ergo et poterit Episcopus, in iis pariter legibus dispensare, quoties dispensatio hæc non reperietur ipsi prohibita, seu Sedi Apostolicæ reservata.

Respondetur : dictum axioma, nedum certum sit, est e contra certo erroneum et rejiciendum, prout sequenti capite demonstramus.

2ª *Ratio.* — In capite *nuper* (29, *de Sententia excommunicationis*) de quadam excommunicatione sic pronuntiat Innocentius III : « A suo Episcopo vel a proprio sacerdote poterit « absolutionis beneficium obtinere...; quia conditor canonis « ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso con- « cessisse videtur facultatem aliis relaxandi. » Ibi dicitur de facultate absolvendi ab excommunicatione, eam Episcopo competere, hoc ipso quod non fuerit specialiter reservata Sedi Apostolicæ : sed nulla est ratio cur idem non dicatur de facultate dispensandi in quibuslibet legibus ecclesiasticis : ergo nisi Papa facultatem in aliqua lege dispensandi sibi specialiter reservaverit, hoc ipso in ea lege dispensare poterit Episcopus.

Respondetur : 1° Peccat argumentatio hæc, et falsa est minor syllogismi, ex eo quod in ea fiat *transitus a genere ad genus*, ut loquuntur dialectici. Aliud nempe est *absolutio* ab excommunicatione, et aliud *dispensatio* in legibus : et ex facultate absolvendi ab excommunicatione non reservata, perperam infertur facultas dispensandi in legibus quando legislator dispensationem sibi expresse non reservavit. Nam quando legislator excommunicationem decernit, hoc tantum vult, ut excommunicatio incurratur : si autem velit insuper ut alii nequeant ab illa excommunicatione absolvere, necesse est

ut illud exprimat ; quia simplex actus excommunicationem decernendi hanc voluntatem secum non importat. E contra quando legislator simpliciter aliquid ab omnibus fieri præcipit, hoc ipso vult omnes hac sua lege ligari ; et consequenter vult hanc obligationem a nemine tolli posse : ergo nisi simul ipsemet aliquibus facultatem concedat in ea lege dispensandi, nullus dispensare poterit. Unde præmissa argumentatio, qua præcipue veteres nonnulli canonistæ in errorem inducti sunt, merum sophisma est.

2o Si valeret dicta argumentatio, sequeretur absurdum : posse nempe etiam a parocho dispensari in omnibus legibus, quando Sedes Apostolica dispensationem sibi expresse non reservavit : nam potest parochus, sicut et Episcopus, absolvere ab excommunicatione non reservata, prout habetur in ipsomet objecto capite *nuper*. Ergo si a potestate absolvendi ab excommunicatione non reservata legitime fieret illatio ad dictam potestatem dispensandi in legibus, hæc posterior potestas parochis etiam esset tribuenda ; quod absonum est, et ab omnibus rejicitur.

3a *Ratio.* — Expedit ad bonum animarum, ut Episcopus potestatem habeat dispensandi in legibus ecclesiasticis, quando Sedes Apostolica dispensationem sibi expresse non reservavit : alias enim in multis casibus, ob difficultatem Romam recurrendi, sequeretur animarum detrimentum : potestas autem qua expedit muniri Episcopos, ipsis cum officio commissa censenda est : ergo.

Respondetur : Quoad dictos casus sufficienter providit jus commune, potestatem dispensandi Episcopis in iis casibus concedens, ut mox videbimus. Quod autem dispensandi facultatem habeant Episcopi generaliter quoad omnes leges ecclesiasticas, ex hoc ipso quod dispensationem sibi expresse legislator non reservaverit, non tantum expediens non est, sed valde nocivum potius foret, supremam Ecclesiæ legislativam potestatem subvertendo.

4a *Ratio.* — In festorum et jejuniorum observatione dispen-

sationes solent ab Episcopis peti, et ab ipsis sine scrupulo concedi.

Respondetur : Quia quoad istas leges, ex legitime præscripta consuetudine, merito concluditur adesse tacitam Sedis Apostolicæ concessionem, concedo : quia illam potestatem sibi vindicare possent Episcopi, etiamsi non adesset tacita illa Sedis Apostolicæ concessio, nego.

§ II.

Regulæ ad dignoscendum an in aliqua lege dispensandi facultas Episcopis concessa fuerit.

Regula Iª. — *Certum est dispensandi facultatem Episcopo fuisse concessam, si hoc in jure, id est, in ipsa lege a Papa, vel a Concilio lata, expressis terminis dicatur.* — Per se patet. Et sunt revera plures Pontificiæ Constitutiones et Conciliorum sanctiones, ac Tridentini etiam Concilii decreta, in quibus, dum aliquid præscribitur, simul expresse Episcopis tribuitur dispensandi facultas. Vide plura exempla indicata apud Ferraris (v. *dispensatio*, n. 25).

Regula IIª. — *Concessam habent Episcopi dispensandi facultatem, quando in lege dicitur posse in ea dispensari, quamvis non addatur* AB EPISCOPIS. — Quando enim dicitur *posse dispensari*, verba hæc non ponuntur relative ad Papam, qui semper de jure facultatem dispensandi habet : hinc verba hæc merito posita censentur ad tribuendam dispensandi facultatem Episcopis, aliisque Prælatis inferioribus, jurisdictionem ordinariam habentibus. Vide id auctoritatibus probatum apud Ferraris (verbo *dispensatio*, n. 26).

Regula IIIª. — *Concessa Episcopis censenda est dispensandi facultas, quando urget necessitas, et periculum est in mora.* — Si enim absque animarum detrimento recurri non possit ad Summum Pontificem, et expectari Pontificia dispensatio, me-

rito censetur auctor legis, nimirum Summus Pontifex, vel Concilium œcumenicum, pro hujusmodi casu facultatem dispensandi Episcopis fecisse. Quod vide probatum apud Ferraris (verbo *dispensatio*, n. 27).

REGULA IVª. — *Concessa Episcopis censetur facultas dispensandi in aliqua lege, quando adest consuetudo legitime præscripta ut in ea lege dispensent.* — Vide apud Ferraris, verbo *dispensatio*, n. 28. Ut autem merito censeatur talis consuetudo adesse, non sufficit diuturnitas, neque Summi Pontificis consuetudinem scientis silentium; sed insuper necesse est ut absque gravi damno reclamare et legem urgere valeat : tunc nempe si taceat, merito videtur consentire ut Episcopi dispensent : prout in tractatu *de Principiis*, probavimus. Et sic ex consuetudine dispensare possunt Episcopi quoad casus particulares, in lege jejunii, et in lege abstinendi ab omni servili opere, diebus festis.

REGULA Vª. — *Dispensandi potestatem habere censendi sunt Episcopi, quando dubium est an casus dispensatione indigeat.* — « Quia staute dubio an res indigeat dispensatione, vel potest « Episcopus declarare eam non requiri, vel ad cautelam dis- « pensare. » (Ferraris, verbo *dispensatio*, n. 29.)

§ III.

De potestate Episcopi dispensandi in jejuniis, necnon ad laborandum in diebus festis.

« Episcopi possunt dispensare cum subditis suis pro casi- « bus occurrentibus; sed nonnisi ex justa causa; alias dis- « pensatio erit nulla. Si vero causa non videatur sufficiens ad « dispensandum, vel dubitetur an sufficiat, poterit Episcopus « partim dispensare et partim commutare jejunium in aliud « pium opus.

« Potest etiam Episcopus ob aliquam specialem causam

« dispensare pro una vice in lege universalis jejunii aut com« mutare; cum ejus officium sit saluti suarum ovium invigi« lare; et scandala infirmorum tollere, puta si periculum sit « alicubi jejunium non observari : ita Layman.., Azor.., et « Salmanticenses. Sed Summus Pontifex Benedictus XIV, in « Bulla *prodiit jamdudum*, § 10 (vide Bull., tom. 3), dixit sen« tentiam oppositam, nimirum non posse Episcopos pro uni« verso grege dispensare in lege jejunii, esse non modo com« muniorem..., sed etiam magis rationi consentaneam. Et sic « ait ipse respondisse quibusdam Episcopis rogantibus an « possent vigiliam S. Mathiæ occurrentem in ultimo die bac« chanaliorum ad præcedens sabbatum transferre. Hinc ipse « Benedictus licentiam eis impertivit, ut pro illo anno præ« dictam vigiliam anticiparent. » (S. Ligorius, l. 3, n. 1032.)

« Parochi etiam (licet dubitetur inter doctores, an ex vi « juris communis possint dispensare in jejuniis) jure tamen « consuetudinis certe id possunt ex justa causa cum suis sub« ditis particularibus, non vero pro tota parochia... Id pos« sunt etiam vicarii parochorum, qui exercent actus paro« chiales jurisdictionem exigentes nisi parochi expresse repu« gnant. » (Ligorius, l. 3, n. 1032.)

« Non potest tamen auctoritate Episcopi anticipari vigilia « S. Mathiæ, etiamsi occurrat ultima die bacchanalium : S. « Rituum Congregatio, 23 januarii 1694, et 11 julii 1699; « apud Monacelli, parte 2, tit. 16, formula 4, n. 12. » (Fer« raris, v. *jejunium*, art. 1, n. 26.)

« In præcepto abstinendi ab opere servili dispensare po« test, *primo*, Pontifex, ut supremus legislator et pastor, in « omnibus festivitatibus, et pro tota Ecclesia : *secundo*, Epi« scopus in sua diœcesi, et etiam capitulum, sede vacante. « Et notandum quod Episcopi dispensare possunt etiam in « festis communibus: notandum tamen, quod si in iis dispen« sent sine justa causa, peccant graviter, et invalida est dis« pensatio. *Tertio*, parochus dispensare potest, quando sub« ditus nequit adire Episcopum, sed tantum ad tempus, et

« pro aliquo particulari casu. Vicarius generalis etiam potest « dispensare, sed tantum ex speciali mandato : nam ex gene- « rali ei non committuntur illa quæ gratiam sapiunt. Etiam « vero præsente Episcopo, parochi ex consuetudine possunt « dispensare in minutis et frequentibus necessitatibus, in iis « tamen rebus tantum, in quibus ex consuetudine introdu- « ctum est ipsos dispensare, prout in jejunio et in vacatione « ab operibus servilibus in festis. » (S. Ligorius, l. 3, n. 288.)

§ IV.

De potestate Episcopi dispensandi in lege abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis quadragesimali tempore.

Propositio Iª. — *Nequeunt Episcopi dispensare in lege abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis, nisi in casibus a jure concessis.* — Etenim lex illa universalis est, et ad jus commune pertinens. « Quemadmodum carnes (ait Benedictus XIV, in- « stitutione 16, n. 1), sic etiam lacticinia et ova quadragesimæ « tempore prohibentur ; quod S. Thomæ aliorumque theologo- « rum doctrina comprobatur: *In quolibet jejunio interdicitur esus* « *carnium; in jejunio autem quadragesimali interdicuntur univer-* « *saliter etiam ova et lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis* « *jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas* « *quisque observare debet secundum morem eorum inter quos con-* « *versatur* (1). »

Proinde huic legi applicandum est quod generatim supra diximus de iis decretis quæ ad jus commune pertinent, et per auctoritatem singulis Episcopis superiorem sancita sunt. In ejusmodi nempe legibus dispensare nequeunt Episcopi extra casus nonnullos a jure permissos. Casus autem illi, prout supra etiam firmavimus, sunt sequentes : 1° si lex ipsa dispensandi

(1) S. Thomas, 2. 2, q. 147, art. 8, ad. 3.

in ea facultatem Episcopis expresse concedat : 2° si in ea dicatur, *posse dispensari*, quamvis non addatur *ab Episcopis ;* quia verba hæc de Episcopis intelligenda sunt : 3° si urgeat dispensandi necessitas et periculum sit in mora ; quia legislator pro hoc casu merito censetur Episcopis dispensandi facultatem fecisse : 4° quando adest consuetudo legitime præscripta ut Episcopi dispensent : 5° quando dubium est an casus dispensatione indigeat.

Propositio IIa. — *Cum particularibus personis dispensare potest Episcopus in dicta lege, ex justa causa.* — Adest enim quoad id consuetudo ; et in hanc consuetudinem merito censetur consentire Summus Pontifex ; quia moraliter impossibile est ut pro tam frequentibus ejusmodi casibus, particulares personas respicientibus, Pontificia dispensatio obtineatur : potiusque noxia quam utilis foret quoad dictos particularium personarum casus necessitas ad Sedem Apostolicam recurrendi. Hinc titulo dictæ consuetudinis merito censentur Episcopi, aliique Prælati ordinarii, imo et parochi, potestatem habere dispensandi in præfata lege cum singulis personis in particulari. Diximus autem *ex justa causa ;* quia dispensatio absque justa causa in lege superioris semper illicita est.

Propositio IIIa. — *In præfata lege absque Indulto Pontificio nequeunt Episcopi dispensare generaliter, seu quoad totam diœcesim, aut totam aliquam civitatem.* — Cum enim agatur de lege ad jus commune pertinente, Episcopi in ea dispensare nequeunt, nisi in casibus sibi a jure permissis. Atqui nullus alius est casus, in quo jus eis tribuat *generalem* in dicta lege dispensationem ediscendi, præterquam si hoc eis Summus Pontifex expresse concesserit. Nam si quis alius allegari posset casus, esset casus inductæ consuetudinis legitime præscriptæ, vi cujus Episcopi possent absque ullo a Sede Apostolica obtento Indulto, in dicta lege dispensare, etiam generaliter seu quoad totam respective diœcesim. Porro talis consuetudo vel non existit, vel certe legitima non est.

Id probari potest ex Constitutione *libentissime* Benedicti

XIV, 10 junii 1745 (in ipsius Bullario, tomo 1, n. 130); in qua sic habetur, § 11 et sequentibus :

« Maximam Nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehen-« dimus certis testimoniis, in quibusdam regionibus septen-« trionalibus, toto quadragesimæ cursu, lactis et ovorum « usum libere permitti, quia per plures annos eamdem facul-« tatem petierint, et a Sede Apostolica consecuti fuerint : « quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt, non esse « rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facul-« tate impetranda ; sed priores concessiones singulis annis « acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per qua-« dragesimam comprobetur...

« In Litteris nostris Apostolicis, quas anno 1741, ad omues « catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præ-« cludere cogitavimus, ea ratione illisque verbis, quæ rur-« sum hic subjicimus : *Debitum igitur paternæ uniuscujusque* « *vestrum sedulitatis et charitatis officium jure postulat, ut* « *omnibus notum faciatis et annuntietis ; nemini quidem sine le-* « *gitima causa et de utriusque medici consilio ; multitudini vero,* « *veluti populo aut civitati aut genti indiscriminatim integræ,* « *nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra* « *canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus* « *Sanctæ Sedis reverentia, a quadragesimali jejunio dispensatio-* « *nem, toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter fiden-* « *terque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut* « *alicubi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

« Porro Nos hanc normam secuti sumus, cum multitudi-« nem, veluti populum aut civitatem integram, quadragesi-« mali abstinentia immunem declaravimus : imprimis loci « Episcopus id postulare a Nobis debuit, ac de gravissima « urgentique necessitate suum testimonium interponere. « Deinde carnes minime permissæ fuerunt, si lactis et ovo-« rum usus satis esse videatur. Tum vero facultas edendi « carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi « testimonio id omnino necessarium judicaretur, nec suffi-

« ciens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum « et lacticinia concederentur... Postremo, eam conditionem « semper addidimus, ne jejunii lex uuius per diem comestio- « nis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et « pisces apponerentur. »

Postea docet Benedictus XIV, legitimas causas ad dispensandum a quadragesimali abstinentia cum tota diœcesi aut civitate, esse solummodo aliquem morbum epidemicum seu communem, necnon si in aliqua regione pisces et oleum comparari nequeant; in quo posteriori casu locus est permittendis ovis et lacticiniis; imo et permittendis carnibus, si lacticinia quoque et ova deficiant. Unde monet Episcopos ne propter alias causas a Sede Apostolica Indultum postulent pro dictis generalibus dispensationibus, ne repulsam patiantur.

« Hæc vobis inculcanda putavimus. Reliquum est, ut vos « hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendæ fa- « cultatis utendi carnibus et lacticiniis tempore quadragesimæ « pro universa civitate vel diœcesi..., si... non aliter quam « servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad « Nos deferetur, non solum ii fructus provenient quos jam « indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nos- « que pariter ea molestia vindicabitis quam ferimus, dum « votis vestris minime obsecundamus. »

Circa illam Pontificiam Constitutionem, hæc quoad quæstionem nostram adnotanda veniunt :

1° Suam Constitutionem dirigit Benedictus XIV ad omnes mundi Episcopos : ut adeo quæ in illa sanciuntur vim juris communis habeant.

2° Tanquam certum supponit Pontifex non posse Episcopos in dicta lege abstinentiæ generales dispensationes concedere, nisi ex Indulto Pontificio. Imo tota fere Constitutio in eo vertitur ut Episcopos edoceat quandonam expediat ejusmodi Indultum ab ipsis postulari, vel non postulari.

3° Quod possit aliquis in mundo Episcopus dictas generales dispensationes propria auctoritate, seu absque Indulto Ponti-

ficio, concedere, ne vel minimo verbo innuit aut supponit Benedictus XIV.

4° Quando commemorat quarumdam regionum septentrionalium praxim, ovis et lacticiniis absque Indulto Pontificio utendi, sub eo prætextu quod Indultum hoc pluries a Sede Apostolica petierint et obtinuerint, praxim illam vocat corruptelam.

5° Vult ab Episcopis notum omnibus fieri, haud concedendam fore alicui multitudini dictam dispensationem nisi ex gravissima et urgente necessitate, et nisi *cum debita Apostolicæ Sanctæ Sedis reverentia;* quæ verba ibi idem sonant ac si diceretur, nisi postulato et obtento Pontificio Indulto.

6° Hoc loquendi et agendi modo palam abunde fecit Benedictus XIV, se nequaquam consentire consuetudini, si qua forte exstiterit, ut Episcopi propria auctoritate et sine Indulto Pontificio generales ejusmodi dispensationes concederent.

7° Ergo dicta consuetudo, sicubi exstiterit, tempore Benedicti XIV, illegitima fuit. Nam consuetudo contra jus commune, tunc tantum legitima evadit, quando Summus Pontifex eam noscens et silens, merito præsumitur in eam consentire. Cum ergo ille consensus quoad consuetudinem de qua agitur merito præsumi nequeat, consuetudo illa certo illegitima fuisse censenda est.

8° Etiam hodie si exstaret alicubi dicta consuetudo, pro illegitima habenda foret. Nulla enim est ratio cur supponatur Sedes Apostolica, quæ hujusmodi consuetudini antea non consentiebat, hodie consentire.

Objicies.— Episcopi Galliæ a tempore Concordati anni 1801, solent absque Indulto Pontificio generaliter quoad totam respective diœcesim in dicta lege a carnibus, ovisque et lacticiniis abstinendi dispensare. — Respondeo : id documentis probandum foret; nec nisi probatum admittendum est, ne dicendum sit dictos Præsules potestatis suæ limitem in hoc excessisse. Quomodo enim tacitus Sedis Apostolicæ consensus quoad talem praxim merito præsumi potuerit ego non video. Qui tamen

expressus vel tacitus consensus nisi adfuerit, certe anticanonica exstitit hujusmodi agendi ratio.

PROPOSITIO IV^a. — *Haud recte agerent Episcopi, qui obtento Pontificio Indulto, ut quoad suas diœceses generaliter in dicta lege dispensare valeant, hancce dispensationem edicerent, nulla facta Pontificii Indulti mentione.* — Etenim sic agendo, 1° errori ansam præbent, quo nonnulli existiment penes unumquemque Episcopum stare, ut universales Ecclesiæ leges abroget aut immutet ; neque soli Romano Pontifici potestatem hanc competere. Porro periculosum semper est erroribus circa dogma catholicum occasionem præbere. 2° Oriri inde potest dubium in cleri ac nonnullorum fidelium mente, num legitima sit dispensatio. Cum enim Episcopus propria auctoritate dispensationem hanc concedere nequeat, et tamen nulla fiat Indulti Apostolici mentio, ingeritur occasio pertimescendi ne forte legitimus non sit dispensationis usus. Et quantumvis talis dubitatio fundamento careat, cum præsumendum nequaquam sit Episcopum absque Indulto Pontificio dictam dispensationem concessisse, tamen vel hoc ipsum vitari expedit, ne tale dubium moveatur. 3° Tandem id quod nonnisi Pontificia auctoritate fit et fieri potest, ita exequi ut propria potestate fieri videatur, haud satis sapit christianam simplicitatem, et illam, quæ nunquam nimia esse potest, erga Petri successorem Christique Domini in terris Vicarium debitam observantiam.

§ V.

De potestate Episcopi dispensandi in nonnullis aliis materiis.

QUÆSTIO I^a. — *An possit Episcopus dispensare in sacris ritibus?* — « Dispensationes super ritibus ecclesiasticis a S. Sede « petendæ sunt, nec, ea inconsulta, ab alio quolibet concedi « possunt. Benedictus XIV, tomo 1 Constit. 107 incipiente « *omnium.* » (Apud Ferraris, v. *dispensatio,* additio ex auctore, n. 34.)

QUÆSTIO II^a. — *An dispensare possit in decretis provincialis Concilii?* — « Super legibus vero superioris Episcopus regu-« lariter nequit dispensare; non solum super jure Pontificis, « sed nec super Synodo provinciali. Quinimo nec Archiepi-« scopus dispensare valet super Synodo provinciali, quum ab « ipso tanquam inferiori ad provincialem Synodum appelle-« tur. » (Apud Ferraris, v. *dispensatio, novæ additiones ex aliena manu*, n. 14 et 15.)

QUÆSTIO III^a. — *Quatenus dispensare valeat in suis et Synodi diœcesanæ legibus?* — « Possunt (Episcopi) dispensare, non « solum super propriis constitutionibus, verum et super legi-« bus Synodi diœcesanæ. Duo vero excipiuntur casus : prior « est, si constitutio a Summo Pontifice confirmata fuit in « forma, ut aiunt, non *communi*, sed *specifica*. Alter est si « constitutio abierit in contractum. » (Apud Ferraris, verbo *dispensatio, novæ additiones ex aliena manu*, n. 10 et seq.)

Nota. — De potestate Episcopi dispensandi in votis et irregularitatibus, dicitur infra, specialibus capitibus.

CAPUT IX.

AN POSSIT IN DIŒCESI SUA EPISCOPUS QUIDQUID POTEST PAPA IN UNIVERSA ECCLESIA, EXCEPTIS IIS QUÆ SIBI SEDES APOSTOLICA SPECIALITER RESERVAVERIT.

PROPOSITIO I^a. — *Quod ita possit Episcopus tenuerunt nonnulli doctores.* — Plures enumerat Fagnanus (in cap. *dilectus, de Temp. ordin.*, n. 16; et in cap. *perniciosam, de Offic. ordin.*, n. 28) : « Quæro, inquit, an vera sit eorum opinio, qui putant « Episcopos jure divino in sua diœcesi posse quidquid potest « Papa in tota universali Ecclesia, exceptis his quæ Papa sibi « specialiter reservavit? Id enim affirmant Soto..., Sanchez « (*de Matrimonio*, l. 1, disp. 61, n. 3)... Existimo hanc do-« ctrinam falsam esse. » (In cit. cap. *perniciosam*, n. 28.)

PROPOSITIO IIª. — *Si vera foret præfata opinio, sequeretur posse ab Episcopis quoad suas diœceses irritari omnes fere Summorum Pontificum et œcumenicorum Conciliorum disciplinares leges, atque in eis dispensari, et sic totum ferme commune jus canonicum subverti.* — Etenim certum est posse Papam derogare quibuslibet Pontificiis et œcumenicorum Conciliorum legibus, atque in eis dispensare. Aliunde hujusmodi legum quam maxima pars nequaquam adjunctam habet clausulam, qua expressè prohibeantur Episcopi eis derogare aut in eis dispensare. Ergò si verum sit, posse Episcopos in suis diœcesibus quod Papa in toto orbe, exceptis specialiter quoad ipsos prohibitis, poterunt omnes ferme ecclesiasticas leges inanes reddere, sicque jus canonicum et Pontificiam auctoritatem maxima ex parte subvertere.

PROPOSITIO IIIª. — *Præfata opinio prorsus erronea est atque rejicienda.* — 1° « Etenim, uti pariter argumentatur Suarez « (l. 6 *de Legibus*, c. 14, n. 4 et 6), etiam seclusa superioris « prohibitione, nequit inferior legem ab eodem superiore « latam aut abrogare aut relaxare. Superior quippe, statim « ac aliquid per suam legem præscribit aut prohibet, illud « subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea « non licet in illam falcem immittere nisi velit suam volunta- « tem anteponere voluntati superioris, per legem manifesta- « tæ : quod profecto esset suæ subjectionis jugum excutere, « et eum *qui majoris potestatis est judiciis suis addicere*, *aut* « *propriis definitionibus subjugare ;* quam intolerabilem inso- « lentiam reprehendit Nicolaus I, in epistola ad Michaelem « imperatorem, relata in canone *inferior*, distinctionis 21. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 5, editionis in 13 libros divisæ.)

2° Qui habet plenam potestatem legislativam, seu plenam potestatem subditos regendi atque gubernandi, hoc ipso potest eos legibus suis ligare, quin addat clausulam, qua sibi specialiter reservet eas leges abrogandi aut in iis dispensandi facultatem. Non enim plenam haberet potestatem legislativam, si

leges ipsius non possent obligare nisi cum addita ejusmodi clausula. Quis unquam somniabit codici Napoleonis addendam esse clausulam *ne subditi valeant eum abrogare aut in eo dispensare*, ut codex ille obligatorius sit, et subditorum nemini liceat leges in eo contentas relaxare? Hoc ipso quod legislator simpliciter præcipiat aut prohibeat, urget quoad subditos parendi necessitas. Si autem parere teneutur, absonum est posse eos legem abrogare aut in ea dispensare. Id luce meridiana clarius est. Hinc tota quæstio ad hoc reducitur, an valeat Papa et Concilium œcumenicum ipsos etiam Episcopos legibus obligare. Jam vero id qui negat a doctrina catholica palam deficit. Quod enim Romano Pontifici universalem Ecclesiam regendi ac gubernandi *plena* potestas competat, de fide est, et a Florentino Concilio expresse fuit definitum. Habet ergo Papa, sive in Concilio œcumenico, sive extra illud, *plenam* Episcopos obligandi potestatem. Ergo habet potestatem eos obligandi per legem simpliciter et absque speciali dicta clausula promulgatam. Ergo ejusmodi legem abrogare aut in ea dispensare non possunt Episcopi. Papa autem quamlibet Pontificiam ac Conciliarem legem potest abrogando aut dispensando relaxare. Ergo falsa prorsus est assertio hæc : possunt Episcopi in sua diœcesi, quidquid potest Papa in universali Ecclesia, exceptis iis quæ sibi Papa *expresse* reservavit.

3° Cujus opinionis falsitatem arguit etiam absurdum ex ea necessario fluens consectarium, sub præcedenti propositione jam indicatum, quodque sic exponit Fagnanus (in cap. *nimis, de Filiis pr.*, n. 44) : « Unde etiam apparet, longe minus admittendum esse, jure ordinario Episcopum dispensare contra legem Concilii generalis vel Summi Pontificis, quoties dispensandi facultas illi non adimitur : hæc enim doctrina, nisi temperetur..., falsa et periculosa est, et nullatenus ad praxim deducenda. Nam inferiorem posse contra legem superioris absolute dispensare, nihil est aliud quam caput membris et superiora inferioribus subjicere, et ordinem

« naturalem invertere, et ecclesiasticam hierarchiam confun-
« dere Dei ordinatione institutam. Præsertim vero quia mos
« sacrorum canonum et Conciliorum est fere ubique simpli-
« citer præcipere aut prohibere, quid faciendum vel non fa-
« ciendum : raro autem descendunt ad prohibitionem dispen-
« sationis. Unde si liceret Episcopis dispensare quotiescum-
« que dispensatio in specie non prohibetur, consequenter
« esset in eorum facultate totum jus commune et Concilia
« universalia subvertere, in singulis casibus dispensando,
« quod est erroneum asserere. »

4° Hujus opinionis falsitas probari solet pluribus juris textibus; e quibus duos tantum, cum Benedicto XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 7.) adducemus : « Primus est in Clemen-
« tina *ne Romani* (*de Elect.*); in qua Clemens V ait : *Nos inter*
« *cætera præcipue attendentes, quod lex superioris per inferiorem*
« *tolli non potest*...: idque ita intelligendum declarat, ut ne-
« queat ab inferiori *corrigi, vel immutari, aut quidquam ei de-*
« *trahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu*
« *aliquam ejus partem*. Alter textus est in capite *sancta Romana*
« (*de Religiosis domibus*) inter Extravagantes Joannis XXII,
« ubi legitur : *Quidam autem eorum dictum habitum et vivendi*
« *ritum a quibusdam Episcopis seu eorum superioribus, vel aliis*
« *ecclesiarum Prælatis habuisse profitentur; quos nec eis conce-*
« *dere licuit contra formam Concilii generalis*. Ad quem locum
« opportune notat Glossa (littera n.) : *Non licet igitur Episco-*
« *pis contra inhibitionem generalis Concilii facere, cum sint ad-*
« *stricti ad observantiam canonum*. » Ergo potestatem in Pontificiis et Conciliorum generalium legibus dispensandi atque eas abrogandi, quæ procul dubio Papæ competit, nequaquam habent Episcopi. Ergo falsum est principium istud, posse Episcopos in suis diœcesibus quidquid potest Papa in universali Ecclesia, exceptis iis quæ Papa sibi specialiter reservavit.

5° Multa sunt quæ, juxta receptam ab omnibus doctrinam, facere nequit Episcopus, quamvis nullibi exprimatur ea sibi reservasse Summum Pontificem : verbi gratia, edere defi-

nitiones circa fidem et mores; licentiam testandi concedere religiosis professis; dispensare cum religioso professo et cum clerico in sacris constituto, ut possit matrimonium contrahere; solvere vinculum matrimonii rati non consummati; dispensare in impedimentis matrimonii dirimentibus; abrogare ejusmodi impedimenta dirimentia vel nova inducere; instituere irregularitates; simplici sacerdoti committere ut sacramentum confirmationis ministret, vel sacrum chrisma conficiat, vel minores ordines conferat; indulgentias plenarias concedere; ecclesiasticas causas laico delegare; eas causas dirimere quæ *majores* vocantur, quæ quidem *jure divino* declarantur Sedi Apostolicæ reservatæ (can. *dudum* 3, q. 6), non autem ulla lege Pontificia reservatæ sunt. Ergo falsum est axioma istud, posse Episcopum in sua diœcesi quidquid potest Papa in universa Ecclesia, exceptis iis quæ expresse leguntur Episcopis prohibita, seu Romano Pontifici reservata (vide Wiestner, ad titulum 31 libri 1 Decretalium, n. 84).

Hoc erroneo axiomate et scriptoribus illud tanquam verum defendentibus decepti nonnulli Episcopi, ea interdum sibi usurpant atque attentant, quæ ipsorum potestatem prætergrediuntur, et soli Apostolicæ Sedi competunt; prout adnotat Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 1, n. 5).

Objicies 1°. — In capite *nuper* (29, *de Sententia excommunicationis*) sic habetur: *Quamvis enim et tunc, non judicis, sed juris sententia excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Hinc inferendum videtur, posse Episcopos in lege dispensare, quoties dispensationem sibi Papa specialiter non reservavit. — Respondeo cum Benedicto XIV: « Sapienter Gonzalez, ad dictum caput *nuper*, n. 3, animadvertit, id non esse extendendum ad alias materias, in quibus ex eo dumtaxat quod aliquid non sit expresse Episcopis prohibitum, non licet inferre, idem esse eisdem positive concessum: *speciale* enim illud esse ait *in absolutione a censuris:* eademque specialitate

« gaudere asserunt doctores dispensationem in impedimentis « quibusdam matrimonii mere impedientibus. » (Bened. XIV *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 1, n. 7.)

Objicies 2°. — Cum plurimi et gravissimi doctores dictæ sententiæ adhæreant, tanquam probabilis saltem admitti atque defendi sententia hæc poterit. — Respondeo : etsi opinio aliqua olim a multis et gravissimis doctoribus propugnata fuerit, si tamen eos in hoc errasse moderni communiter agnoscant, atque id peremptoriis argumentis rigorose probent, jam neque ut probabilis opinio illa haberi debet, sed omnino rejici. Id porro præsenti quæstioni applicandum videtur. Quod sic adnotatur apud Ferraris (verbo *Episcopus*, post articulum 5, sub rubrica *novissimæ additiones*) : « Falsa est opinio illa, quod « Episcopus, modo speciatim non sit prohibitus, valeat ab « Ecclesiæ legibus dispensare. Fuit olim, non inficior, opinio « hæc divi Antonini...; et in præsens omnium fere Gallorum. « At opinionem hanc confutarunt Wiestner..., Leurenius..., « Suarez (*de Legibus*, l. 6, c. 14), Mazzei..., et (qui priori « loco commemorandus erat) Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, « l. 9, c. 1, n. 5); et jure quidem meritoque. Nulla enim « inferiori potest esse potestas dispensandi a legibus supe- « rioris, nisi hæc ei potestas fiat ab ipso superiore. Frustraque « objicitur caput *nuper* 29, *de Sententia excommunicationis*. « Respondetur sermonem ibi esse de *absolutione* a censuris, « de qua longe diversa ratio est, quam de *dispensatione*... « Etiam evidens argumentum est quod in dicto capite *nuper*, « non solum Episcopo, sed etiam parocho censetur concessa « absolutio a censura canonis non reservantis. Nemo autem « dicet, parochum posse dispensare in omni lege, vel pœna, « non specialiter ipsi (1) reservata. »

(1) Dum dicitur *ipsi*, intellige *quoad ipsum*.

CAPUT X.

POTESTAS EPISCOPORUM DISPENSANDI AB IRREGULARITATIBUS.

Decrevit Tridentina Synodus in hunc modum : « Qui sua « voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen illud « nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, « sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines pro- « moveri possit... Si vero homicidium non ex proposito, sed « casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, « fuisse commissum narretur..., committatur loci Ordinario, « aut ex causa Metropolitano seu viciniori Episcopo, qui non- « nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec ali- « ter, dispensare possit. » (Sess. 14, c. 7.) « Liceat Episcopis « in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto « occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homici- « dio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum conten- « tiosum, dispensare. » (Sess. 24, c. 6.) Attenta illa duplici Tridentina dispositione, hæc de Episcoporum in irregularitatibus dispensandi potestate statui posse videntur :

1° Potest Episcopus in quibuscumque irregularitatibus ex *occulto delicto* provenientibus dispensare, exceptis casibus mox enumerandis.

2° « Nequit Episcopus dispensare in irregularitate prove- « niente ex homicidio voluntario *injusto,* directe intento quan- « tumvis sit occultum. » (Reiffenstuel, in tit. 12, libri 5 Decretalium, n. 219.) Patet ex Tridentino textu, in quo voces *ex homicidio voluntario,* communiter interpretantur doctores de homicidio *injusto.*

3° « Pariter non potest Episcopus dispensare irregularitate « quam ex homicidio *justo,* publica auctoritate facto, in judi- « cio sanguinis, et in bello justo, ob defectum lenitatis con- « trahunt judices, et alii officiales ac ministri...; item mili-

« tes. » (Reiffenstuel, ibid., n. 220.) Ita sententia communior et probabilior. Etenim in hoc casu nullum adest delictum : Episcopis autem non conceditur facultas dispensandi in irregularitatibus, nisi *ex delicto* proveniant. Confirmatur conclusio hæc consuetudine et praxi, quæ est optima legum interpres : « Constat enim Episcopos cum nullo ex præfatis ob defectum « lenitatis irregularibus dispensare, sed illos ad Curiam Ro- « manam dirigere solere. » (Reiffenstuel, loco cit., n. 220.)

4° Potest Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio *occulto injusto,* si homicidium non fuerit *directe intentum* seu simpliciter *voluntarium.* Contingit hic casus, quando quis homicidium patrat, non ex præmeditatione, sed ad sese defendendum; et simul peccat non servando moderamen inculpatæ tutelæ : item contingit casus quando quis, in venatione (verbi gratia) occidit hominem, putando esse belluam, et simul peccat ex eo quod non adhibuerit cautiones aut diligentiam, quas adhibere tenebatur. In hisce casibus homicidium est peccaminosum, at non *simpliciter voluntarium.* Porro Tridentina Synodus, Episcopis conferendo facultatem dispensandi in *omnibus* irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepit dumtaxat eam quæ oritur ex homicidio *voluntario;* quæ vox de homicidio *simpliciter voluntario* intelligenda est. Ergo prædicti casus, in quibus homicidium, etsi injustum, non tamen est *simpliciter voluntarium,* comprehensi remanent sub facultate dispensandi Episcopis facta. Ita docent auctores plurimi cum Reiffenstuel (loco cit., n. 221).

Nec objiciatur, quoad istos casus a Tridentina Synodo fuisse dispositum (sess. 14, c. 7), non ut possit Episcopus dispensare, sed solummodo a Sede Apostolica Episcopo *committendam esse* dispensandi facultatem : nam ibi agit Synodus de casibus istis quatenus *publicis :* nos vero loquimur de iis quatenus *occultis.*

5° Quoties injustum homicidium est publicum seu *notorium,* sive notorietate facti, sive notorietate juris (id est, ad forum judicialem deductum), nequit Episcopus in irregularitate dis-

pensare. Etenim homicidium publicnm injustnm vel est directe voluntarium, vel non : si prius, dispensare nequit Episcopus, ob hæc verba Tridentinæ Synodi, *excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario :* si posterius, *committendam,* non commissam Episcopo dispensationem eadem Synodus declarat (vide Reiffenstuel, in tit. 12, libri 5 Decretalium, n. 225).

6° Potest Episcopus dispensare in irregularitate ex mutilatione, quando mntilatio est *occulta et injusta ;* non autem quando mutilatio non est occulta, vel non est delictum. Constat prior pars conclusionis, ex eo quod Tridentina Synodus facultatem dispensandi Episcopis conferens in *omnibus* irregularitatibus *ex delicto occulto* provenientibus, exceperit dumtaxat homicidium voluntarium. Constat secunda pars, ex eo quod facultas dispensandi restringatur ad *delictum occultum.* Hoc ipso enim facultas hæc non comprehendit irregularitatem ex mutilatione, si mutilatio vel non sit delictnm, vel non sit occulta (vide Reiffenstuel, in titulum 12 libri 5 Decret., n. 226).

CAPUT XI.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI RELATIVE AD LAICAM POTESTATEM ECCLESIÆ JURA SIBI USURPANTEM.

Hac in re facilis in utramque partem excessus, nisi accurate distinguantur varia Ecclesiæ jura, et singulorum natura perpendatur. Quædam sunt ad forum ecclesiasticum pertinentia, quorum a laica potestate invasio, attentis circumstantiis, dissimulari potest atque expedit ; ne scilicet intempestivæ excitentur sacerdotium inter et imperium discordiæ, atque majora inde damna enascantur : ac proinde indiscreto zelo abriperetur Episcopus, qui contra quamlibet ejusmodi usurpationem publice reclamaret, ac censurarum ecclesiasticarum gladium exereret. Alia autem Ecclesiæ jura talis naturæ sunt, ut dictæ

dissimulationi ac tolerantiæ nequaquam locus esse possit. Quorum scilicet a laica potestate usurpationem, si Episcopi sileant et acceptare videantur, sane officio suo graviter deerunt. Hinc res et causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, non omnes quidem, sed præcipuas, hic recensere visum est; et circa unamquamque expendere dissimulandum necne sit ab Episcopo, quando eam ad se trahit laicalis potestas.

I. *Expenditur quæstio quoad res mere spirituales.* — Res mere spirituales vocamus, fidem, sacramenta, religionem seu divinum cultum. « In solo foro ecclesiastico esse petractandas, « nullus catholicorum ambigit : potestas quippe illas cognoscendi pendet a jure clavium, quod solis sacerdotibus est a « Christo concreditum. Quamobrem Joannes VIII (relatus « in canone 2 distinctionis 96) scripsit : *Si imperator catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ : quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere... Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad sæculi potestates ; quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas.* » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 9, c. 9, n. 2.)

Porro sicubi de rebus ejusmodi mere spiritualibus decernere præsumat laica potestas, planum est non posse Episcopos, in hoc ei morem gerere, quin graviter officio suo desint. Nequeunt scilicet in laica potestate hocce jus agnoscere; imo nec eis fas est ita silere aut agere, ut agnoscere videantur et existimentur. Quonam autem potius modo expediat eos dictæ usurpationi obsistere, pendet a circumstantiis, neque potest generali regula determinari. At quantumvis iniquæ ac calamitosæ circumstantiæ intervenerint, videntur teneri Episcopi saltem ad hæc tria : 1° ut dictæ usurpationi, cooperando, exequendove, aut auxiliando, non coniveant; id enim neque mortis periculum licitum eis reddere potest : 2° ut procurent a laica potestate intelligi, haud agnosci ab ipsis prætensum illud jus quod sibi usurpat, de rebus mere spiritualibus decernendi : 3° ut procurent pariter idipsum a fideli populo intel-

ligi. Hæc præ oculis habenda, ut recte perspiciatur, quid sentiendum, quidve ab Episcopis præstandum, quando laica potestas hæc aut alia dogmata in seminariis ac facultatibus theologicis doceri præcipit. Item quando eadem laica potestas ita sacram aliquam facultatem instituit, ut tradendæ in ea atque determinandæ doctrinæ catholicæ *supremam* sibi potestatem retineat.

II. *Expenditur quæstio quoad causas matrimoniales.* — « Tria « sunt causarum matrimonialium genera. Aliquæ versantur « circa initi conjugalis fœderis firmitatem : et hæ, nullo ca- « tholicorum contradicente, in solo Ecclesiæ foro sunt per- « tractandæ. Aliæ sunt causæ excitatæ aut super validitate « sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad « torum et cohabitationem : et istæ pariter, ob illum re- « spectum quem habent ad matrimonii sacramentum, ad so- « lum judicem ecclesiasticum deferuntur ; quod deducitur ex « capite *ex litteris, de Sponsalibus;* et ex capite *porro, de Di- « vortiis :* sponsalia quippe prævia sunt ad matrimonium ce- « lebrandum obligatio ; et per divortium jura relaxantur, « utrique conjugum ex matrimonio quæsita. Aliæ demum sunt « causæ, quæ connexionem quidem habent cum matrimonio, « sed res mere politicas et temporales directe atque imme- « diate respiciunt ; uti sunt lites quæ frequenter moventur « super dote, donatione propter nuptias, hæreditaria suc- « cessione, alimentis et similibus : et istas ad judices secu- « lares pertinere, ex communi doctorum sensu, recte docent « Bellarminus... et Tannerus. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 9, c. 9, n. 3 et seq.)

Quando causa principalis est tertii generis (verbi gratia, de alimentis aut dote), ac proinde ad judicem laicum pertinens, si incidat accessorie quæstio de aliqua causa matrimoniali primi aut secundi generis (verbi gratia, de valore matrimonii, aut de jure ad divortium), nequit judex sæcularis incidentem illam quæstionem dirimere, sed debet eam ad tribunal ecclesiasticum remittere.

E contra, quando causa principalis est primi aut secundi generis, ac proinde ad judicem ecclesiasticum pertinens, et incidenter ac accessorie dirimenda venit quæstio tertii generis (puta, de alimentis aut dote), causa hæc incidens et accessoria, simul cum principali, a judice ecclesiastico decidenda est. Hæc extra controversiam sunt apud doctores catholicos, et constans variis juris textibus (quos vide apud Benedictum XIV, loco citato, n. 5).

Jam vero si laica potestas primi aut secundi generis matrimoniales causas ad suum tribunal trahat et judicare præsumat, planum est non posse Episcopos ejusmodi judicia tanquam legitima habere aut agnoscere. Quod si valeant supplicationibus aliisve mediis laicam potestatem ab istius modi usurpatione retrahere, media hæc adhibere tenentur. Si vero id assequi nequeant, tenentur saltem fideles edocere judicia hæc potestatis laicæ, irrita prorsus et nullius valoris esse in foro conscientiæ, utpote ab incompetenti potestate prolata.

Quod autem attinet ad causas matrimoniales tertii generis, etsi ad ecclesiasticum etiam forum pertineant, quando incidenter et accessorie in causa principali primi aut secundi generis moventur, si tamen in aliqua regione mos invaluerit ut a laico judice etiam in dicto casu dirimantur, prudenter dissimulare et tolerare posse videntur Episcopi.

III. *Expenditur quæstio quoad causas spiritualibus connexas.* — Causæ istæ, « licet vero et proprie spirituales non sint, ob « connexionem tamen quam habent cum re spirituali, a jure « communi foro ecclesiastico addicuntur... Ejusmodi, exempli « gratia, est causa jurispatronatus, de qua Alexander III « (capite 3, *de Judiciis*) generatim edixit : *Causa vero jurispa-* « *tronatus ita conjuncta est et connexa spiritualibus causis, quod* « *nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri.* » (Benedictus XIV, l. 9, c. 9, n. 6.)

Has porro causas spiritualibus connexas laici judices multis in locis sibi usurparunt. Quæ usurpatio, etsi deflenda, de iis tamen esse videtur, pro quibus dissimulationi et tolerantiæ

ex parte Episcoporum locus esse potest, ne graviora ex dissidiis damna rei catholicæ in iis regionibus emergant.

IV. *Expenditur quæstio quoad contractus juramento firmatos.*— Causæ circa illos contractus motæ, ratione juramenti quod intervenit, de jure communi ecclesiasticæ sunt, et ab ecclesiastico judice dirimendæ (vide Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 9, c. 9, n. 8). Hoc titulo quamplurimæ olim causæ super civilibus contractibus motæ, ad forum ecclesiasticum devolvebantur. Ad id impediendum, variis in regionibus prohibuerunt suis legibus principes laici, ne pacta juramento firmarentur. Sed postea causas ejusmodi ad forum suum traxerunt, nulla habita additi juramenti ratione.

Porro laudabili pariter prudentiæ tribuendum, quod illud etiam Ecclesiæ juribus infixum vulnus, Episcopi silentio prætermittant et tolerent.

V. *Expenditur quæstio quoad causas clericorum.* — De jure communi a laica jurisdictione certum est exemptos esse clericos, licet an divino, an humano juri id tribuendum sit aliquatenus disputetur. At hoc etiam jure laica potestas multis in regionibus Ecclesiam spoliavit, et clericos forum suum pro temporalibus causis experiri cogit. Porro in hoc etiam Episcoporum silentium et patientia haud damnari posse videtur, attentis præsertim earum regionum hodiernis circumstantiis.

Nota. — Idem a fortiori concludendum de jure illo quo olim laicis, in quibuscumque causis, liberum erat, si mallent, ecclesiasticum potius quam laicum tribunal adire. Atque item de illa juris communis dispositione, qua viduarum, pupillorum et miserabilium personarum causæ ecclesiastico foro accensebantur (vide Benedictum XIV, citato capite).

VI. *Quid generatim circa ejusmodi laicæ potestatis usurpationes moneat Benedictus XIV.* — « Hæc simul collecta (inquit) Epi-
« scoporum oculis subjicimus, ut priora tempora cum hodier-
« nis conferentes, videant et doleant gravia vulnera suæ anti-
« quæ jurisdictioni inflicta. Siquidem sæculares potestates
« (ait Guillelmus Durandus junior, *de modo generali Conc.*

« *celebr.*, tit. 70, p. 2), *quasi per quamdam alluvionem, frustatim ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit, ita et per ipsos jurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur; quidquid ad ecclesiasticam jurisdictionem, potissime quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe vel indirecte per eos ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet.* Hisce judicem sæcularium ausibus ab initio obstiterunt Pontifices Maximi, et sanctissimi ecclesiarum Antistites : sed cum illos a proposito dimovere nequiverint, ad evitanda majora mala, inolescentes in dies contra ecclesiasticam jurisdictionem consuetudines dissimularunt et tolerarunt; et quandoque Summi Pontifices consultius duxere, idipsum privilegio principibus concedere, quod propria auctoritate jampridem sibi usurpaverunt.

« Jam vero, cum desperandum jam sit, ut potestas sæcularis intra constitutos sibi ab antiquo limites contineri patiatur, imprudenter ageret Episcopus, si in sua Synodo aliquid decerneret quo jurisdictionem sibi olim jure communi attributam recuperare tentaret. Rem siquidem impossibilem aggrederetur, et sine ulla Ecclesiæ utilitate graviter apud principem offenderet. Quare suo muneri satis abunde facturum se credat, si ad hæc animum diligenter intendat: *primo*, ne princeps sæcularis sibi unquam arroget *jus sacrorum*; hoc est, ne in ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, *mere* scilicet *spiritualibus et ecclesiasticis. Secundo*, ne judex laicus eam quoque partem ecclesiasticæ jurisdictionis invadat, quæ hactenus perseverat intacta; nisi enim Episcopus ejus vindicem statim se præbeat, hanc pariter pedetentim amittet. Quia tamen plerumque privati judices supremi principis auctoritate suffulti sunt, etiam in hoc negotio summa prudentia et dexteritate opus est: atque imprimis, priusquam Episcopus consueta exerat cen-

« surarum arma, debet accurate perpendere, quod monet « Augustinus libro 3, contra epistolam Parmeniani, n. 13. » (*De Synodo*, l. 9, c. 9, n. 11 et 12.)

Etsi autem in dictis casibus istius modi usurpationes prudenter dissimulare ac tolerare possint et quandoque etiam debeant Episcopi, non tamen eis licitum quidquam in suis constitutionibus aliisve publicis actis decernere, quo Ecclesiæ juribus, etsi jamdudum a laica potestate usurpatis, renuntiare videantur; quove declarent ea Ecclesiæ jura amissa jam et perempta esse : quod satis per se patet.

CAPUT XII.

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD VARIA AD LITURGIAM PERTINENTIA.

Præsentis capitis scopus est, non ex professo de jure liturgico disserere, cum id alias præstiterimus ; sed tantum præcipua et magis practica, summatim subjicere ; lectorem remittendo quoad probationes ad specialem meum hac de re tractatum.

§ I.

De potestate Episcopi quoad Missale et Breviarium (remissive).

In tractatu *de Jure liturgico* fuse de hac materia disseruimus. E conclusionibus autem quas ibi firmatas reperies, hæ sunt potissimum attendendæ :

I. Erroneum est systema quo Episcopis tribuitur legislativa in liturgiam potestas, independenter a Romano Pontifice (*de Jure liturgico*, parte 2, sectione 2).

II. Breviarium et Missale a sancto Pio V edita, obligatoria

fuere quoad omnes latinas ecclesias, quæ propriam, id est a romana diversam liturgiam, ducentis annis anteriorem, non habebant (ibid., parte 4, cap. 2).

III. Breviaria et Missalia, contra Decretum sancti Pii V retenta aut introducta, non facta sunt per ullam quantumvis longam consuetudinem legitima : ita ut per ejusmodi Breviaria horarum canonicarum debito satisfieri etiam hodie nequeat (ibidem, et insuper pag. 323).

IV. In sancti Pii V Missali et Breviario nihil immutare potest Ordinarius : item nequit ulla sanctorum officia calendario auctoritate propria adjicere : nec ritum qui determinatur in calendario Romano seu rubricis, in alium mutare (in citato capite 2 partis 4).

V. In dicto meo tractatu *de Jure liturgico* expressis verbis non dictum est, Missalia et Breviaria, quæ ab Episcopis Galliæ contra S. Pii V sanctiones confecta et introducta sunt, fuisse et remansisse prorsus illegitima, ita ut etiam hodie per ejusmodi Breviaria horarum canonicarum debito satisfieri nequeat, nisi accedat expressum Romani Pontificis Indultum. At cum id generaliter conclusum fuerit quoad omnes diœceses, in quibus idem contigit, perinde est ac si de Gallia in particulari conclusio hæc deducta fuisset.

VI. Quæ doctrina si vera sit, et peremptoriis rationibus firmata, ulterius concludendum est prorsus erroneam esse opinionem, quam adhuc hodie nonnulli in Gallia, publicis etiam scriptis, identidem tuentur, nempe : redeundum quidem esse ad romanam liturgiam, *ut Pii IX votis satisfiat, et quia majorem illam in re sacra unitatem hodierna suadere videntur tempora:* cæterum particulares illas diœceseon Galliæ liturgias *legitimas fuisse, et tales permanere, donec respectivis Episcopis visum fuerit eas derelinquere : nec proprie et rigorose obligatorium* esse ad romanam liturgiam transitum, sed dumtaxat opportunum. Hæc, inquam, opinio nullatenus admitti potest. Etenim sancti Pii V sanctiones etiam quoad Galliam obligatoriæ fuerunt, et quatenus tales in Galliis receptæ, et ad executionem deductæ.

Hinc, quando postea Episcopi Galliæ contra ejusmodi sanctiones et prohibitiones sibi nova Breviaria et Missalia confecerunt et introduxerunt, palam est eos illegitime egisse, et illegitima nova hæc Breviaria et Missalia fuisse. Aliunde, nulla consuetudinis diuturnitate legitima evadere posse istiusmodi Breviaria et Missalia contra S. Pii V præscriptum inducta, cum Suaresio et communi doctorum sententia, in dicto tractatu *de Jure liturgico*, probavimus. Ergo falsum est dicta Galliæ Breviaria et Missalia initio fuisse, aut aliquando evasisse legitima. Ergo remanet stricta et proprie dicta obligatio Breviaria et Missalia illa derelinquendi. Qui tam pertinaciter id negant, et asserentes dicteriis et injuriis persequi non desinunt, faveant pacato animo perlegere Sacræ Congregationis Rituum decisionem (quam ad calcem tractatus *de Jure liturgico* edidimus), de Breviario et Missali Cenomanensis diœcesis. Ibi agitur de Breviario et Missali quæ a centum annis in usu erant. Et tamen ad quæsitum, *utrum hujusmodi liturgia, vi præscriptionis seu consuetudinis sæcularis, facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare*, responsum est, *Negative*. Quod si reponant, flocci habenda esse Romanarum Congregationum placita, liceat et mihi, cum unanimi catholicorum doctorum sententia, hanc eorum opinationem pro devia, periculosa ac temeraria habere. Unde tandem qui, dum ad romanam liturgiam transeunt, id se facere testantur, non ex ulla, qua ad id adstringantur proprie dicta obligatione, sed dumtaxat ex quadam erga Pium IX feliciter regnantem *comitate*, et ut ipsius *votis* morem gerant, in hac ipsa protestatione a vera et genuina doctrina prorsus aberrare videntur.

§ II.

De potestate Episcopi quoad officium B. Virginis, Martyrologium, Pontificale, Cæremoniale Episcoporum, necnon instituenda vel supprimenda festa (remissive).

I. Etiam officii B. Virginis formulam edidit et obligatoriam reddidit S. Pius V, quoad eos qui dictum officium recitare tenentur, et quoad eas diœceses quæ diversam a romana formulam a ducentis annis non habebant. Nec fas est Ordinariis quidquam in ea formula immutare. Prohibita sunt insuper quælibet B. Virginis officia, vulgari lingua conscripta. Quæ omnia vide in meo tractatu *de Jure liturgico* (pag. 285).

II. Ecclesiis latinis nullo alio Martyrologio uti licet, præterquam eo quod edidit Gregorius XIII, et correxit Benedictus XIV. Nec licet in imprimendis Martyrologiis alios inserere sanctos, præterquam ab ultima editione canonizatos (vide in tractatu *de Jure liturgico*, pag. 287).

III. Idem currit jus quoad Pontificale. Hujus etiam libri formulam determinavit et obligatoriam fecit Sedes Apostolica. Unde prorsus illegitimum et illicitum foret quodlibet aliud Pontificale, quod sibi Episcopus conficeret (vide ibidem, pag. 290).

IV. Obligatoria pariter est determinata a Romanis Pontificibus formula libri qui *Cæremoniale Episcoporum* inscribitur. Cum hoc tamen discrimine, quod ab hujus libri rubricis seu præscriptionibus recedi possit, quando alicubi exstat consuetudo *immemorabilis*, aliter cœremoniam aliquam peragendi (vide ibid., pag. 292).

V. Quoad Rituale Romanum, quamvis non ita primo intuitu liqueat an stricte obligatorium sit, imo et aliqui auctores putaverint fas esse diœcesibus singulis suum Rituale habere, modo ritus laudabiles sint et probati, tamen opinio hæc omnino derelinquenda est. Nimirum in latinis ecclesiis haud li-

citum esse alio quam Romano Rituali uti, pro certo tenendum est (ibidem, pag. 298 et seq.).

VI. Ad festorum de præcepto institutionem et suppressionem quod attinet, cavendum est ab erronea gallicanorum quorumdam scriptorum doctrina. Joannes Baptista Thiers, verbi gratia, in suo tractatu *de Festorum dierum imminutione*, inter alia multa erronea, docuit, posse Episcopum in propria diœcesi festa in universa Ecclesia recepta tollere, officii divini recitationem et jejunia transferre. Hunc auctorem redarguit Cardinalis Bona *(Epistolæ selectæ*, epist. 259) in hunc modum : *Hæc sane nimia potestas non solum censoribus a Sacra Congregatione deputatis, sed omnibus passim viris doctis displicuit, et merito : nam communes Ecclesiæ leges, ritus et consuetudines ubique receptæ, ejus dumtaxat auctoritate tolli vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas ; alioquin ingens fieret disciplinæ et hierarchiæ ecclesiasticæ perturbatio* (verba hæc citat Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 18, n. 11).

Tenendum autem est non posse ab Episcopo ullum festum de præcepto institui aut supprimi. Quod probatum vide in meo tractatu *de Jure liturgico*, pagina 310 et sequentibus.

§ III.

De potestate Episcopi quoad varia alia ad sacram liturgiam pertinentia.

Episcopus prohibere potest ne in ecclesiis, etiam regularium, canantur cantilenæ vel laudes vulgari idiomate ; et hoc auctoritate tributa a Concilio Tridentino, in decreto *de evitandis in celebratione missæ*. « Imo non obstante quacumque contraria « consuetudine, poterit Episcopus prohibere ne in ecclesiis et « oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quan- « tumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint ; quia cantus « hujusmodi est contra ritum Ecclesiæ. » (Ferraris, verbo

Episcopus, art. 6, n. 1 et 2; ubi citantur plures S. Congregationis Rituum declarationes, quæ id firmant.)

« Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna et loca « laicorum in ecclesia. » (Ferraris, ibid., n. 3.) Ita pluries decisum a S. Congregatione Rituum.

« Potest removere indecentia et scandalosa in ecclesiis « arbitrio suo. » (Idem, ibid., n. 5.)

« Episcopus potest delegare alicui sacerdoti sibi beneviso « benedictionem ecclesiæ seu capellæ in agro existentis, si « alias est legitime constructa. S. Congregatio Rituum, in « *Fanensi* 14 februarii 1632. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 6, n. 44.)

« Episcopus solus potest habere fenestram e domo respi- « cientem in ecclesia. S. Congregatio Rituum, in *Elborensi* « 19 junii 1604. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 6, n. 45.)

« Episcopus non potest concedere licentiam ut quis cele- « brare possit missam cum bireto, seu beretino, aut pileo in « capite; sed spectat tantum ad Summum Pontificem eam « dare. S. Congregatio Episc. et reg. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 6, n. 84.) « Imo neque ipse Episcopus potest eo uti sine « Sedis Apostolicæ licentia. S. Congregatio Rituum.» (Ferraris ibid., n. 85.)

« Episcopus nequit delegare simplici sacerdoti facultatem « benedicendi sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale « privilegium Sedis Apostolicæ : a qua tamen interdum con- « ceditur personis in dignitate ecclesiastica constitutis, dum- « modo in eis non sit adhibenda sacra unctio vel oleum « sanctum; quæ ab ipso tantum Episcopo ordinato et conse- « crato benedicenda, inungenda et consecranda sunt. » Ita Ferraris (v. *Episcopus*, art. 6, n. 106), id firmans pluribus S. Congregationis Rituum declarationibus. Vide etiam S. Ligorium (l. 6, n. 378), qui contrariam opinionem exponit, et rejicit.

Juxta probabilem sententiam non peccat mortaliter Episcopus qui in mortali conficit chrisma vel oleum sanctum,

Juxta probabiliorem et communissimam, non peccat mortaliter si in mortali consecret templum, benedicat vestes sacras aut corporalia, assistat matrimonio (S. Ligorius, l. 6, n. 39).

CAPUT XIII.

DE POTESTATE ET OFFICIO EPISCOPI QUOAD ORATORIA, SIVE PUBLICA, SIVE PRIVATA.

Dicemus 1° de oratoriis publicis : 2° de oratoriis privatis ipsorummet Episcoporum : 3° de oratoriis privatis laicorum.

§ I.

De oratorjis publicis.

I. *Quodnam intercedat discrimen publicum inter et privatum oratorium.* — « Potissima differentia oratorium publicum in- « ter et oratorium privatum in eo posita est, quod illud « habere debeat januam apertam in via omnium usui patenti, « et a privatorum hominum dominio exempta, tantæque am- « plitudinis, quanta communiter ab interpretibus juris ad « viæ publicæ denominationem desideratur : in hoc vero « alius non patet aditus, nisi per locum privatum. » (Apud Ferraris, v. *oratorium, additiones aliena manu*, n. 1.)

Oratorium non desinit esse publicum ex eo quod campanam non habeat (vide ibid.).

II. *Possunt erigi oratoria publica, et in eis missæ celebrari, de sola Ordinarii licentia.* — Id dumtaxat adnotamus, quia extra omnem controversiam est. Nullibi scilicet in jure cautum reperies necessarium ad id esse Pontificium Indultum. Et confirmat quotidiana praxis.

III. *An requiratur Indultum Summi Pontificis ad asservandum*

sacrosancta eucharistiæ sacramentum in publico oratorio? — 1° Regula *generalis* est non posse absque licentia Pontificia sacram eucharistiam asservari extra ecclesias parochiales. De qua regula generali sic Cardinalis Petra : « Certum est, posse « tantum conservari (eucharistiam), regulariter et absque « benedictione Apostolica, in ecclesiis parochialibus; quia as- « servatio fit ad opus præcipue morientium... Proinde cum « reservatio principaliter pro infirmis a jure demandetur, et « in reliquis denegetur..., ideo tantum est permissa ubi ad- « sunt parochiani. » (Cardinalis Petra, tomo 3, ad Constitutionem Urbani IV, sect. unica, n. 15.)

Eamdem regulam, asserit Benedictus XIV, doceri a *canonica disciplina;* « juxta quam (inquit) sacrosancta eucharistia « in ecclesiis, quæ parochiales non sunt, retineri non potest « absque præsidio Apostolici Indulti, vel immemorabilis con- « suetudinis quæ hujusmodi Indulti præsumptionem inducit.» (Constitutione *quamvis justo*, 30 aprilis 1749.)

2° A dicta generali regula excipi ecclesias religiosorum, necnon monialium sub clausura viventium, docet (loco citato) Cardinalis Petra in hunc modum : « In ecclesiis regularibus « etiam permittitur asservatio hujus sacramenti, quia vere in « ipsis consideratur necessitas ministrandi illud infirmis... « Ita etiam quoad moniales viventes in clausura; ita tamen « ut debeant retinere illud extra claustra et septa... In col- « legiata quæ non sit actu parochialis, nequit retineri absque « Indulto Apostolico. »

3° An requiratur licentia Apostolica ad retinendam sacram eucharistiam in ecclesiis seu oratoriis hospitalium? Affirmat idem Cardinalis Petra : « Necnon quoad hospitalia requiri « dictam dispensationem Apostolicam dixit de Luca. » (Ibid., n. 30.) At cum in hospitalibus frequentissime contingat, etiam de nocte, ut ministrari infirmis debeat sacrum viaticum, dicendum potius videtur in oratorio seu ecclesia hospitalis retineri posse sacram eucharistiam, de sola licentia Episcopi; et talem ecclesiam esse quasi-parochialem.

4° Idem dicendum videtur quoad ecclesias seu oratoria collegiorum in quibus sunt convictores. Hinc, verbi gratia, in ecclesia seu oratorio parvi aut magni seminarii retineri posse videtur sacra eucharistia absque Indulto Pontificio. Decisum a S. Congregatione, locum esse erectioni oratorii in collegiis ut sacramenta convictoribus ministrari valeant (vide apud Ferraris, v. *oratorium*, n. 93). Id autem supponit posse etiam asservari sacram eucharistiam ad viaticum ministrandum.

5° Quid vero de ecclesiis seu oratoriis publicis monialium, quæ nec clausuram nec vota solemnia habent, et quæ *conservatorium* nomine in jure designantur? Negat Cardinalis Petra, posse in eis sacram eucharistiam absque Summi Pontificis Indulto retineri; atque id firmat adducta decisione Sacræ Congregationis Concilii, pro quodam ejusmodi monialium conventu (loco cit., n. 21).

6° Quoad cætera autem oratoria publica, præter modo enumerata, dicendum est requiri Indultum Apostolicum ut retineri in eis possit sacra eucharistia. Unde, verbi gratia, si licentiam retinendi concederet Episcopus in ecclesiis ruralibus non parochialibus, ad quas accedunt parochi ad celebrandum diebus festis; vel in cappellis et aliis ecclesiis intra fines parochiæ, vel in ecclesiis confraternitatum, etc., licentia hæc foret nulla.

« In cæteris igitur ecclesiis non parochialibus nullo modo « licitum est sanctissimum asservare, nisi cum licentia Sedis « Apostolicæ; cum Ordinario non sit permissum contra ca« nones ire. » (Cardinalis Petra, loco cit., n. 15 et seq.)

IV. *Nequit parochus impedire ne missa in oratorio publico celebretur ante absolutam missam parochialem.*—Vide probatum apud Benedictum XIV *(Institutiones ecclesiasticæ,* instit. 44, § 11). Potest tamen id vetare Ordinarius, *dummodo tamen* (prout a S. Congregatione Concilii decisum est) *missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur* (vide citatam instit. 44).

§ II.

De oratoriis privatis ipsorummet Episcoporum.

I. *A remotissima antiquitate oratoria in privatis suis domibus Episcopi habere consueverunt, atque in eis missam celebrare.* — Vide probatum in Encyclica *magno* Benedicti XIV, diei 2 junii 1751.

II. *Prædictum jus Episcoporum non sustulit Tridentina Synodus.* — Equidem Tridentini Patres, sessione 22, prohibuerunt ne *privatis in domibus* missa celebraretur; sed palatia Episcoporum sub privatarum domuum denominatione non comprehendi, nec proinde a præfata prohibitione attingi Episcoporum oratoria privata, fuit pluries a S. Congregatione Concilii decisum (vide citatam Encyclicam Benedicti XIV, § 2).

III. *Episcopi habent privilegium altaris portatilis, et possunt celebrare missam in quacumque domo, sive intra sive extra propriam diœcesim, etiam sine licentia Ordinarii loci, dummodo tamen domus in qua celebrant sit illa ipsa quam actu inhabitant seu in qua iter faciendo diversantur.* — Quod possint habere altare viaticum seu portatile et in eo ubicumque celebrare, concesserat Bonifacius VIII (Decretali *quoniam, de Privilegiis,* in 6). Privilegium autem illud neque a Tridentino Concilio, neque per decreta Pauli V (ut quidam existimaverunt) sublatum fuisse, vide in citata Encyclica Benedicti XIV, § 4 et 5. Non potest tamen Episcopus in domo privata in qua ipse hic et nunc non degit seu diversatur celebrare (vide ibid., § 6).

IV. *In oratoriis domorum Episcopalium possunt omnes celebrare, et præcepto missæ satisfacere.* — Ita decisum a S. Congregatione vide apud Ferraris (v. *oratorium*, n. 69), et apud S. Ligorium (l. 6, n. 356). Ratio est, quia palatium Episcopi non est domus privata, siquidem ecclesiastica immunitate potitur.

V. *In oratorio domus episcopalis nequit asservari sacrosancta*

eucharistia absque Indulto Pontificio. — Nam, ut superiori paragrapho vidimus, regula generalis est, non posse absque Pontificia licentia retineri sacram eucharistiam nisi in ecclesiis parochialibus. Oratorium autem domus episcopalis nec est ecclesia parochialis, nec de numero earum ecclesiarum quæ a præfata generali regula excipiuntur.

§ III.

De oratoriis privatis laicorum.

PROPOSITIO I[a]. — *Ante Concilium Tridentinum, poterat Episcopus licentiam concedere celebrandi in oratoriis privatis.* — Ita doctores communiter ; ad quod probandum afferunt præcipue canonem *missarum (de Consecratione,* dist. 1), in quo sic statuitur : « Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Epi« scopo consecratis, vel ubi ipse permiserit. » Vide Encyclicam *magno,* 2 junii 1751, Benedicti XIV, § 10.

PROPOSITIO II[a]. — *Facultas permittendi celebrationem missæ in oratoriis privatis a Concilio Tridentino Episcopis adempta est, et soli Romano Pontifici reservata.*— « Enarrat Benedictus XIV, « in citata Encyclica § 11, quomodo, post varios sermones in « sacro Concilio Tridentino hac de re habitos..., in sessione « 22, in decreto *de observandis et evitandis in celebratione mis« sæ,* sequenti modo statutum et ordinatum fuerit : *Neve « patiantur,* de Episcopis sermo est, *privatis in domibus atque « omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dicata « oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum « hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque « peragi ;* cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exem« ptioni, et consuetudini, non obstantibus privilegiis, exem« ptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscum« que. » Concludit postea idem Benedictus XIV, « ex eo « factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit conce« dendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum,

« causa in iisdem missam celebrandi; cum licentia quæ ab « ipsis daretur celebrandi missam in oratoriis privatis, neuti« quam stare possit cum præcepto a Concilio iisdem imposito « ne id permittere debeant; ac proinde prædictum jus ad « Sanctam Sedem devolutum fuisse. » Adnotat denique laudatus Pontifex, haud dubium esse quin ita intelligendus sit Tridentinus textus: « Atque hujusmodi semper fuit conciliaris « textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, « privativa ejusdem interpres; quæque etiam a felicis recor« dationis prædecessore nostro Paulo Papa V, in epistola En« cyclica anno 1615 ad omnes Episcopos expedita, approbata « fuit... Et in ea quidem alia quæcumque verborum Concilii « intelligentia reprobatur... Denique in eadem ita concludi« tur : facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii « decreto unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Ro« mano Pontifici esse reservatam. »

Propositio IIIª. — *Non obstante Tridentino decreto, posse ab Episcopo justa de causa concedi facultatem celebrandi in oratorio privato, non quidem illimitate, sed quandiu durabit causa aliqua transitoria, est multorum doctorum opinio.* — 1° Eam sic exponit atque amplectitur sanctus Ligorius (libro 6, n. 358): « Facultas hæc ablata fuit Episcopis per Tridentinum... Hoc « tamen non obstante, communiter sentiunt doctores, hoc « intelligendum esse de licentia perpetuo celebrandi *per mo« dum habitus*, juxta facultatem quam Episcopi prius habe« bant : at minime est eis vetitum hujusmodi concedere licen« tiam per modum actus pro aliquo tempore, si justa adsit causa. » Et ibi citat sanctus Ligorius Suaresium aliosque plures auctores. Tum sic pergit : « Dubitatur deinde quoties « concedi possit hujusmodi dispensatio. Salmanticenses di« cunt semel vel bis; sed alii (ut Suarez, Layman, Bonacina, « Escobar, Holzman et Elbel cum Pasqualigo) indefinite lo« quuntur, et intelligunt concedi posse durante infirmitate, « vel alia causa accidentali. Et merito... Accedit his declara« ratio quam refert Gallemart (in Trid. sess. 22, decreto *de*

« *observandis*, etc., n. 6), ubi dictum fuit: *Permittit Pontifex* « *Ordinarii arbitrio, necessitate personali, et infirmitatis qualitate* « *pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato ora-* « *torio, vel altari ad hoc deputato, facultatem celebrandi conce-* « *dat.* Idem admittit Cardinalis Petra... »

« Hæc tamen Episcoporum potestas, inquit Cardinalis Pe- « tra, diminuta quidem fuit per Concilium, sed non omnino « sublata... Hinc ex causa infirmitatis alicujus personæ quali- « ficatæ posse Episcopum concedere licentiam celebrandi in « privato oratorio, resolutum a Sacra Congregatione Concilii « referunt Valerius..., Novarus... Idque etiam procedit, alia « justa et rationabili causa accedente. » (Tomo 2, ad Constitutionem 8 Honorii III, n. 10.)

Nihilominus idem Cardinalis Petra (loco citato, n. 15), huic opinioni adversari Fagnanum et declarationes S. Congregationis Concilii, sic adnotat: « Tamen magis rigorose procedit « Fagnanus (capite *in his, de Privilegiis*, n. 13), ubi refert « declarationes S. Congregationis, non licere Episcopo con- « cedere licentiam domi celebrandi, cum infirmus deberet « pro viatico communicari. »

2° Prædicta opinio non videtur solido fundamento niti. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, juxta solitum canonistarum axioma. Porro Tridentini Patres, ut supra vidimus, universaliter et sine ulla exceptione, missarum celebrationem in privatis oratoriis prohibuerunt; sicque Episcopis facultatem ademerunt, universaliter et sine exceptione, eam celebrationem permittendi. Hinc mihi videtur standum Fagnani doctrinæ et allegatis ab ipso Sacræ Congregationis declarationibus; de quibus ita testatur: « Cum Cardinalis « Paleottus olim petiisset, an posset concedere licentiam « domi celebrandi, cum infirmus deberet pro viatico com- « municari, Sacra Congregatio respondit non posse. Quin- « immo cum Cardinalis Legatus Portugalliæ petiisset ut posset « decenter accommodata, cum infirmus aliquis debet pro « viatico communicari, et hoc quia in illis regionibus sunt

« multa loca adeo dispersa et remota a parochiis, ut non sine « maximo incommodo possit Eucharistiæ sacramentum cir« cumferri, S. Congregatio respondit non esse concedendam.» (In cap. *in his*, *de Privilegiis*, n. 13.)

Idem tenet Ferraris (v. *oratorium*, n. 27 et 28) : « Epi« scopi non possunt concedere licentiam celebrandi in oratoriis « privatis; ibi enim missæ non possunt celebrari nisi de licentia « Summi Pontificis, ut S. Congregatio Concilii respondit Archi« episcopo Bononiensi, die 10 martii 1615. Et eadem S. Con« gregatio Concilii, de mandato Sanctissimi Pauli V, die 25 oc« tobris 1615, irritavit licentias omnes celebrandi in oratoriis « privatis ab Episcopis concessas... »

« Imo Episcopi neque possunt concedere licentiam domi « celebrandi, ut infirmus pro viatica communicetur. Sic ex« presse Fagnanus (c. *in his* 30, *de Privilegiis*, n. 13); ubi « refert sic declarasse Sacram Congregationem Concilii. »

PROPOSITIO IV[a]. — *Etiam Galliæ Episcopi carent hodie dicta facultate missæ celebrationem in oratoriis privatis permittendi.* — Nam per Concordatum anni 1801 suppressæ et extinctæ fuerunt omnes diœceses Galliæ, cum suis titulis et juribus. Unde etiamsi olim potuerint Episcopi Galliæ, ob aliquod jus particulare suarum ecclesiarum seu diœceseon, præfato Tridentino decreto non parere (quod nolumus hic inquirere), jus illud particulare per dictam diœceseon omnium extinctionem antiquatum fuisset. In erectione siquidem novarum Galliæ diœceseon, nullum privilegiatum jus concessum est, præter id quod in Concordato anni 1801 statutum fuit : ita ut quoad cætera fuerint dictæ novæ diœceses juri communi subjectæ, prout in tractatu *de Principiis* fuse exposuimus. Proinde statim post præfatum Concordatum obligatoria fuit quoad Episcopos Galliæ supradicta Tridentina prohibitio.

Hinc ex ea sola ratione vindicari posset hodiernis Galliæ Episcopis facultas celebrationem missæ in oratoriis privatis permittendi, quod a tempore Concordati ea uti consueverint, « concedere licentiam celebrandi missam in domo privata

et contra Tridentinam dispositionem legitime jam præscripserint. Sed ratio hæc non valet. Ut enim consuetudo illa pro legitima haberi posset, deberet *merito præsumi* posse consensus Summi Pontificis: porro nedum merito consensus ille supponi valeat, contrariam mentem satis declarat Pontifex per suorum tribunalium, Sacrarum nempe Congregationum, stylum et agendi rationem. Quoties enim Romæ de hac re agitur, ita respondetur, ut omnino vigens quoad Galliam supponatur Tridentina dispositio. Accedit, generalem in Gallia dici non posse præfatam consuetudinem : plures saltem ego novi Galliæ Episcopos, qui sibi prorsus illicitum existimant et palam declarant, celebrationem missæ in privatis oratoriis permittere. Ex eo vero quod alii celebrationem illam permittant, non continuo concludendum id eos propria auctoritate facere: non enim forte desunt qui Indultum ad id a Sede Apostolica obtinuerint, pro determinato quodam oratoriorum numero.

Hinc mihi nequaquam videtur, tuta conscientia posse hodie Galliæ ab Episcopis celebrationem missæ in privatis oratoriis propria auctoritate permitti.

Nota. — Excipimus tamen ab hac conclusione casum concessionis *pro causa aliqua transeunte*, ut intactam relinquamus supra expositam opinionem sancti Ligorii; etsi non videatur satis fundata, pront adnotavimus.

Propositio Va. — *In Indultis Pontificiis pro celebratione missæ in oratorio privato, plures apponi solent conditiones.* — Ejusmodi conditiones enumerat Benedictus XIV in citata Encyclica, § 12 et 13, in hunc modum : « Postquam jus concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicæ « reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ ac diligentiæ adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine... Hæc « tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum, in forma Brevis quæ conceduntur, colligere « licet : oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus « aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere : « idem prius, vel ab Episcopo vel ab alio cui vices suas de-

« legaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia num decens « et apte compositum sit, et num aliquid eorum quæ neces- « saria sunt in eodem desit : ut Episcopus sit, qui celebrandi « missam licentiam impertiatur, et quod licentia hujusmodi « secundum rationabile illius arbitrium perduret : nec plures « in die, sed unica tantum missa in oratorio celebretur : et « quod hæc missa celebretur a sacerdote vel sæculari vel re- « gulari, dummodo sæcularis ab Episcopo approbatus sit, « regularis autem licentiam habeat a suo regulari superiore : « ne missa celebrari possit diebus solemnibus Resurrectionis, « Pentecostes, Nativitatis Domini, et aliis solemnioribus die- « bus ; quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, Ascen- « sionis Domini, Annuntiationis, et Assumptionis Beatæ Ma- « riæ Virginis, omnium Sanctorum, necnon sanctorum Aposto- « lorum Petri et Pauli, ac titularis ecclesiæ loci : exprimuntur « personæ quarum præsentia necessaria est, ut in privato « oratorio missa celebrari possit : aliæ item quæ, dum supra- « dictis præsentibus missa celebratur, eidem interesse pos- sint, et ecclesiastico præcepto satisfacere : denique declara- « tur omnia sine parochialium jurium præjudicio fieri debere.

« Atque hæc sunt quæ in consuetis privatorum oratoriorum « Brevibus continentur. Quædam vero alia expediri contingit « Brevia, quæ extraordinaria sunt ; ut cum (exempli gratia) « justis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam missam « celebrari facere possit ; vel... »

Propositio VI^a. — *Uno ex indultariis præsente, potest missa celebrari, et indultariorum consanguinei et affines eam audientes præcepto missam audiendi satisfaciunt.* — Indultarii dicuntur illæ personæ, quibus licentia conceditur faciendi ut in privato oratorio missa celebretur, et quorum nomina in fronte Brevis inscribuntur. Quod præsente uno ex indultariis, missa celebrari valeat, et quod tunc consanguinei et affines si assistant, præcepto audiendæ missæ satisfaciant, extra controversiam semper fuit, prout docet Benedictus XIV, in citata Encyclica, n. 14.

PROPOSITIO VII[a]. — *Si ne unus quidem ex indultariis præsens sit, nequit missa celebrari, quamvis intersint indultariorum affines vel consanguinei: quod si tunc celebraretur, dicti affines et consanguinei, aliive quilibet, præcepto missam audiendi nequaquam satisfacerent.* — Intervenit hac de re Sacræ Congregatiouis Concilii decisio, quam confirmavit Benedictus XIV, decreto diei 12 februarii 1739, in hunc modnm : « Cumque exorta « esset dubitatio, an ex vi hujnsmodi Indulti liceret missam « celebrare in privato oratorio, etiam sine præsentia alteru- « trins ex dictis conjngibus (1), in quos Indulti concessio « directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio « nonnullorum doctorum pro affirmativa et negativa respe- « ctive sententia inter se decertantium, Sacra Congregatio « Concilii... censuit, *non licere*. Deinde vero Sanctissimus « Dominns Noster, *reprobata contraria* doctorum *sententia*, « prædictam Sacræ Congregationis resolutionem nedum appro- « bavit, verum præsenti decreto publice evulgando voluit « omnibus notam fieri, non posse vigore similis Indulti cele- « brari missam in privatis oratoriis, quando eidem missæ « actu non intersit aliquis ex eis, quibus *principaliter* Indultum « concessum est : Indultum vero *principaliter* concessum in- « telligi iis tantum quibus Breve dirigitur, nimirum personis « illis quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nnncn- « pantnr. » Additur postea, cæteris de familia, vel nobilibns hospitibus qui in Brevi memorantur, nihil aliud concedi, quam ut præcepto missæ audiendæ satisfaciant, si missæ, *in præsentia alicujus ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis* celebratæ, intersint (Decretnm illud reperies apud Ferraris, verbo *oratorium*, n. 81).

Postea vero idem firmavit Benedictus XIV, in sua Encyclica *magno* 2 junii 1751, § 14 et 15 ; id tantummodo addens, pro indultaria habendam etiam esse personam, etsi a tergo Brevis

(1) In casu qui decisionis et Decreti occasio fuit, concessum fuerat Indultum Baroni cuidam et uxori ejus.

haud nominatam, cui in corpore Brevis expresse concederetur, ut, ipsa præsente, missa celebrari posset.

Propositio VIII^a. — *Familiares, actu non necessarii, in oratorio privato nequeunt præcepto missam audiendi satisfacere.* — Id quidem in his terminis certum est, quia solet expresse Indulto inseri. At mota est haud levis difficultas, quoad determinandos eos familiares ac famulos qui *necessarii* censendi sint. Intelligendam eam necessitatem moraliter, id est, non tantum relative ad missam ipsam, sive celebrandam, sive ab indultariis audiendam; sed insuper ita ut necessarii reputari etiam possint famuli, qui ad custodiendam domum, vel pro decenti comitatu hoc die detinentur, vide apud Ferraris (v. *oratorium*, n. 60), et apud Cardinalem Petra (tomo 2, in Const. 8 Honorii III, n. 63).

Propositio IX^a. — *Inserviens missæ in oratorio privato si non sit de privilegiatis, et missæ inservire possit per privilegiatum, non videtur satisfacere præcepto missam audiendi : secus si non adsit privilegiatus qui inservire possit.* — Vide apud Ferraris (v. *oratorium*, n. 63 et seq.).

Propositio X^a. — *Prohibitio celebrandi in oratoriis privatis absque Pontificio Indulto, non afficit oratoria erecta in domibus regularium, in hospitalibus, in seminariis, carceribus, et conservatoriis.* — Id omnino certum, et pluries decisum a S. Congregatione Concilii vide apud sanctum Ligorium (l. 6, n. 357). Ratio est quia ejusmodi domus non dicuntur privatæ.

Propositio XI^a. — *Indultum oratorii privati non perit mortuo Pontifice qui concessit, aut Episcopo qui approbavit; sed perit morte indultarii.* — Vide S. Ligorium loco citato; necnon apud Ferraris (v. *oratorium*, n. 30 et seq.).

Propositio XII^a. — *Dum in Indultis Pontificiis, inter alias conditiones, requiritur ut accedat approbatio aut licentia Ordinarii, id ita intelligendum est; ut nequeat Ordinarius licentiam illam denegare, si oratorium omnia ad terminos Indulti necessaria habeat.* — « Ordinarius adinveniens oratorium præditum omni« bus requisitis in Indulto, tenetur approbationem et licen-

« tiam concedere, quia non habet potestatem limitandi con-
« cessiones Summi Pontificis : et si injuste eam deneget, vel
« semel concessam sine justa causa revocet, potest cogi ab
« Archiepiscopo et aliis superioribus, ut eam concedat. Com-
« munis. » (Ferraris, v. *oratorium*, n. 23.)

PROPOSITIO XIII^a. — *Privata oratoria, post primam visitationem pro concessione et approbatione factam, episcopali visitationi non subjacent.* — Vide ibidem n. 25. Ratione tamen delicti, verbi gratia, si existeret accusatio aut fama publica de abusibus, liceret Episcopo accedere, ad investigandam veritatem.

PROPOSITIO XIV^a. — *Sacramentum pœnitentiæ administrari nequit in oratoriis privatis, præterquam in casibus quibus licet illud ministrare in privatis domibus.* — Vide firmatum in eadem Encyclica, § 20. Ad communionem paschalem quod attinet, sumi debet in parochiali ecclesia.

PROPOSITIO XV^a. — *Ut in oratoriis privatis fieri possit sacra communio, necessaria est licentia Episcopi.*—Ei nempe qui obtinuit Pontificium Indultum oratorii privati, conceditur ut in illo oratorio missa celebrari possit; at vero non ideo conceditur ut sacra communio ipsi consanguineisve aut affinibus præberi valeat. Requiri ad id licentiam Episcopi, vide in eadem Encyclica, § 24. Intellige, nisi forte in Indulto hæc ipsa concessio faciendæ communionis exprimatur.

PROPOSITIO XVI^a. — *Generales et Provinciales regularium, possunt in suis conventibus et collegiis erigere privata oratoria, ad solum tamen divinum cultum deputata : in eis plures eodem die missæ, tum a regularibus, tum etiam a sæcularibus presbyteris celebrari possunt : item possunt fideles in hisce oratoriis præcepto missam audiendi satisfacere.* — Hæc omnia probata vide apud Ferraris (v. *oratorium*, n. 72 et seq.). Notetur autem non posse dicta oratoria erigi per superiores locales, sed necesse esse Provinciales oratorii locum et erectionem per *seipsos approbent* (vide loco citato, n. 79).

PROPOSITIO XVII^a. — *Regularibus a Concilio Tridentino ademptum est privilegium altaris portatilis : ipsis non licet in*

oratorio domus privatæ aliam missam celebrare post celebratam unicam quæ in Indulto concessa est : in oratoriis privatarum domorum nequeunt missam celebrare ante auroram nec post meridiem : nec in diebus solemnibus in Indulto exceptis : hæc ipsis vetita si faciant, procedere contra eos potest Ordinarius. — Hæc omnia firmata vide a Benedicto XIV in Encyclica *magno*, 2 junii 1751, a paragrapho 29 usque ad finem.

CAPUT XIV.

DE EPISCOPORUM POTESTATE QUOAD IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Dicemus 1° an et quatenus possint Episcopi dispensare in impedimentis mere impedientibus : 2° an in dirimentibus : 3° an possint aliquod impedimentum statuere : 4° nonnulla adnotabimus de matrimoniis filiorumfamilias absque parentum consensu initis.

§ I.

An et quatenus possint Episcopi dispensare in impedimentis mere impedientibus.

Propositio I[a]. — *Dispensare nequit Episcopus in impedimento ex sponsalibus cum altera persona initis proveniente.* — Etenim vel illa persona ultro cedit jure suo, et tunc cessat impedimentum ; vel jus suum retinere vult, et tunc Episcopus dispensando, huic personæ damnum inferret. Porro dispensatio quæ fit cum damno tertii, hoc ipso injusta est ac invalida (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 2, n. 1 ; et S. Ligorium, l. 6, n. 1126).

Propositio II[a]. — *Dispensare nequit Episcopus, ante matrimonium initum, ab impedimentis ex voto castitatis perpetuæ et ex voto ingrediendæ religionis.* — Quia nempe dispensationem quoad duo illa vota Sedes Apostolica sibi reservavit (vide, ibidem, citatos auctores).

PROPOSITIO IIIª. — *Post matrimonium contractum, dispensare potest Episcopus in duobus dictis votis (sive ante, sive post matrimonialem contractum emissis), in ordine ad petendum debitum; non tamen in voto quod ambo conjuges ex mutuo consensu emisissent.* — Vide, quoad singulas propositionis partes, S. Ligorium, l. 6, n. 986 et sequentibus.

PROPOSITIO IVª. — *Dispensare nequit Episcopus in impedimento proveniente ex hæresi.* — Matrimonia inter partes, quarum una catholica sit, altera hæretica, non quidem invalida sunt, sed tamen illicita. Porro in eo impediente impedimento dispensare non posse Episcopum, sub conjusvis consuetudinis prætextu, sic tradit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 3, n. 2) : « Si interdictum ut matrimonia hæc illicita sint, ex Concilii generalis Chalcedonensis lege, aliisque sacrorum canonum sanctionibus originem habet, iis insistendo regulis, quas supra posuimus, facili negotio perspicere est, hujuscemodi matrimonia licita aliter evadere non posse, præterquam in vim dispensationis a Romano Pontifice obtentæ, exclusis Episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint... Neque est, ut in hac re contraria ulla consuetudo apponatur, quoties non adsit positiva Pontificia dispensatio; quæ sane ex sola Pontificum Romanorum scientia ac tolerantia deduci nullo pacto potest. Ita firmat Natalis Alexander (*Theol. dogm. et moralis*, tomo 2, art. 8, *in regulis ad praxim spectantibus*, reg. 10). Qua de re cum olim in Congregatione S. Officii disceptatum fuerit, ea inter consultores et Cardinales inquisitores sententia vicit, quæ pro Pontificia steterat auctoritate... Pontificiæ ergo auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes alteram catholicam, et alteram hæreticam, licite contrahantur. »

Nota. — Quamvis autem Benedictus XIV Episcopis omnino deneget quoad ejusmodi matrimonia dispensandi facultatem, non tamen negat tales dari posse circumstantias, in quibus

matrimonia hæc licita sint; prout tanquam valde probabile cum multis doctoribus catholicis tradit sanctus Ligorius in hunc modum : « Verumtamen est valde probabile id quod « dicunt Busembaum.., Lugo.., Wigand.., Croix.., ac San- « chez.., cum Navarro et Azorio, nempe, quod in locis, ubi « hæretici vivunt mixti cum catholicis, ut in Germania, Po- « lonia, etc., ex consuetudine receptà et tolerata licitum est « matrimonia inire cum hæreticis, modo, 1° catholico con- « trahenti permittatur libere permanere in fide : 2° absit pe- « riculum perversionis : 3° detur libertas educandi prolem « catholice : 4° si facile non sit invenire parem inter catholi- « cos. Quorum si unum desit, non licebit.»(L. 6, n. 56.) Huic, inquam, opinioni non adversantur citata Benedicti XIV verba; quod et ipse paulo ante lectorem præmonet. Id tantum contendit laudatus Pontifex, matrimonia hæc, quando vi dictarum circumstantiarum licita non sunt, nequequam posse per Episcopi dispensationem licita fieri, sed ad Sedem Apostolicam esse recurrendum. Atque ita omnino tenendum videtur.

PROPOSITIO V^a. — *In cæteris, præter enumerata, impedientibus impedimentis, potest Episcopus dispensare.* — Ita doctores communiter. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 1126.

PROPOSITIO VI^a. — *Posse etiam Episcopum dispensare in impedimentis matrimonio valido supervenientibus, et debiti petitionem impedientibus, docent plures theologi.* — Vide S. Ligorium, loco citato. Attamen inter facultates a Cardinali Majori Pœnitentiario Episcopis concedi solitas, reperitur et ista, sub numero 9; quod Indultum inutile foret, si dicta facultas Episcopis de jure communi competeret.

§ II.

An possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus.

PROPOSITIO I^a. — *Potestatem in impedimentis dirimentibus publicis dispensandi Episcopo tribuunt aliqui gallicani auctores.*

— « Quod magis dolendum est (ait Benedictus XIV, *de Syn. « diœc.*, l. 9, c. 2, n. 3, editionis in 13 libros divisæ), non « desunt aliqui, licet pauci doctores, hac in re Episcopis blan- « dientes; quorum nonnulli innituntur prædicto axiomate (1), « cujus falsitatem deteximus; alii vero innituntur diuturna « consuetudine, per quam acquisitam decantant quibusdam « Episcopis potestatem relaxandi aliqua impedimenta diri- « mentia, qua, spectato jure communi, carerent. Hinc Giber- « tus (suarum *Consultationum* tomo 12, consult. 59) absolute « docet, Episcopos in hoc negotio unice spectare debere suo- « rum prædecessorum praxim, libereque posse, legitima exi- « gente causa, eas dispensationes indulgere, quas a suis præ- « decessoribus concessas deprehenderint. Hinc pariter Nata- « lis Alexander (*Theol. dogm. et moral.*, l. 2 *de Matrim.*, c. 4, « art. 13)... : *Si tamen antiqua sit et legitime præscripta diœ- « cesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu etiam de con- « trahendo certis in casibus dispenset, quia ejus decessores hac usi « sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quæ a Sede Apo- « stolica concessa creditur (quod in quibusdam Galliarum diœce- « sibus fieri novimus), de his dispensationibus haud movenda lis « est; siquidem consuetudo legitime præscripta juri positivo præ- « judicat.* Hinc denique nonnulli gallicani Episcopi, ut narrant « Pontas..., auctor *Collationum Parisiensium*..., Gerbesius.., « et Sainte-Beuve.., usum prætexentes suorum decessorum, « dispensant in impedimento quarti et alicubi etiam tertii « gradus consanguinitatis seu affinitatis. Et alii jus sibi vin- « dicant relaxandi insuper impedimenta cognationis spiritua- « lis, criminis, et publicæ honestatis. » Immo a tempore Concordati anni 1801, quo novarum diœceseon circumscriptio, suppressis antiquis, peracta est, non defuere in Gallia Episcopi, qui in publicis impedimentis dirimentibus dispensaverint, ea innixi ratione, quod ante annum 1793 decessores in eadem civitate Episcopi ea facultate uti solerent. Quod

(1) Nempe, *posse Episcopum in sua diœcesi quidquid potest Papa in universali Ecclesia, exceptis iis quæ Sedes Apostolica specialiter sibi reservavit.*

tamen perperam factum agnoscentes alii qui postmodum successerunt Præsules, pro sanatione *in radice* ejusmodi matrimoniorum ad Sedem Apostolicam recurrerunt.

PROPOSITIO IIª. — *Episcopi ante matrimonialem contractum, de jure ordinario dispensare non possunt in ullis impedimentis publicis dirimentibus. Estque opinio contraria erronea prorsus ac temeraria.* — « Hanc potestatem (ait Benedictus XIV, *de Syn.* « *diœc.*, l. 9, c. 2, n. 3) communi fere calculo, doctores dene- « gant Episcopo. Quinimmo Sacræ Urbis Congregationes, « Concilii videlicet, ac supremæ Inquisitionis, non semel pro- « scripserunt, tanquam *falsam* et *temerariam*, propositionem « asserentem Episcopo jus dispensandi super impedimento « dirimente publico, quod obstat matrimonio contrahendo, « etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas; uti vi- « dere est apud Rigantium, virum apprime doctum (tomo 4 « *in Regulas Cancellariæ*, in notis ad regulam 49, n. 1 et 2), « ubi Sacrarum Congregationum responsa, summa diligentia « congesta, per extensum, ut dicitur, referuntur, et docto- « rum in hanc rem placita copiose allegantur. » Cæterum patet ratio cur dicta potestas Episcopis adscribenda non sit : in lege enim superioris nequit dispensare inferior de jure ordinario. Sed dicta impedimenta sunt leges superioris relative ad Episcopos : sunt nempe a Romanis Pontificibus et Conciliis œcumenicis sancita : ergo.

Nec objiciatur, posse Episcopum in sua diœcesi, quidquid potest Papa in universali Ecclesia, exceptis iis quæ sibi Summus Pontifex specialiter reservat : non autem ullibi reservatam reperiri dictam in impedimentis dirimentibus publicis dispensationem. Illud enim principium erroneum prorsus esse, ac multorum errorum fontem, supra ostendimus.

PROPOSITIO IIIª. — *Nullis Galliæ Episcopis licitum est, ex titulo prætensæ consuetudinis legitime præscriptæ, dispensare, ante matrimonium, in impedimentis dirimentibus publicis.* — Admittenda erit conclusio si tria hæc probentur : 1° non constare de asserta illa aliquarum Galliæ diœceseon consuetudine :

2° non constare hanc consuetudinem iis vestitam fuisse conditionibus quæ necessariæ forent ad præscribendum contra legem: 3° stantibus hisce duobus, nulli Galliæ Episcopo licitum esse in dictis impedimentis dispensare. Atqui,

I. *Non certo constat de prætensa illa consuetudine.* — Allegantur quidem ab his aut illis Galliarum Episcopis concessæ dictæ dispensationes : at non probatur Episcopos illos id egisse absque speciali et personali Indulto, sibi a Sede Apostolica concesso. Nonnisi ex ejusmodi speciali Indulto dispensasse illos Episcopos potius concludendum est cum Benedicto XIV : 1° ex regestis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide et Sancti Officii, « in quibus frequentes adnotatæ reperiuntur « hujusmodi speciales concessiones Episcopis gallicanis Indul- « tæ » (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 2, n. 4) : 2° ex annotatis a Ducasse, auctore gallicano. Asserit nempe (*practica Jurisd. eccles.*, c. 10, sect. 7), timoratæ conscientiæ et excellentis doctrinæ gallicanos Episcopos dispensasse post Indultum sibi a Sede Apostolica concessum, et a dispensatione abstinuisse postquam cessaverat, nec fuerat renovatum Indultum : 3° a pluribus Galliarum provincialibus Synodis, quas loco citato adducit Benedictus XIV, declaratum est, haud posse Episcopos in dictis impedimentis dispensare. « Additque Diot..., in gene- « rali Congregatione Episcoporum et universi cleri gallicani « declaratum esse, dispensationes omnes matrimoniales ad « solum Papam pertinere, et parlamentis esse obsistendum, « si quando Episcoporum dispensationes admittant. » (Benedictus XIV, loco cit., n. 5.) Porro, stante illa Episcoporum et cleri Galliæ doctrina et persuasione, verisimile non est, introductam in ea regione fuisse contrariam praxim, modo ita permanenti, ut inde exurgeret proprie dicta consuetudo, quæ pro legitima haberetur: 4° tandem si consuetudo illa in aliquot diœceses Galliæ revera inducta fuisset, mirum foret, ait Benedictus XIV, generalem in ea regione non evasisse. Hæc qui perpenderit, facile concedet merito in dubium revocari ipsummet factum dictæ consuetudinis. Ad summum scilicet pro-

bari forsan poterit, hunc vel illum Episcopum absque Indulto dictas dispensationes concessisse : at vero ita ab ipsius in eadem sede successoribus constanter factitatum, haud puto pro ulla diœcesi Galliæ probari posse.

II. *Consuetudo hæc, etiamsi exstitisset, nequaquam probatur contra legem legitime præscripta.* — « Cum talis consuetudo « non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad « tollenda et minuenda jura uni competentia Romano Ponti- « fici, præter cæteras conditiones, necesse est ut centum ad « minus annorum spatio sine ulla interruptione persevera- « verit... Postremo considerandum est an per eam consue- « tudinem, si qua inoleverit, *disrumpatur nervus ecclesiasticæ « disciplinæ* : in quo eventu, nunquam per eam adversus « legem præscribi declaravit Innocentius III. » *(De Synodo diœces.*, l. 9, c. 2, n. 6.) Jam vero quis probare poterit, quoad aliquam Galliæ diœcesim, centenariam illam et nunquam interruptam consuetudinem? Quis certo evincet per illam non solvi *ecclesiasticæ disciplinæ nervum ?*

Præterea, etiamsi legitime præscripta probari posset illa consuetudo quoad aliquam e diœcesibus Galliæ ante Concordatum anni 1801 existentibus, at nequaquam pro noviter ab illo Concordato erectis. *Suppressæ* enim fuerunt diœceses omnes cum omnibus suis juribus. Ergo et jus illud a consuetudine ortum (etiamsi in aliqua diœcesi revera exstitisset), pariter suppressum fuisset. Allegari autem nequit consuetudo post dictum Concordatum denuo orta, quia centenaria non est.

III. *Stante hoc utroque dubio, Episcopis Galliæ omnino illicitum est dictas dispensationes concedere.* — « Sane istæ ab Episcopis « concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut « nullitatem, aut incertitudinem causant sacramenti. Atvero « in re sacramentaria unanimes docent theologi, non esse lici- « tum quidquam incerti adhibere, eo certo medio præter- « misso, quod adhibere possit. » (Cabassut, *Theoria et Praxis juris canonici,* l. 3, c. 27, n. 6.)

Propositio IVª. — *Potest Episcopus ante matrimonium dispensare in impedimentis dirimentibus occultis, in casu urgentis necessitatis.* — Non quidem extra omnem controversiam est sententia illa, siquidem acerrime a Fagnano impugnatur (in cap. *nimis, de Filiis pres.*, 34 et 35). A se primo assertam eam gloriatur Sanchez; sed ipsi postea adhæsere doctores fere communiter; ita ut in praxi tuta dici valeat. Vide sanctum Ligorium (l. 6, n. 613, et n. 1122), et Benedictum XIV *(de Syn. diœc.*, l. 9, c. 2, n. 2). Dicitur autem urgere necessitas, quando grave sequeretur scandalum, si matrimonium differretur ad obtinendam Pontificiam dispensationem. In eo scilicet casu merito præsumitur Pontifex, vel nolle ut lex sua obliget, vel facultatem dispensandi Ordinario concedere. Immo in hoc casu, si neque ad Episcopum recurri possit absque gravi scandalo, posse a parocho declarari legem non urgere, et celebrari matrimonium, probabile est (S. Ligorius, cit. loco, n. 613). Qua tamen opinione probabili si quando ntendum existimet parochus, prudenter nihilominus post celebratum matrimonium ad Episcopum recurret ad cautelam pro dispensatione.

Propositio Vª. — *Post contractum matrimonium, potest Episcopus, certis concurrentibus circumstantiis, dispensare in impedimentis dirimentibus occultis, non autem in publicis.* — « Ultro « concedimus Episcopo illud *(impedimentum quod irritum red- « didit matrimonium jam publice contractum)* relaxandi faculta- « tem, quam eidem adscribunt Sylvester..., Sotus..., San- « chez..., Pontius..., Cabassutius..., Sylvius..., Fagnanus..., « Natalis Alexander... Qui tamen unanimiter mouent, non « posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi simul « concurrant sex circumstantiæ : *primo* scilicet, ut jam ma- « trimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiæ, omnibus- « que adhibitis solemnitatibus : *secundo,* ut contractum fuerit « bona fide (1), ex juris aut facti ignorantia : *tertio,* ut sit

(1) Sufficit tamen ut una pars bona fide contraxerit (vide S. Ligorium, l. 6, n. 1124).

« consummatum : *quarto,* ut impedimentum sit occultum : « *quinto,* ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensa« tio a Papa obtineri, ob conjugum paupertatem, rusticita« tem, locorum distantiam, aliasque similes causas : *sexto* « denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 2, n. 1.)

§ III.

An possit Episcopus aliquod impedimentum matrimonii statuere.

PROPOSITIO Iª. — *Nequit Episcopus ullum impedimentum dirimens statuere.* — Id concludunt multi doctores, cum Suaresio, ex eo quod res maximi momenti non sint decernendæ nisi a Suprema Sede (vide S. Ligorium, l. 6, n. 980). Alii cum Sanchez, id deducunt ex inveterata consuetudine. « Sed præ« ter hanc consuetudinem, refert Benedictus XIV *(de Synodo,* « l. 7, c. 68, n. 7) Urbanum VIII suo decreto approbasse « declarationem S. Congregationis, ubi id expresse vetitum « fuit, ac insuper Pontificem præcepisse, ne in posterum hoc « in dubium revocaretur. » (S. Ligorius, l. 6, n. 980.)

PROPOSITIO IIª. — *Impedimentum impediens, non quidem proprie dictum seu perpetuum, sed ad tempus, statuere potest Episcopus. (Remissive.)* — Ita teneri a multis doctoribus adnotat Benedictus XIV *(de Synodo,* l. 8, c. 14, n. 5) : « Non solum « in Episcopo (inquit), sed etiam in parocho facultatem « agnoscunt impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua « rationabili causa, puto ad sedandum scandalum, vel ad « detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem; nec « tamen inde confici autumant, verum et proprium impedi« mentum eorum auctoritate matrimonio apponi. »

§ IV.

An certum sit valida esse filiorumfamilias absque parentum consensu inita matrimonia; et an opportune Galliarum Episcopi in suis synodalibus constitutionibus valida esse matrimonia hæc declararent?

Certo valida esse matrimonia hæc, et absonam atque despiciendam esse Juenini hac in re dubitationem, peremptorie probat Benedictus XIV *(de Synodo*, l. 9, c. 10), ita subjungens : « Neque extra institutum vagati sumus, dum hæc prolixius enarravimus; siquidem verebamur, ne Episcopi, prædicti Juenini, aliorumque contra communem sapientiorum Galliæ doctorum sensum idem scriptitantium, auctoritate decepti, non audeant in suis Synodis declarare, matrimonia a filiisfamilias, invitis ac insciis parentibus contracta, etsi illicita, valida tamen esse. Quam profecto synodalem declarationem, ad consulendum animarum saluti, non solum utilem, sed maxime necessariam reputamus. »

CAPUT XV.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD SACROS ORDINES SÆCULARIBUS CONFERENDOS.

Aliæ sunt juris dispositiones circa ordinandos sæculares, et aliæ circa ordinandos regulares. Quapropter de utriusque sejunctim disserere visum est. Nimirum sequenti capite dicemus de ordinandis regularibus. Hic autem de solis sæcularibus agimus.

§ I.

Quisnam sit proprius Episcopus quoad ordinandos clericos, vel concedendas dimissoriales litteras.

PROPOSITIO I^a^. — *Quadruplici modo potest Episcopus relative ad ordinandos esse proprius eorum Episcopus, videlicet : ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis commensalitatis.* — Momenta quæ id probant sunt sequentia :

I. Decretalis *cum nullus* (3, *de temporibus ordinationum*, in 6) Bonifacii VIII, anno 1299, qua sic statuitur : « Cum nullus « clericum parochiæ alienæ, præter *superioris* ipsius licentiam « debeat ordinare, *superior* intelligitur in hoc casu Episcopus « de cujus diœcesi est is qui ad ordines promoveri desiderat « oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium obtinet eccle- « siasticum; seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in « eadem. » Ibi aperte declaratur cum Episcopum legitime ordinare posse, in cujus diœcesi ordinandus, vel natus est, vel obtinet beneficium, vel domicilium habet.

II. Tridentinum decretum (cap. 9, sess. 23 *de ref.*) sic habet : « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare « non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus ; « et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa « illi conferat. » Ergo etiam per triennalem commensalitatem, Episcopus quoad ordinandum *proprius* (id est, legitimus ordinator) efficitur.

III. Constitutio *speculatores* Innocentii XII, 4 novembris 1694, quam in extenso reperies apud Ferraris (verbo *ordo*, art. 3, n. 11). In ea Constitutione enumerat et determinat Pontifex requisitas conditiones, ut Episcopus legitime possit aliquem ordinare tanquam sibi subditum, sive ratione originis, sive ratione domicilii, sive ratione beneficii, sive ratione commensalitatis. Unde quod possit Episcopus in quolibet ex istis quatuor casibus aliquem legitime ordinare (dummodo non de-

sint quoad unumquemque casum requisitæ conditiones) præfata Constitutione plene confirmatur.

IV. Ita intelligendum esse jus commune, extra controversiam est apud doctores.

PROPOSITIO IIª — *Expositum jus commune de proprio quoad ordinationes Episcopo, Galliæ etiam permanenter jus fuit, et hodiedum est.* — Ad probandam illam conclusionem procedemus hoc ordine : 1° exponemus opinionem eorum qui contendunt diversum quoad id fuisse jus Galliæ : 2° ostendemus jus Galliæ non aliud fuisse quam jus commune : 3° dato etiam diversum olim jus illud fuisse, probabimus hodie non aliud esse admittendum quam commune.

I. *Exponitur opinio quæ tenet, peculiare quoad id in Gallia jus viguisse.* Sic legere est in opere *Mémoires du clergé* (tomo 14, col. 1083 et seq., edit. 1771) : « C'est une question sur la- « quelle la discipline de France et celle des autres églises ne « sont pas conformes, quel est le propre Évêque pour l'or- « dination, et combien on peut en distinguer?... Le Pape « Boniface VIII, dans le Sexte, *semble* (1) aussi marquer trois « propres Évêques, de l'origine, du domicile et du bénéfice... « Cet usage des trois propres Évêques a été *peu* (2) reçu en « France, disait M. de Chalons, dans le rapport qu'il fit dans « l'assemblée générale de 1657... L'Église insensiblement a « voulu (3) attacher toute la juridiction de l'Evêque diocé- « sain à la naissance, qui est unique et invariable, comme « autrefois elle consistait toute au titre, lorsqu'il ne pouvait « être ni multiplié, ni changé, que par la permission de l'Évê- « que. »

Eamdem opinionem reperies apud Van Espen (parte 2, tit. 9, c. 2).

(1) Nota fallaciam hujus verbi *semble* : res sane haud potuit clarius exprimi quam in illa Decretali.

(2) Nemo dicere simpliciter ausus est, non fuisse receptum : nimium enim mendacium patuisset. Hinc caute dicunt, *parum*.

(3) Nota egregium mendacium : Ecclesia enim expresse contrarium sancivit.

II. *Ostenditur jus Galliæ non aliud hac in re fuisse quam jus commune.* — Admittenda erit conclusio hæc, si probetur, 1° dictum jus commune in Gallia fuisse receptum; 2° jus illud per comitia cleri gallicani, quæ sola objiciuntur, nequaquam immutatum fuisse. Atqui,

1° Certum est receptum in Gallia fuisse jus commune, de quadruplici modo quo Episcopus relative ad ordinandos *proprius*, seu legitimus ordinator, efficitur. Utemur ad id probandum gallicorum scriptorum testimonio, ne quis forte suspectos haberet, si adduceremus extraneos. In opere cui titulus *Conférences d'Angers* (in tomo de sacramento ordinis et irregularitatibus, collatione mensis maii 1709, quæstione 3), sic habetur : « Selon le droit nouveau que Boniface VIII a ex- « pliqué dans le chapitre *cum nullus*, le propre Évêque des « séculiers est, ou l'Évêque du lieu où l'on a reçu la nais- « sance, où celui du domicile, où enfin celui du diocèse dans « lequel on possède un bénéfice.

« Il s'en faut tenir à cette disposition du droit, puisqu'elle « n'a été ni révoquée ni changée par le Concile de Trente; et « qu'au contraire le Pape Innocent XII, dans une Bulle qui « commence par le mot *speculatores*, qu'il publia en 1694, la « regarde comme une règle qu'on doit suivre dans la prati- « que. Ainsi, encore qu'en France on ait plus souvent recours « à l'Évêque du lieu de sa naissance, il ne passe pas seul « pour le propre Évêque par rapport à l'ordination, et l'on « n'a point donné l'exclusion à l'Évêque du bénéfice, ni à « celui du domicile, comme on peut le prouver par le Synode « de Langres de l'an 1404 ; par le Concile de la province de « Sens, tenu en 1528, et par le Concile d'Aix de l'an 1585... « Le Concile de Narbonne de 1609 reconnaît aussi pour pro- « pre Évêque celui dans le diocèse duquel un clerc possède « depuis trois ans un bénéfice de 30 écus de revenu. » Textus dictarum Synodorum, ibidem citantur hoc modo : *Ordinandus ordinari potest ab Episcopo in cujus diœcesi natus est, aut habet beneficium ecclesiasticum, vel habet ibi domicilium, licet*

non fuerit ibi natus (Concilium Lingonense 6). *Et quamvis Episcopus originis, beneficii, aut domicilii, non solum ad ordines promovere, sed etiam litteras dimissorias ad ipsos ordines concedere possit...* (Concilium Senonense anni 1528, decreto *de moribus*, cap. 5). In Aquensi autem Synodo cavetur, ut qui vult sacris ordinibus initiari, probare debeat, *se vel origine, vel beneficio quod in diœcesi sua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione diœcesanum esse.*

Eamdem doctrinam reperio in opere cui titulus *Jus sacrum ecclesiæ Tolosanæ, notis illustratum; opera Simonis de Peyronet, doctoris theologi, Tolosæ* 1679. Ibi nempe, pagina 68, sic legere est : « Juxta canonicas sanctiones, unusquisque clericus a proprio Episcopo ordinandus est... Triplex autem hoc loco « proprius est Episcopus, originis scilicet, domicilii et beneficii, ut aperte habetur capite *cum nullus* (*de Temporibus* « *ordinandorum*, in 6), quod summe notandum est. » Fuit dictus de Peyronet, in urbe Tolosa, rector parochiæ quæ vulgo dicitur *du Taur*.

Quod autem ratione etiam *triennalis commensalitatis* possit Episcopus aliquem, alias sibi non subditum, legitime ordinare, fuit pariter in Gallia admissum ; prout fatetur gallicanissimus auctor citati operis *Mémoires du clergé* (tomo 14, col. 1085) in hunc modum: « Il y a des cas ou un Évêque peut ordonner « son commensal d'un diocèse différent, et peut être regardé « comme le propre Évêque. Le Concile de Trente (sess. 23, « c. 9) ne le permet qu'à deux conditions : *nisi per triennium* « *secum fuerit commoratus, et beneficium quacumque fraude cessante statim reipsa illi conferat*. Le Concile de Bourges en « 1584 a fait un semblable règlement ; et celui d'Aix en 1585.»

Ergo revera jus Galliæ hac in re non aliud fuit quam jus commune. Unde falso assertum est in comitiis cleri gallicani anni 1657, Bonifacii VIII Decretalem *parum* in Galliis receptam fuisse. Et cæteroquin assertum illud dumtaxat fuit, non probatum.

2° Dictum autem jus commune immutatum nequaquam

fuit ab ullis cleri gallicani comitiis: tum quia non potuerunt ejusmodi mutationem valide decernere; tum quia de facto illam non decreverunt.

Primo; non potuerunt jus commune ullis suis decretis valide immutare. Nam comitia illa non fuerunt Concilia canonica, sed meri aliquot Episcoporum et clericorum conventus, jussu regis coacti, ad determinandam quantitatem liberæ subventionis, quam clerus Galliæ de bonis ecclesiasticis gubernio erogare solebat. Unde quod in illis comitiis de rebus ecclesiasticis sancitum fuisset, ne provincialis quidem Synodi auctoritatem habuisset. Præterea, etiamsi comitia illa fuissent Concilia nationalia canonice celebrata, non potuissent dictam mutationem valide unquam decernere; quia jus commune abrogare aut immutare nonnisi ad Romanum Pontificem et ad Concilium œcumenicum pertinet. Atque id adnotat collator Andegavensis (*Conférences d'Angers*, loco citato) in hunc modum:

« Si quelqu'un disait que les assemblées générales du « clergé de France ont réglé que pour l'ordination on n'aurait égard qu'à l'Évêque du lieu de la naissance, et non pas « à celui de la demeure ou du bénéfice, et que par conséquent, suivant l'usage de l'église de France, l'Évêque de « la naissance est le seul qui puisse passer pour le propre « Évêque, on ne se croirait pas obligé d'accorder cette conséquence; parce qu'on n'est pas persuadé que ces sortes « d'assemblées du clergé, qui se tiennent de cinq en cinq « ans, aient le pouvoir de faire de nouvelles lois ecclésiastiques, ni d'abroger et de changer celles qui sont faites, et « qui sont approuvées par l'Église universelle. » Haud probandus tamen timidus ille loquendi modus *on n'est pas persuadé*, etc. Quod enim nequeant universales Ecclesiæ leges, ab ullo ullius regionis clero abrogari aut immutari, catholico cuilibet *certum* omnino esse debet; neque fas est ullo modo in dubium vocare.

Secundo; sed de facto cleri gallicani comitia dictam juris

communis mutationem non decreverunt. Quod ita subjungit ibidem Andegavensis collator : « Mais il n'est pas nécessaire « d'entrer en cette discussion ; puisque dans les assemblées « du clergé on n'a pas arrêté que les Évêques ne pourraient « conférer les ordres qu'à ceux qui seraient nés dans leur « diocèse ; et qu'on y est seulement convenu d'écrire une « lettre circulaire à tous les Évêques de France pour les ex- « horter à en user de la sorte ; ce qui paraît par les délibé- « rations des assemblées de 1635, de 1655 et de 1665. » Quod si quis pertinaciter contendat, statutam revera fuisse a dictis comitiis præfati juris communis moderationem, respondebo : Id si verum sit, sequitur dumtaxat tunc contigisse unum ex illis deflendis attentatis, quæ non semel in iis comitiis recurrerunt, quæque jus non fecerunt, sed scandalum.

III. *Etiamsi prætensum jus particulare olim in Gallia viguisset, jus illud hodie pro antiquato haberi deberet.* — Cum enim per Concordatum anni 1801 omnes diœceses Galliæ suppressæ atque exstinctæ fuerint cum suis titulis ac privilegiis omnibus, exstincta hoc ipso remanserunt particularia jura hisce gallicanis ecclesiis quoquomodo acquisita. Novis autem erectis diœcesibus, jura hæc particularia non fuerunt denuo collata. Unde quoad ipsas viget hodie solum jus commune, exceptis iis quæ per ipsummet Concordatum contra jus commune concessa sunt. Quod vide probatum in meo tractatu *de Principiis*. Porro, contra jus commune *de proprio* quoad ordinandos Episcopo, nihil in dicto Concordato dispositum reperies.

PROPOSITIO III^a^. — *Ut Episcopus legitime possit aliquem ordinare ratione originis, requiritur ut ordinandus in ejus diœcesi natus sit ; et quidem aliter quam ex accidenti, verbi gratia, occasione itineris.* — Constat ex paragrapho 9 Constitutionis *speculatores* Innocentii XII.

PROPOSITIO IV^a^. — *Si fortuito in aliqua diœcesi ordinandus natus sit, attendenda est origo patris ipsius.* — Constitutione *speculatores,* citato paragrapho.

PROPOSITIO V^a^. — *Si ordinandus in ea diœcesi in qua fortuito*

natus est, moram ita traxerit, ut potuerit ibi canonico aliquo impedimento irretiri, necessariæ sunt hujus diœcesis Episcopi testimoniales litteræ; et Episcopus ordinans absque iis visis ordinare non debet, et de iis litteris mentio facienda est in attestatione susceptorum ordinum. — Sic dispositum vide in dicta Constitutione, § 9.

Propositio VI^a.— *Si in diœcesi, in qua ordinandus natus est, pater ejus domicilium contraxerit, legitimus ordinator erit hujus diœcesis Episcopus.* — Vide ibidem, § 10.

Propositio VII^a. — *Ut Episcopus legitime aliquem ordinare possit ratione beneficii, requiritur 1° ut beneficium sit pacifice possessum ab ordinando: 2° ut beneficium illud, detractis oneribus, sufficiat ad congruam ejus sustentationem : 3° ut ordinandus Episcopo ordinaturo exhibuerit testimoniales tum Episcopi originis, tum Episcopi domicilii litteras, circa natalia, ætatem et mores : 4° ut in attestatione susceptorum ordinum fiat mentio de hisce litteris, necnon de redditibus beneficii.* — Vide eamdem Constitutionem, § 7 et 8.

Propositio VIII^a. — *Ut Episcopus legitime aliquem ordinare possit ratione domicilii, requiritur ut ordinandus alibi natus domicilium ita stabiliter in diœcesi hujus Episcopi statuerit, « ut vel « per decennium saltem in ea habitando, vel majorem rerum ac « bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujus- « modi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile « tempus commemorando, satis superque suum perpetuo ibidem « permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius in « utroque casu, se vere et realiter animum hujusmodi habere jure- « jurando affirmet. »* — Sunt ipsa verba dictæ Constitutionis, § 11. Debet autem tunc ille ordinandus exhibere Episcopo domicilii testimoniales ut supra litteras Episcopi originis, si in loco ubi natus est tamdiu moratus sit, ut potuerit ibi aliquo impedimento canonico irretiri (ibidem, § 12).

Propositio IX^a. — *Ut Episcopus legitime aliquem ordinare possit ratione familiaritatis seu commensalitatis, requiritur 1° ut eum, per triennium completum, in suo actuali servitio commen-*

salem retinuerit et suis sumptibus aluerit: 2° ut saltem intra mensem a die ordinationis ei conferat beneficium ad congruam sustentationem sufficiens. — Constat Constitutione *speculatores*, § 13, et Concilio Tridentino, sess. 23, c. 9. Vide etiam apud Ferraris, verbo *ordo*, art. 3, n. 29.

Propositio X^a^. — *Episcopi in partibus, qui et titulares vocari solent, nequaquam possunt aliquem ordinare ratione commensalitatis.* — Ita decretum a Concilio Tridentino, sessione 14, c. 2. Imo titularis Episcopus qui aliquem ordinat absque proprii Episcopi expresso consensu et dimissorialibus litteris, suspensionem ab usu pontificalium ipso jure per annum incurrit; et ordinatus ab ipso suspensus pariter remanet quandiu proprio suo Episcopo visum fuerit. Ita enim statuit Tridentina Synodus citato capite.

Propositio XI^a^. — *In suscipiendis ordinibus, sive minoribus, sive majoribus, licita est variatio quoad Episcopum ordinantem, dummodo non fiat in fraudem.* — Potest nempe qui tonsuram vel etiam unum aut plures ordines recepit ab Episcopo originis, alium vel alios ordines recipere ab Episcopo domicilii vel beneficii, et vice versa. Ita decisum a S. Congregatione Concilii, vide apud Ferraris (v. *ordo*, art. 3, n. 99). Sed attendenda est limitatio, *dummodo non fiat in fraudem.*

§ II.

De dimissorialibus litteris quoad ordinandos sæculares; necnon de litteris testimonialibus.

Propositio I^a^. — *Quilibet Episcopus qui tanquam proprius aliquem posset ordinare, potest et ipsi dimissoriales litteras concedere, ut legitime ab alieno ordinetur.* — Extra controversiam est apud doctores. Vide Lucium Ferraris, verbo *ordo*, art. 3, n. 36, 37 et 38. In hoc tamen casu servandæ sunt supradictæ præscriptiones Constitutionis *speculatores*.

PROPOSITIO II[a]. — *Vicarius generalis Episcopi, absente Episcopo dimissoriales concedere potest : præsente autem Episcopo id nequit, absque speciali ejus concessione.* — Ita communiter doctores. Auctoritates quæ id probant vide apud Ferraris, verbo *ordo*, art. 3, n. 39.

PROPOSITIO III[a]. — *Vicarius capitularis, sede vacante, dimissoriales concedere potest post annum a sedis vacatione : ast infra annum a die vacationis eas concedere nequit, nisi arctatis* (1). — Ita concludendum ex Tridentino decreto, capitis 10 sessionis 7. « Quamvis enim Concilium ibi nominet solum *capitulum con-* « *traveniens*, tamen quia capitulum infra octo dies post mor- « tem Episcopi tenetur constituere vicarium (juxta præscri- « ptum ejusdem Concilii, sessione 24, capite 16) non potest « amplius, electo vicario, ejusmodi dimissorias concedere per « seipsum, sed solum per suum vicarium capitularem. Unde « S. Congregatio Episcoporum et Regularium, in *Neapolitana*, « 12 januarii 1604, declaravit dimissorias concedere, tam « arctatis intra annum, quam non arctatis post annum a die « vacationis sedis, non ad capitulum, sed ad vicarium capitu- « larem omnino spectare. Vicarius enim capitularis privative, « et non cumulative quoad capitulum jurisdictionem obtinet, « ut declaravit eadem S. Congregatio (in *Neritonensi* 16 se- « ptembris 1655, et in *Hydrontina* 1 octobris ejusdem anni). « Et hoc etiamsi capitulum illum constituisset et elegisset, « cum tali aut alia restrictione et limitatione facultatis, cum « capitulum non possit in electione vicarii aliquid sibi reser- « vare, nec potestatem electi coarctare, ut sæpe sæpius « respondit S. Congregatio Episcoporum et Regularium. » (Ferraris, verbo *ordo*, art. 3, n. 40 et seq.)

« Vicarius capitularis contraveniens, ecclesiastico subjacet « interdicto. Et sic ordinati, si in minoribus ordinibus consti-

(1) *Arctati* vocantur qui obtinuerunt beneficium ordinem exigens. Qui, verbi gratia, beneficium parochiale obtinuit, arctatur, seu tenetur infra certum tempus presbyteralem ordinem recipere.

« tuti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in crimi-
« nalibus gaudent : in majoribus vero, ab executione ordinum
« ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi. »
(Ferraris, loco citato, id concludens ex præfato capite 10, sessionis 7 Tridentinæ Synodi.)

PROPOSITIO IV^a. — *Qui tonsuram non recepit, ac proinde beneficium hic et nunc non obtinet, tonsurari nequit aut dimissorias recipere ab ullo Episcopo ratione beneficii statim obtinendi post receptam tonsuram.* — Constat Constitutione *speculatores*, § 6. Nullus scilicet Episcopus est legitimus ordinator *ratione beneficii,* nisi ordinandus beneficium jam obtineat. Nullus autem ante receptam tonsuram beneficium ecclesiasticum possidere potest.

PROPOSITIO V^a. — *Ut clericus possit beneficium obtinere in aliena diœcesi, non indiget testimonialibus litteris Episcopi originis aut domicilii.*—Vide id probatum apud Ferraris (v. *ordo,* art. 3, n. 88 et seq.). Equidem ut possit ordinari *ratione beneficii* prærequiruntur testimoniales litteræ Episcopi originis et domicilii, ex præscripto Constitutionis *speculatores :* atvero ut beneficium in aliena diœcesi ipsi conferatur, nullo jure dictæ litteræ testimoniales requiruntur.

PROPOSITIO VI^a. — *Potest Papa, absque dimissorialibus propriorum Episcoporum quoscumque ordinare, et licentiam eis concedere ut a quocumque Episcopo ordinentur : ordinatos autem a Papa, ad superiores ordines nullus promovere potest sine Pontificia licentia.* — Vide apud Ferraris (v. *ordo,* art. 3, n. 86).

PROPOSITIO VII^a. — *Metropolitani, Patriarchæ, Nuntii et Legati Pontificii, nequeunt Ordinariorum subditos ordinare, nec eis dimissoriales concedere.*—Vide probatum apud Ferraris (verbo *ordo,* art. 3, n. 85), necnon a Cardinali Petra (tomo 1, ad Constitutionem *unicam* Urbani II, sect. 1, n. 44).

PROPOSITIO VIII^a. — *Speciale jus circa dimissorias statutum est, quoad ultramontanos (relative ad Italiam) qui volunt ordinari ab Episcopis Italiæ.* — « Ultramontani *(intellige, relative*
« *ad Italiam)* non possunt ordinari ab Episcopis Italiæ, nisi

« illorum dimissoriæ fuerint recognitæ et approbatæ per Nuntios Apostolicos, etiam regionum, ac per Vicarium Urbis (Urbanus VIII, Constitutione 33, incipiente *secretis*) : et hoc, quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiæ (Sacra Congregatio Concilii, in *Bononiensi* 15 martii 1692). Hoc tamen non procedit in ultramontanis regularibus » (Ferraris, v. *ordo*, art. 3, n. 80; vide etiam ibid., n. 64.)

Propositio IX^a. — *Item speciale jus statutum est, quoad eos ordinandos qui per quatuor menses Romæ commorati sunt.* — « Commorantes in Urbe per quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii Ordinarii; sed debent se præsentare Eminentissimo Cardinali Vicario, a quo debent ordines recipere; vigore edicti tempore Clementis VIII, de anno 1603 emanati; ac Alexandri VII anno 1664, die 15 maii, et declarationis Congregationis deputatæ ab eodem Pontifice. Alias contraveniendo incurrunt suspensionem Papæ reservatam. » (Ferraris, v. *ordo*, art. 3, n. 83).

Propositio X^a. — *Quando de jure requiruntur litteræ testimoniales, ut quis licite valeat ordinari, non sufficit in eis dari testimonium de bonis moribus et de carentia cujuslibet censuræ et irregularitatis, sed exprimi aliquo modo debet, dari eas litteras relative ad ordinum receptionem.*—Vidimus supra requiri quandoque *testimoniales* litteras. Quando nempe quis ordinandus est ab Episcopo, qui est proprius ipsius Episcopus *ratione beneficii,* obtineri debent ab Episcopo originis et ab Episcopo domicilii, non quidem *dimissoriæ,* sed *testimoniales* litteræ. « Magna intercedit differentia inter litteras dimissorias et litteras testimoniales. Nam litteræ dimissoriæ exprimunt traditam facultatem ut alter Episcopus possit clericum illum ad ordines promovere : litteræ autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda ordinatio ab alio Episcopo non indigente traditione hujus facultatis, sed ea potituro jure suo; solumque continent testimonium, quod clericus promovendus sit dignus, cui

« tales ordines conferantur. » (Apud Ferraris, v. *ordo*, art. 4, n. 42.)

Duplicis autem generis dari clericis solent in curiis episcopalibus *testimoniales* litteræ : aliæ nempe in quibus nihil exprimitur de idoneitate clerici ad suscipiendos quibus adhuc carent ordines (quales dantur, verbi gratia, clerico alicui iter facturo; et in eis exprimitur eum esse bonis moribus præditum et nulla censura aut irregularitate irretitum) : aliæ in quibus insuper aliquo modo exprimitur testimonium illud dari intuitu recipiendorum ab illo clerico ordinum. Movetur autem quæstio, an testimoniales prioris generis satisfaciant Constitutioni *speculatores* Innocentii, qua exiguntur quidem testimoniales litteræ, sed absque ulla determinatione formæ, in iis testimonialibus servandæ. Dicimus autem requiri testimoniales posterioris generis.

Constat ex decisis in quadam causa *Pientina.* Minores jam ordines contulerat Pientinus Episcopus Laurentio Medicheschio, ratione originis et domicilii sibi subdito. Obtinuit Laurentius beneficium in diœcesi Ilcinensi. Et eidem in curia episcopali Pientina datæ sunt testimoniales litteræ tenoris hujusmodi : « Testamur clericum Laurentium Medicheschi nostræ « diœcesis, in minoribus constitutum, nullo excommunica- « tionis, irregularitatis aut cujusvis alterius canonici impedi- « menti vinculo, saltem quoad sciamus, innodatum existere, « neque ullo crimine postulatum, ac talem quales in sortem « Domini vocatos decet. » Cumque dictum Laurentium ad sacros ordines promovisset Episcopus Ilcinensis, conquestus est Pientinus Præsul, et S. Congregationi propositum est, inter alia, dubium hoc : 3° *An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem ?* S. Congregatio respondit primum (die 18 julii 1733) : *Ad tertium, affirmative.* Sed iterum causa proposita, scripsit Pientinus Episcopus : « Si de testimonialibus « agatur, non inficior, quod a mea curia concessæ fuerint cle- « rico Laurentio Medicheschio paulo ante ejus discessum,

« prout clericis omnibus illas postulantibus, et præsertim dis« cessuris, conceduntur ; sed limitatæ ad mores, et absque ullo « prorsus respectu ad ordines suscipiendos, de quibus nec per « umbram fuit cogitatum. » Proposito tandem dubio, *an quoad tertium dubium sit standum vel recedendum a decisis*, S. Congregatio die 8 augusti 1733 respondit : *Quoad tertium, recedendum a decisis*. Vide causam illam in *Thesauro resolutionum*, necnon apud Ferraris (v. *ordo*, art. 3, n. 89 et seq.).

§ III.

Quid requiratur ex parte ordinandorum ut legitime promoveri valeant.

PROPOSITIO I^a. — *Ut quis valide ordinari queat, requiritur et sufficit ut sit masculus necnon baptizatus ; et quoad adultum insuper requiritur ut consentiat.* — Vide apud Ferraris, verbo *ordo*, art. 2, n. 24 et sequentibus.

PROPOSITIO II^a. — *Ut quis licite ordines recipere queat, requiritur ut sit in statu gratiæ ; ut jam confirmationis sacramentum receperit; ut ordines recipiat gradatim et non per saltum; ut nulla censura aut irregularitate sit irretitus.* — Vide ibidem, n. 30 et sequentibus, et n. 69.

PROPOSITIO III^a. — *Ætas requisita est : quoad subdiaconatum 22, quoad diaconatum 23, et quoad presbyteratum 25 annus inceptus : quoad minores et tonsuram, jure communi hodierno non præscribitur certa ætas, sed dumtaxat certa scientia acquisita.* — 1° Constat prior pars conclusionis capite 12 sessionis 23 Tridentini Concilii, ubi dicta quoad subdiaconos, diaconos et presbyteros ætas expressis terminis exigitur.

2° Posterior pars conclusionis, tonsurandos et minorandos respiciens, colligitur ex modo quo de ipsis præfata Synodus loquitur. Sic enim habetur sessione 23, capite 4 : « Prima ton« sura non initientur qui sacramentum confirmationis non « susceperint et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique

« legere et scribere nesciant. » Et in eadem sessione, capite 11 sic statutum fuit : « Minores ordines iis qui saltem latinam « linguam intelligant (per temporum interstitia, nisi aliud « Episcopo expedire magis videretur) conferantur... Cumque « hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingres- « sus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus « ordinibus dignum ostendat.» Juvenes autem alii aliis citius legere et scribere discunt : item alii aliis citius latinæ linguæ intelligentiam sibi comparant. Cum ergo Tridentina Synodus, de ætate silens, dictas conditiones tanquam necessarias sanxerit, sequitur nullam determinatam ætatem requiri, sed quamlibet sufficere, dummodo tonsurandus legere et scribere sciat, minorandus vero latinam linguam intelligat.

Propositio IV^a. — *Requiritur insuper ad sacrorum ordinum susceptionem canonicus sustentationis titulus, scilicet : aut beneficii pacifice possessi, aut patrimonii sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis religiosæ.* — Ita præscribitur in Pontificali Romano, titulo *de Ordinatione subdiaconi*, necnon capite 2 sessionis 21 Tridentinæ Synodi, et tenent doctores communiter. « Et ratio hujus dispositionis est, ut clerici ordi- « nati in sacris habeant unde honeste ali possint, ne cogantur « (dicit Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 2 *de Ref.*) *cum « ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum « exercere.* » (Ferraris, v. *ordo*, art. 2, n. 82.)

Propositio V^a. — *Ut quis possit ordinari titulo beneficii, sive in sua diœcesi, sive in aliena, requiritur ut beneficii redditus sufficientes sint juxta taxam synodalem, vel (ea deficiente) juxta morem regionis.* — 1° Quoad eum qui ordinatur ad titulum alicujus beneficii, in propria sua diœcesi existentis, sequitur ex decreto Tridentino (c. 22, sess. 21), ubi exigitur ut beneficium *ad victum honeste sufficiat*. Cum enim sufficientiam Tridentina Synodus non determinaverit, hoc ipso locorum Ordinariis determinandam reliquit. Si ergo exstet in ea diœcesi taxa Episcopi auctoritate sancita, haud dubium quin juxta taxam illam sufficientia beneficii dimetienda sit. Quod si forte

nulla exstet, at vero juxta regionis morem aliqua ejusmodi taxa vigeat, censetur Episcopus hanc ipsam approbare, cum non aliam edicat; ac proinde huic consuetudinali taxæ standum erit.

2° Quoad eum qui ad titulum beneficii, in aliena diœcesi existentis, ordinatur, idem fuit expresse sancitum in supra citata Constitutione *speculatores*, § 8, per hæc verba : *Nisi beneficium ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive (ea deficiente) juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat.*

Propositio VI. — *Quando quis ad titulum beneficii ordinatur in aliena diœcesi, sufficientia redditum determinanda est juxta taxam diœcesis in qua situm est beneficium, si beneficium illud exigat residentiam : secus determinanda est juxta taxam diœcesis in qua sic ordinatus domicilium habet.* — « Excitata « controversia, an sufficientia esset præfinienda ad normam « taxæ synodalis vigentis in diœcesi domicilii, an potius in « ea diœcesi ubi situm est beneficium, Sacra Congregatio, ut « eam dirimeret, hanc adhibuit distinctionem : aut beneficium continuam exposcit et perpetuam residentiam; aut « ejusmodi obligationis vinculo beneficiarium non obstringit : « si secundum, sufficientia erit desnmenda a taxa synodali « præfinita in loco ubi beneficiarius domicilium habet : si « primum, a taxa præscripta in diœcesi in qua beneficium « possidet. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœces.*, l. 12, c. 9, n. 2.) Atque ita pluries a Sacra Congregatione Concilii declaratum fuit, ac postmodum ab Innocentio III, Constitutione *Apostolici*, § 7, expresse sancitum, prout videre est apud Benedictum XIV, citato loco.

Propositio VII. — *An sufficientia beneficii intelligenda sit detractis missarum oneribus, conscientiæ et arbitrio Ordinariorum pro singulis casibus relictum est.* — Ita post multas disceptationes a S. Congregatione Concilii decisum, vide apud Benedictum XIV *(de Synodo diœcesana*, l. 12, c. 9, n. 3 et seq.).

Propositio VIII^a. — *Requiritur ut beneficium sit sufficiens per se, et non cum adjuncto aliquo patrimonio.* — Sequitur ex obvio Tridentini decreti sensu. Et insuper in Constitutione *speculatores*, § 8, expresse exigitur ut beneficium *per se sufficiat, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum adjunctione patrimonii, etiam pinguis.*

Propositio IX[a]. — *Ordinatus ad titulum alicujus beneficii, nequit postea illud beneficium resignare, « nisi facta mentione, « quod ad illius beneficii titulum sit promotus ; neque ea resignatio « admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, « et aliter facta resignatio nulla sit. »* — Sunt verba Tridentini Concilii, sessione 21, capite 2.

Propositio X[a]. — *Ad titulum patrimonii vel pensionis ordinari nequeunt « nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos « pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum ; eo quoque « prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis « obtineri, taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. »* — Sunt verba Tridentini Concilii, sessione 21, capite 2.

Propositio XI[a]. — *Patrimonium vel pensio, ad cujus titulum quis ordinatus est, sine licentia Episcopi alienari aut exstingui vel remitti nullatenus potest, etiamsi beneficium sufficiens sic ordinatus obtinuerit, vel aliunde habeat unde vivere possit.* — Colligitur ex Tridentina Synodo, sess. 21, c. 2. Vide idem firmatum variis S. Congregationis Concilii declarationibus, apud Ferraris, verbo *ordo*, art. 2, n. 92 et seq.

Propositio XII[a]. — *Qui sacros ordines fraudulenter suscipit cum ficto patrimonii aut beneficii titulo, suspensionem ipso facto incurrit.* — Constat canone *neminem* 1, et canone *sanctorum* 2, distinctionis 70 ; qui canones innovati fuerunt per hæc verba Tridentinæ Synodi (sess. 21, c. 2) : *antiquorum canonum pœnas super his innovando.* Constat insuper Constitutione *secretis* Urbani VIII, necnon pluribus Sacrarum Congregationum declarationibus, ut videre est apud Ferraris (v. *ordo*, art. 2, n. 90). Unde contraria opinio tanquam laxa et erronea derelinquenda est. Vide Monacellum (tomo 2, tit. 13, formula 3, n. 4; et

tomo 3, tit. 2, form. 1, n. 1), Pignatellum (tomo 5, consultatione 77, n. 15 et 16), Reiffenstuel (in tit. 11, libri 1 Decretalium, n. 198).

PROPOSITIO XIII. — *Si quis bona fide seu absque dolo ordinetur sine titulo legitimo, suspensionem non incurrit; sed Episcopus sic illicite ordinans punitur per impositionem oneris ordinatum sustentandi.* — Arguitur ex capite *cum secundum* (1 *de Præbendis*) : « Ubi suspensio ordinati (ait Ferraris, v. *ordo*, « art. 2, n. 91), per jura antiqua inducta, fuit sublata, ex « parte ordinati bona fide et sine ulla sua fraude; et solus « Episcopus ordinans per impositionem oneris ordinatum « sustentandi fuit punitus. » Arguitur insuper ex Constitutione *secretis* Urbani VIII, ubi suspensi declarantur dumtaxat ii, qui absque legitimo titulo *scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint.*

PROPOSITIO XIV^a^. — *Quoad scientiam, in tonsurandis requiritur ut fidei rudimenta edocti fuerint et insuper legere et scribere sciant.* — Constat capite 4 sessionis 23 Tridentinæ Synodi.

PROPOSITIO XV^a^. — *In tonsurandis insuper requiritur, eos confirmatos fuisse, et ex probabili conjectura autumari posse, ab eis clericalem statum eligi, ut Deo fidelem cultum præstent.* — Constat ex eodem Tridentino decreto.

PROPOSITIO XVI^a^. — *Quoad scientiam, in minorandis requiritur, ut saltem latinam linguam intelligant, et merito speretur ab eis acquirendam fore scientiam ad majores ordines necessariam : nec est in Episcopi arbitrio, ut latinæ linguæ ignarum ad minores ordines promoveat.* — Constat capite 11 sessionis 23 Tridentini Concilii. Quia vero ibi dicitur, « minores ordines iis qui « saltem latinam linguam, per temporum interstitia, *nisi aliud « Episcopo expedire magis videretur*, conferantur, » putarunt nonnulli doctores ob illas voces *nisi aliud Episcopo videretur*, ipsi liberum esse ut etiam latinæ linguæ nescios promovere valeat. Sed voces illæ referuntur dumtaxat ad membrum *per temporum interstitia*, non ad præcedens. Quod vide probatum a Benedicto XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, institutione 42).

PROPOSITIO XVII^a. — *Quoad scientiam, in promovendis ad subdiaconatum et diaconatum requiritur, ut sint litteris instructi; ut ea calleant quæ ad ipsorum ordinem exercendum pertinent, et maxime ut sciant populum docere.* — Sic enim statuitur sessione 23, capite 13 Tridentinæ Synodi : « Subdiaconi et dia« coni ordinentur... litteris et iis quæ ad ordinem exercendum « pertinent instructi... Sciantque maxime docere. » Quæ ultima verba *sciant docere*, ita intelligenda videntur ut, ex parte saltem, necessariam in presbytero ad docendum populum scientiam hic et nunc habeant, et simul merito speretur eos sibi reliquam in presbytero requisitam scientiam comparaturos.

Hinc a subdiaconatu Episcopus arcere debet, non tantum latinæ linguæ nescios, sed etiam eos qui rhetoricæ vel humanioribus litteris operam non dedere; quia isti pro illitteratis merito habentur : item eos qui dogmaticam et moralem theologiam nullatenus didicerunt ; quia utraque hæc disciplina ad recte docendum populum necessaria est.

Cumque prædictam scientiam recte sibi comparare juvenes nequeant absque magistris idoneis, potestatem suam non excedet Episcopus si statuat, se eos tantum ad subdiaconatum et diaconatum admissurum, qui per certum determinatum tempus, in scholis idoneis, tum litteris, tum philosophiæ, tum demum theologiæ addiscendæ operam navaverint. De quo vide citatam Institutionem 42 Benedicti XIV, ubi in specie de necessario philosophiæ studio nonnulla (quæ a quibusdam hodie in Gallia, dictum studium flocci facientibus, diligenter attendi deberent) præclare dicta reperies.

PROPOSITIO XVIII^a. — *Quoad scientiam, in promovendis ad presbyteratum requiritur, ut diligenti examine præcedente comperti fuerint ea scire, quæ ad docendum necessaria ad salutem, necnon ministranda sacramenta, necessaria sunt.* — Constat capite 14 sessionis 23 Tridentini Concilii.

Nota, circa illegitimos. — Cum illegitimis dispensare potest Episcopus ut recipiant ordines minores, et beneficia curam

animarum annexam non habentia consequi : ut autem eis conferri valeant majores ordines, aut beneficia curata, vel dignitates, solus Romanus Pontifex dispensare potest (vide id probatum a Benedicto XIV, *de Synodo*, l. 13, c. 14, n. 11).

PROPOSITIO XIX^a^. — *Imprudenter ageret Episcopus qui declararet, se non habere intentionem ordinandi eos, qui forent canonico aliquo impedimento irretiti.* — Quamvis nempe possit Episcopus districte prohibere, etiam sub censuris, ne quispiam canonico impedimento irretitus ad sacros ordines accedere audeat, perperam tamen adderet, *se non habere intentionem ordinandi* irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo patrimonio aut beneficio, vel litteris dimissorialibus proprii Ordinarii. Cum incertum sit ac disputatum, an tales valide ordinentur, licet præmissa hac Episcopi protestatione, quantum inde oriri possit anxietatis et damni, nemo non videt (adi Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 8, c. 11, n. 1).

PROPOSITIO XX^a^. — *Qui bonis cesserunt ad sacros ordines licite promoveri nequeunt.* — Ita decisum a S. Congregatioue Concilii, vide apud Ferraris (v. *ordo*, art. 2, n. 99).

§ IV.

Quid servari debeat in ordinationibus, quoad tempus, locum, interstitia, et jejunium.

PROPOSITIO I^a^. — *Prima tonsura conferri potest quocumque die, hora et loco.* — Ita doctores communiter (vide apud Ferraris, v. *ordo*, art. 2, n. 1).

PROPOSITIO II^a^. — *Ordines minores, si conferantur paucis dumtaxat clericis, et non per modum generalis ordinationis, conferri possunt singulis diebus dominicis, necnon festivis de præcepto.* — Constat Pontificali Romano (tit. *de Minoribus ordinibus*), capite *de eo* (3, *de temporibus ordinationum*), et aliis auctoritatibus, quas vide apud Ferraris (loco cit., n. 2 et seq.). Et

quamvis in dicto capite *de eo* dicatur licitum esse] Episcopis, diebus dominicis et festivis, *unum aut duos* ad minores ordines promovere, est communis doctorum sententia plures etiam quam duo sic promoveri posse. Quod autem dicti dies *festivi* intelligendi sint dumtaxat festivi *de præcepto* quoad populum, fuit a S. Congregatione Concilii declaratum, ut refert Ferraris, loco citato.

PROPOSITIO III^{a}. — *Minores ordines, per modum generalis ordinationis licite conferri non possunt, nisi in sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto, et sabbato ante dominicam Passionis.* — Vide probatum apud Ferraris (verbo *ordo*, art. 2, n. 6 et seq.).

PROPOSITIO IV^{a}. — *Ex consuetudine sat generaliter recepta, licite possunt minores ordines, per modum generalis ordinationis, conferri feria sexta aut quarta quatuor temporum, etiam vespere; sed expedit consuetudinem illam derelinqui.* — Vide apud Ferraris (ibidem, n. 7).

PROPOSITIO V^{a}. — *Pro conferendis minoribus ordinibus, necesse non est ordinantem aut ordinandos esse jejunos.* — (Ibidem, n. 8).

PROPOSITIO VI^{a}. — *Ordines majores conferri licite nequeunt nisi in sabbatis quatuor temporum, in sabbato ante dominicam Passionis, et in sabbato sancto.* — Juris textus aliasque auctoritates quæ id probant, vide apud Ferraris (v. *ordo*, art. 2, n. 9 et 10). Dictum est *licite;* quia valida foret collatio quolibet alio tempore facta. Intelligenda autem est propositio *de jure communi;* quia ex privilegio Pontificio conferri possunt majores ordines etiam extra tempora.

PROPOSITIO VII^{a}. — *Majores ordines conferre nequit Episcopus nisi intra missam ab ipso celebratam : quoad minores autem, etsi idem magis deceat, non tamen præcipitur.* — « Nullus quippe « a gravi culpa eximeret Episcopum, qui contra communem « Ecclesiæ morem, ritumque in Romano Pontificali præscri- « ptum, sacrum ordinem extra missarum solemnia conferret. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 8, c. 11, n. 5.) Valida tamen

foret ordinatio aliter facta, quamvis nonnulli doctores contrarium tenuerint (idem, ibid.).

Diximus *sacros* ordines. Nam si de *minoribus* agatur, etsi non deceat eos extra Episcopi ordinantis missam conferri, non tamen est absolute illicitum (Benedictus XIV, ibid., n. 4).

Nota. — Quod teneatur Episcopus esse jejunus ad conferendos *sacros* ordines, sequitur ex eo quod nequeat extra missam ab ipso celebrandam eos conferre.

Propositio VIII^a. — *Ordinationes generales ad majores ordines, in cathedrali vel insigniori diœcesis ecclesia haberi debent : ex recepta autem interpretatione, non prohibetur Episcopus, aliquos ex justa causa privatim in episcopali sacello majoribus ordinibus initiare.* — Colligitur ex capite 8 sessionis 23 Tridentinæ Synodi ; necnon ex Constitutione *ad audientiam* Benedicti XIV, § 17 et 18. Vide apud Ferraris, verbo *ordo*, art. 2, n. 120.

Propositio IX^a. — *Duo sacri ordines eodem die conferri nequeunt.* — Constat, tum aliis juris textibus, tum decreto Tridentino (c. 13 sessionis 23).

Propositio X^a. — *Eodem die conferri nequeunt minores et subdiaconatus, nisi adesset consuetudo, quam probare Episcopo incumbit , ut pœnis non subjaceat.* — Vide apud Ferraris (v. *ordo*, art. 2, n. 17).

Propositio XI^a. — *Si adsit consuetudo, potest Episcopus minores ordines privatim paucis conferre feria sexta quatuor temporum, si sit dies festus, et postridie eosdem ad subdiaconatum promovere, ob Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem.* — (Vide ibidem, n. 18 et seq.)

Propositio XII^a. — *Inter minores ordines de jure servari debent interstitia, id est, certa interponenda sunt temporis intervalla : quanta autem esse debeant ejusmodi intervalla, jus non determinavit : sufficit levis etiam causa ut Episcopus in hoc dispensare possit : imo legitima est consuetudo, generaliter invecta, ut quatuor minores eodem die conferantur.* — Hæc probata vide apud Ferraris, verbo *interstitia*, n. 4, 17 et 18.

PROPOSITIO XIII^a^. — *Inter postremum minorem ordinem et subdiaconatum, annus interponi debet.* — Id decrevit Tridentina Synodus (sessione 23, c. 11), his verbis : « Hi vero « nonnisi post annum a susceptione postremi gradus mino- « rum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi neces- « sitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. » Sufficere autem annum ecclesiasticum (verbi gratia, a Pentecoste ad Pentecosten), atque etiam annum naturalem, vide auctoritatibus firmatum apud Ferraris, verbo *interstitia*, n. 9. Atque id de aliis etiam annuis interstitiis est intelligendum.

PROPOSITIO XIV^a^. — *Inter subdiaconatum et diaconatum, annus item interfluere debet.* — Id decrevit Tridentina Synodus (s. 23, c. 13), his verbis : « Promoti ad sacrum subdiacona- « tus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad « altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere « non permittantur. »

PROPOSITIO XV^a^. — *Inter diaconatum et presbyteratum annus pariter interponendus est.* — Constat ex his Tridentinæ Synodi verbis : « Et hi sint qui non modo in diaconatu ad minus an- « num integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem « aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam, etc. » (Sess. 23, c. 24.)

PROPOSITIO XVI^a^. — *In dictis interstitiis dispensare Episcopus potest.* — Constat ex citatis Tridentinis decretis, ubi facultas interstitia hæc non servandi ipsius judicio relinquitur.

PROPOSITIO XVII^a^. — *Ad dispensandum ab interstitio inter subdiaconatum et diaconatum non requiritur causa adeo gravis : secus autem quoad dispensationem inter minores et subdiaconatum, et præsertim inter diaconatum et presbyteratum.* — Nam Tridentina Synodus quoad interstitium inter subdiaconatum et diaconatum dicit solummodo, *nisi aliud Episcopo videatur.* Quoad interstitium autem minores inter et subdiaconatum, dicit disjunctive, *nisi necessitas* AUT *Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Et quoad interstitium diaconatum inter et presbyteratum, dicit copulative, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem* AC *ne-*

cessitatem aliud Episcopo videretur (vide apud Ferraris, v. *interstitia*, n. 17).

PROPOSITIO XVIII^a^. — *Dicta facultas dispensandi in interstitiis extenditur etiam ad vicarium generalem Episcopi, necnon ad vicarium capitularem sede vacante.* — Ita communiter admissum a doctoribus, et a S. Congregatione Concilii decisum, vide apud Ferraris (v. *interstitia*, n. 12).

PROPOSITIO XIX^a^. — *Si absque legitima causa interstitia non serventur, peccant ordinans et ordinatus : nullam tamen canonicam pœnam incurrunt.* — In jure canonico nulla reperitur quoad hoc sancita pœna. At si absque justa causa omittantur ea interstitia, quæ nequeunt absque *causa gravi* omitti, grave delictum committitur, de quo vide apud Ferraris (v. *interstitia*, n. 19).

PROPOSITIO XX^a^.—*Adesse merito censetur Ecclesiæ necessitas, quoad omittenda interstitia, quando deest sufficiens presbyterorum numerus : utilitas autem, quando presbyteri jam ordinati, etsi numero sufficientes, parum tamen idonei sunt ; quando agitur de promovendo viro præstantis doctrinæ et maturæ ætatis ; et quando quis consecutus est beneficium quo adigitur ad suscipiendum, infra annum, ordinem sacrum vel etiam presbyteratum.*— Vide id firmatum a Benedicto XIV, institutione 58.

§ V.

An et quatenus possit aut debeat Episcopus ordinandos sæculares examinare.

1° Certum est teneri Episcopum, antequam subditos suos ordinet, diligenter eos examinare. Constat tum antiquis canonibus, tum capite 7 sessionis 23 Tridentinæ Synodi.

2° Examen illud peragere debet, non solus, sed sibi adscitis ad id peritis et idoneis viris. Constat dicto Tridentino capite.

3° Examen illud fieri debet, non tantum circa doctrinam,

sed etiam circa genus, personam, ætatem, institutionem, mores et fidem. Constat eodem capite.

4° Ex communi et recepta sententia, non tenetur Episcopus examinare, neque quoad idoneitatem, neque quoad sufficientiam tituli, eos ordinandos qui ab alio Episcopo ad ipsum cum litteris dimissoriis mittuntur (vide Fagnanum, in c. *cum secundum, de Præbend. et dign.*, n. 52 ; et Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 12, c. 8, n. 7). Ratio est, quia supponitur eos a proprio suo Episcopo ipsos mittente diligenter jam probatos et examinatos fuisse, prout injungit Tridentina Synodus (sess. 23, c. 3, *de Ref.*).

5° « Nulla tamen lege prohibetur, si velit, eorum merita « prudenter expendere, et novo etiam examini eosdem sub« jicere ; juxta celebrem resolutionem Sacræ Congregationis, « ejusdem Concilii interpretis (editam in causa *nullius*, 16 ja« nuarii 1595, quæ legitur libro 7 *Decretorum*, pag. 80, à « tergo), ubi ad propositum dubium : *An Episcopus ordinans « alienos subditos sæculares, cum dimissoriis proprii Episcopi as« serentis, eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur « hujusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordi« nandos examinare :* responsum prodiit : *Posse Episcopum ordi« nantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed « non teneri*. Et concordat alia resolutio..., 17 januarii 1693. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 12, c. 8, n. 7.)

6° Id tamen non procedit quoad Episcopum coadjutorem, ordinantem examinatos ab Episcopo coadjuto. Unde si quem, licet ab Episcopo coadjuto examinatum et admissum, a sacris ordinibus arcendum existimet, non poterit eum denuo examinare : « Poterit dumtaxat, ac etiam aliquando debebit ab « illius ordinatione abstinere : quemadmodum ab eadem « S. Congregatione Concilii decretum fuit. » (Benedictus XIV, loco cit.)

7° Pro examine ordinandorum non tenetur Episcopus synodales examinatores adhibere ; sed quos maluerit ad id eligere. Quod sic adnotat Benedictus XIV *(de Syn. diœc.*, l. 4, c. 7,

n. 2) : « Examen seu concursus ad ecclesias parochiales ne« cessario institui debet coram tribus saltem examinatoribus « a Synodo approbatis : secus autem est de examine ab illis « subeundo qui aut ordines petunt, aut ad excipiendas con« fessiones approbari cupiunt : in hoc quippe poterit Epi« scopus examinatoribus uti, quos maluerit. »

§ VI.

De potestate Episcopi ordinationem et dimissorias subditis suis recusandi; et de facultate quæ sic rejectis competit recurrendi ad Sedem Apostolicam.

De quæstione illa disseruimus in tractatu *de Judiciis* (tomo 2, pag. 318 et seq.). Quapropter eam hic nonnisi summatim expendemus.

PROPOSITIO I^a^. — *Certa est Episcoporum potestas extra-judicialiter seu ex informata conscientia subditos suos a suscipiendis sacris ordinibus arcendi, nec tenentur iis quibus ordinationem aut dimissorias denegant, causam denegationis manifestare.* — Vide probatum, loco citato.

PROPOSITIO II^a^.—*A denegatis ordinibus appellare possunt arctati.* — *Arctati* vocantur ii clerici, qui beneficium quod obtinent retinere nequeunt, nisi intra certum tempus sacros ordines receperint. Ejusmodi clericis ordinationem denegare, idem est ac eos beneficiis suis privare. Nullibi autem Episcopo data est potestas clericum suum beneficio privandi, quin privatus appellare valeat. Hinc apud canonistas extra controversiam est, posse appellare dictos arctatos, si ordines sacri ipsis denegentur. De quo sic inter alios Cardinalis Petra (tomo 1, ad Constitutionem unicam Urbani II, sect. 1, n. 18) : « Procedendum est cum distinctione : aut promovendus est « arctatus ad suscipiendos ordines, puta ratione alicujus « beneficii ad se spectantis, et cui sit annexus sacer ordo, et « tunc quia implicite esset privare eum tali beneficio, daretur

« appellatio seu recursus ad superiorem ; et in hoc casu tene-
« tur Episcopus concludenter probare causam rejectionis :
« secus vero si agatur de non arctato... Hoc certum est, quod
« in arctatis potest Nuntius, seu Legatus a latere, Primas aut
« Metropolitanus cognoscere de gravamine. »

Propositio IIIª. — *Nequit Episcopus, etiam non arctatis, ordinationem denegare absque justa causa, et a denegatione datur semper ad Sedem Apostolicam recursus.* — Conclusionem illam sat fuse probavimus in tractatu *de Judiciis* (tomo 2, pag. 350). Unde hic nonnullas dumtaxat adnotationes subjiciemus.

1° Quantumvis Tridentina Synodus *arbitrio* Episcoporum reliquerit subditis suis ordines conferre vel denegare, id tamen intelligendum est de *arbitrio* ex ratione *regulato;* seu dicendum est, haud posse Episcopum sine justa causa ordinationem denegare : et quamvis alii, præter arctatos, jus non habeant a denegatione proprie *appellandi*, possunt tamen ad Sedem Apostolicam recurrere; et tenebitur Episcopus, iis quibus a Summo Pontifice negotium commissum fuerit, denegationis causam exponere. « Dicerem, inquit Cardinalis Petra,
« etiam in casu non arctati, quamvis nequeat dari vera appel-
« latio et recursus, posset dari recursus extrajudicialis ad
« S. Congregationem Episcoporum et Regularium, vel Concilii,
« ut Episcopus propalet causam ob quam denegat ordines.
« Nam *arbitrium* concessum Episcopis, est regulandum a
« jure... Hæc enim est differentia inter arbitrium et simpli-
« cem voluntatem, ut primum regulari debeat, si non stricte,
« saltem aliquo modo a jure; cum tantum istius habenas rela-
« xet, non solvat : secunda vero nullam habet regulam...
« Attamen debet esse gravamen verum et denegatio irratio-
« nabilis, ut detur locus ad cogendum Episcopum ad ordinum
« collationem, cum non sufficiat purum gravamen, ut docent
« citati doctores. » (Tomo I, ad Const. unicam Urbani II, sect. 1, n. 39.)

2° Porro doctrina hæc, quod nempe a denegatione ordinum (ubi agitur de non arctatis) non detur quidem appellatio, bene

vero recursus ad Sedem Apostolicam, tenenda est tanquam omnino certa, utpote pluries a Sacra Congregatione Concilii declarata, et praxi Sedis Apostolicæ innixa. Inter varias decisiones, citabimus celebre decretum S. Congregationis Concilii 21 aprilis 1668, circa dubia quæ proposuerat Cardinalis Archiepiscopus Rhemensis. Sic se habet hujus decreti pars, quæ præsentem quæstionem respicit :

Cum nullus ordinari debeat quem suus Episcopus suæ ecclesiæ utilem aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam. Quæ (juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII felicis recordationis approbatam) quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis : quo legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare.

Itaque si qui ex diœcesanis Episcoporum Eminentiæ Vestræ provinciatium Sedem Apostolicam adiverit, juxta prænarratam formulam eorum querimoniis consuletur. Cui formulæ, ut unum in præsens addatur censuerunt expedire Eminentissimi Patres, videlicet : ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter instent. Illud decretum refert Cardinalis Petra, tomo 1, ad Const. unicam Urbani II, sect. 1, n. 44. Item illud reperies citatum in *Thesauro resolutionum*, tomo 71, in causa *Asculana,* 24 martii 1792.

Et in causa *Angolensi*, 4 februarii 1786 (*Thesauri* tomo 55, pag. 19), sic adnotatur : « Sed etiam quando res non est de « arctatis, animadvertere oportet, Tridentinis Patribus illud « tantum in ea statuenda lege fuisse propositum, ut nimirum « coercerent aliorum Episcoporum Metropolitanorumque au- « ctoritatem, ne cuipiam, sub interpositæ appellationis præ- « sidio, manus imponerent, cui suus Episcopus haud impo- « nendas judicasset. Non tamen voluerunt, uti nec poterant,

« ea lege Sanctæ Sedis et Sacræ hujus Congregationis auctoritatem circumscribere. Hinc quoties is, qui a suo Prælato « rejicitur ab ordinibus, ad Sedem Apostolicam confugit, non « renuit Apostolica Sedes, per organum Sacræ hujus Congregationis, indemnitati consulere illius qui injuste repulsus « fuisset; Metropolitano aut viciniori Episcopo committendo, « ut ab Episcopo causas exploret cur oratorem rejecerit; « iisque non bene cum justitia congruentibus, ut eumdem « ad sacros ordines promoveat, petita prius semel, iterum « et tertio (in debiti obsequii argumentum) a suo Episcopo « venia. »

3° Equidem non semel conquesti sunt, in generalibus cleri comitiis, Galliæ Antistites, quod ejusmodi recursus Romæ reciperentur, et recusati ab Ordinariis ad sacros ordines Pontificia auctoritate promoverentur. Id vero non aliud probat quam dictos Antistites, prout in multis aliis, ita et in hac re, debitam Sedi Apostolicæ ipsiusque decretis obedientiam haud præstitisse. Quod quidem deflendum est, at nequaquam imitari licet.

4° Cæterum, etsi a tempore Gregorii XIII, soleant dictæ recursuum causæ ad Metropolitanum, aut viciniorem Episcopum prædicto modo remitti, aliquoties tamen, licet rarissime, Romæ dirimuntur. Tunc vero solet secretarius Sacræ Congregationis cui causæ cognitio commissa est, scribere ad Episcopum qui ordines recusavit, ut non gravetur denegationis causas Sacræ Congregationi pandere. Quæ causæ, si forte minus justæ reperiantur, datur recusato Pontificium Indultum, ut a quocumque Episcopo catholico ordinari valeat.

§ VII.

An hodie liceat Episcopis aliquem ordinare quin eum adscribant servitio alicujus ecclesiæ?

1° Id quidem expresse prohibuit Tridentina Synodus, capite 16 sessionis 23. Præscripsit nempe ut nullus ordinetur qui servitio alicujus ecclesiæ non adscribatur; atque ut sic adscriptus locum deserere nequeat sine consensu Episcopi. Quod si talis locum deserat, debet ei exercitium ordinum interdici.

2° Adnotavit Garcias (*de Beneficiis*, p. 2, c. 5, n. 103), ejusmodi adscriptionem a Tridentina Synodo præscriptam non esse in usu. Quæ desuetudo et hodie generalis fere videtur.

3° Nihilominus vehementer contendit Monacellus obligatoriam esse dictam Tridentinam dispositionem; et tradit formulas pro faciendis ejusmodi adscriptionibus (*Formularium legale*, titulo 3, formulis 20 et 21).

Hac de re sic disserit Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 2, n. 13) : « Sequitur ut videamus de altero ex re« mediis supra indicatis, nimirum de ordinandis omnibus cer« tæ alicujus ecclesiæ servitio adscribendis. Quod quidem, « nonnullorum judicio, propter immutatas rerum et tempo« rum rationes, aut omnino jam fieri non posse, aut nullius « fructus et utilitatis nunc fore videtur. Verum qui sic existi« mant, nullam idoneam causam afferre poterunt, cur ab ordi« nationibus clericorum excludi debeat eorum adscriptio ad « ecclesiarum servitium. Hæc enim, ut supra dictum est, a « sacro Concilio Tridentino præscribitur. Hæc ipsa nuperrime « a duobus Summis Pontificibus, Innocentio XIII et Benedi« cto XIII, in ejusdem Tridentini decreti executionem fa« cienda statuitur et inculcatur, tam scilicet quoad illos qui « clericali tonsura et minoribus ordinibus initiantur, quam

« quoad illos qui ad majores ordines provehuntur; hoc insu-
« per adjecto ut, si omissa fuerit in ordinationibus, sive a
« prædecessoribus Episcopis sive ab ipsis tunc existentibus
« Præsulibus antea peractis, omissio isthæc per novam ac ge-
« neralem clericorum omnium adscriptionem ad ecclesiarum
« ministeria suppleatur.... Nihil impedimenti afferre potest
« aut introducta disciplina beneficiorum simplicium, aut re-
« cepta consuetudo ordinandi clericos ad titulum patrimonii.
« Numquid enim beneficium simplex aut patrimonium
« exemptionem alicui tribuere potest, ut... peculiaris ecclesiæ
« ministeriis adscribi, eique inservire nequeat? »

§ VIII.

An hodie in Gallia et Belgio Episcopis liceat sæculares ordinare absque titulo canonico.

Referemus primo quid Brugensis Episcopus a Sede Apostolica expostulaverit, et quænam fuerit Sacræ Congregationis Concilii responsio : secundo, ad propositæ quæstionis solutionem deveniemus.

I.

Præmittitur quomodo Brugensis Episcopus postulaverit, ut possent clerici ad sacros ordines promoveri absque canonico titulo; sub conditione tamen quod unusquisque solveret ducentos francos, ad constituendam communem massam, ex qua egenis presbyteris provideretur.

De hac præfati Episcopi postulatione actum est in Sacra Congregatione Concilii die 24 augusti 1850. Quam causam reperies in *Thesauro resolutionum*, tomo anni 1850, pagina 295, sub rubrica, *Brugensis, tituli sacræ ordinationis*. Ibi nempe,

1° Refertur ipsa postulatio Brugensis Antistitis in hunc modum : « Anno 1845 Episcopus Brugensis in Belgio supplicem

« porrexit libellum S. M. Gregorio XVI, exponens quod, « Concilii Tridentini sanctio (ne quis clericus ad ordines sa- « cros promoveatur, nisi vel beneficium ecclesiasticum, vel « patrimonium seu pensionem vere possideat, quod sibi ad « vitam sustentandam satis sit) in Belgio usque ad gallicas « perturbationes integre custodita, difficilior servatu evasit, « postquam, suppressis injuria temporum ecclesiasticis colle- « giatis, ac beneficiis simplicibus penitus extinctis, clerici ad « ordines sacros assumendi, plerumque bonis patrimonialibus « destituti reperiantur. Etenim, si paucissimos excipias (ter- « tia ad summum circiter ordinandorum pars) patrimonio « sufficienti provisos, cæteri omnes, vel patrimonium habent « a parentibus cum assignatione omnium bonorum confectum, « licet partes hæreditatis quæ cæteris liberis jure debentur, « ipsis ita auferantur : vel ex privata charitate obtinent titu- « lum ordinationis, qui tamen nihil habet roboris et utilitatis; « quia sive in forma privata ut plurimum (intuitu taxæ majo- « ris a fisco percipiendæ) præbeatur, omnique juris civilis « præsidio destituatur; sive in forma authentica conficiatur; « hoc in casu nec ullus clericorum deinceps titulum ordina- « tionis ab aliquo benefactore reciperet, si una vice ad sol- « vendos patrimonii fructus adigeretur. Unde non raro acci- « dit ut sustentationem vitæ quam pro infirma valetudine, « aliave causa ex munere habere jam nequeunt, clerici ab Epi- « scopo ordinatore, cum gravissimo mensæ episcopalis onere « percipere debeant. Cum igitur res ita se habeant, nec afful- « geat spes melioris rerum conditionis, ideo prælaudatus Epi- « scopus aliquam pro sua diœcesi provisionem necessario indu- « cendam judicans, nihil inconsulta Sede Apostolica statuen- « dum arbitratus, supplex rogavit, quatenus Sanctitas Sua « *benigne dispensare dignetur in lege Ecclesiæ, quæ exigit ut ex* « *clericis sæcularibus nullus ad sacros ordines promoveatur, nisi* « *beneficium, pensionem vel patrimonium possideat, quod ei ad* « *honestam sustentationem sufficiat ; sed hac conditione, ut sin-* « *gulus ordinandus solvat semel ducentos francos ; et insuper ut*

« *et hanc dispensationem pro pauperibus necessariam, etiam exsten-* « *dere dignetur ad divites, tum propter uniformitatem, tum ut* « *facilius scopus intentus obtineatur.* »

2° Narratur postea, dicto Præsuli rescriptum fuisse ut referret, « cur non magis expediat ut singuli ordinandi ab Apo- « stolica Sede dispensationem obtineant super integra taxa « patrimonii, cum conditione tamen ut e seminario non egre- « diantur, nisi de idoneo beneficio, vel sufficienti titulo, vel « saltem aliquo munere ecclesiastico sint provisi. » Respondisse autem Præsulem varias exponendo rationes ob quas existimabat, dicto modo non satis provideri præfatis difficulta tibus.

3° Item narratur, Nuntio Apostolico fuisse commissum, ut cæterorum Belgii Præsulum sententiam hac de re exquireret. Et varia eorum responsa subnectuntur.

4° Item narratur, quomodo hodiernus Brugensis Antistes (qui nempe antea dicto successit), approbari a Sede Apostolica postulaverit *institutionem novæ formæ tituli clericalis, quam* (inquit), *ob rerum et temporum circumstantias, inducere coactus sum, ne clerici sine titulo reali ad ordines sacros, ut pridem factum est, deinceps promoverentur. Porro cætera omnia quæ a venerando meo prædecessore instituta sunt, aut a me recenter decreta sunt, judicio Apostolicæ Sedis plene et integre subjicio.*

5° Circa illam hodierni Brugensis Episcopi agendi rationem sic adnotat causæ relator : « Erit quocirca Eminentiarum « vestrarum judicare, utrum aliqua reprehensione dignum « sit illud hodierni Antistitis Brugensis factum, si, consulta « equidem Apostolica Sede, sed non exspectato ejusdem ora- « culo, novissimæ methodo locum dare non dubitaverit, si- « cuti ex ipsius Antistitis supplici libello patere videtur. »

6° Idem causæ relator erudite recenset juris dispositiones de necessario sacræ ordinationis titulo, nimirum : *primo*, verus titulus est beneficium : patrimonii vero aut pensionis titulus, nonnisi *per viam dispensationis*, in jure admissus est. *Secundo*, patrimonium debet esse fundatum super rebus im-

mobilibus, aut talibus quæ immobilibus æquiparentur. *Tertio*, inter legitimos titulos quandoque admissum reperitur capellani munus ; dummodo qui jus nominandi habet Episcopo promittat, eum qui nominatus fuerit in eo munere mansurum donec vita fungatur, et dummodo non desit aliquis qui se alimenta præbiturum spondeat, in eo casu quo ordinatus legitime impeditus missam celebrare nequeat. Item inter legitimos titulos admitti etiam quandoque solent patrimonia per pios benefactores confecta ; dummodo bonorum sic in forma valida donatorum redditus sufficientes sint judicio Episcopi, et bona hæc alienari nequeant, donec ordinatus beneficium adeptus sit, vel unde honeste vivat acquisiverit. *Quarto*, si patrimonium constet ex bonis ad alios pertinentibus, ita ut ordinatus nequeat annuos fructus exigere ; vel si intervenerit expressa aut tacita conventio, ut qui patrimonium dat, possessionem retineat, nec teneatur fructus ordinato tradere ; talis titulus non est canonicus, sed fictus ; et qui sic ordinatur suspensionem incurrit ; et Episcopus ita scienter ordinans, graviter peccat, et tenetur congruam sustentationem ordinato suppeditare.

7° His præmissis, concludit causæ relator, expositos a Brugensi Episcopo patrimonii constituendi modos, qui in usu sunt in Belgio, non esse canonicos ; et necessarium esse Sedis Apostolicæ Indultum, ut clerici Belgici, qui nec beneficium habent, nec patrimonium canonice constitutum, ad sacros ordines promoveri queant.

8° Exponit deinde quænam sit Sedis Apostolicæ praxis in concedendis ejusmodi dispensationibus ; quæ nimirum denegari non solent, ubi id exigit diœceseon necessitas.

9° Tum discutit novam a Brugensi Episcopo propositam methodum, ut nempe quilibet ordinandus semel solvat ducentos francos ; atque id approbet Sedes Apostolica pro sufficienti ordinationis titulo.

10° Tandem Eminentissimis Patribus solvenda proponuntur hæcce dubia :

1° *An sit concedendum Episcopo oratori Indultum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo nec sufficienti titulo ; ita ut sit approbanda institutio novæ tituli ordinationis formæ? — Et quatenus affirmative.*

2° *An permittenda sit insertio ejusdem novæ formæ tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani ?*

Sacra Congregatio respondit : *Ad primum negative, et providebitur in casibus particularibus. — Ad secundum, provisum in primo.*

II.

Expenditur quæstio, an hodie in Gallia et Belgio Episcopis liceat sæculares ordinare absque titulo canonico.

PROPOSITIO I^a^. — *Nequeunt hodie in dictis regionibus clerici ordinari ad titulum beneficii.* — Etenim certum est hodie in Gallia non exstare beneficia, ad ordinationis titulum apta, quæ clericis nondum subdiaconis conferri valeant. Non alia scilicet in hodiernis Galliæ diœcesibus reperiuntur beneficia, ad titulum ordinationis de jure sufficientia, quam canonicorum et parochorum inamovibilium. Porro clericis nondum subdiaconis beneficia illa conferri nequeunt. Non parochiæ illæ præcipuæ; tum quia ad ipsas regendas juniores clerici apti non sunt, et vel ex illa sola ratione, si concursus fieret, approbari non deberent; tum quia, ex Concordato anni 1801, hisce parochiis præficere nequit Episcopus nisi gubernio acceptos; gubernium autem acceptos non haberet clericos nondum subdiaconos. Sed neque canonicatus iisdem clericis conferri possunt; tum quia pariter dicto Concordato cautum est, ut canonici gubernio accepti esse debeant, nec admitteret gubernium ad canonicatus cathedralium nominari clericos nondum subdiaconos; tum quia in Galliis mos invaluit ut nonnisi presbyteri de cathedralibus canonicatibus provideantur; quam con-

suetudinem, semel invectam, mutari non debere sancivit Tridentina Synodus. Præterea hodie in Galliis omnino absonum atque injustum populo videretur, ut sepositis presbyteris, quos maxime commendat ætatis maturitas, experientia, atque exantlati pro salute animarum labores, dicta beneficia et munia ecclesiastica junioribus adhuc in studiis versantibus concederentur. Unde revera dici potest hodie in Gallia, regulariter loquendo, non posse clericos ad titulum beneficii sacris initiari. Idem autem et quoad Belgium concludendum est, ex rationibus a Brugensi Episcopo supra expositis.

Propositio IIª. — *Maxima pars clericorum nequeunt hodie in Gallia et Belgio ordinari cum canonico patrimonii aut pensionis titulo.* — Quia nempe, prout supra expositum a Brugensi Episcopo vidimus, paucissimi sunt, qui exhibere valeant patrimonium iis conditionibus vestitum, quas lex ecclesiastica requirit.

Propositio IIIª. — *Ex eo quod dicti clerici canonicum titulum habere nequeant, et simul eos ordinari deposcat diœceseon necessitas, non sequitur fas esse Episcopis eos promovere absque dispensatione Pontificia.* — Etenim quando ecclesiarum utilitas aut necessitas obstat quominus servetur universalis aliqua lex ecclesiastica, est quidem locus concedendæ dispensationi: atvero nulli fas est ante obtentam dispensationem contra legem agere. Hic porro agitur de lege, qua prohibetur Episcopis, ne absque canonico titulo quemquam ordinent. Ut ergo secus agere valeant, necesse est ut prævio dispensationem a Sede Apostolica obtinuerint; excepto casu (si tamen practicus sit) quo periculum esset in mora; quo casu dicta superioris dispensatio merito præsumitur. Id certum supponimus ex communi theologorum doctrina, in tractatu de Legibus exponi solita.

Propositio IVª. — *Quod hodierna consuetudo Episcoporum Galliæ, propria auctoritate ordinandi absque canonico titulo, legitime jam sit præscripta, et tuta in praxi, non videtur certum.* — 1° Ejusmodi consuetudo non videtur in Belgio exstitisse. Etenim, ut ex supra exposita Brugensi causa colligitur, ante

decisionem Sacræ Congregationis Concilii in hac causa emanatam, non consueverant Belgici Antistites ordinare sine titulo; sed dumtaxat admittebant titulos patrimonii iis conditionibus carentes, quas requirit lex ecclesiastica. Imo et circa illam praxim dubitationibus et conscientiæ anxietatibus haud expertes, sedem Apostolicam adierunt.

2° Ast in Gallia, videtur revera a tempore Concordati anni 1801 inducta consuetudo, ut Episcopi propria auctoritate a titulo canonico dispensent. Id persuasum habet Reverendissimus Episcopus N.., qui ad me nuper ita scribebat : « Lorsque j'ordonne sans titre canonique, ce qui m'arrive rarement, l'usage est ici de s'abstenir de publier la formule. Les Evêques en France dispensent du titre *propria auctoritate*; et il n'est pas à ma connaissance que, depuis le Concordat, ils se soient jamais concertés au sujet de cette difficulté. » Idem sentire videtur Eminentissimus Cardinalis Gousset, Rhemensis Archiepiscopus, qui sic hac de re adnotat : « Vu le triste état où se trouve l'Église en France, les Évêques n'exigent de titre clérical que d'un certain nombre d'ordinands. Le droit, pour ce qui regarde le titre de bénéfice, a peu d'application parmi nous. Si on n'ordonnait que ceux des clercs qui peuvent se procurer un titre patrimonial, il faudrait laisser le plus grand nombre des paroisses sans prêtre et sans culte. Mais un Évêque, pour ne pas s'écarter de l'esprit de l'Église, n'admet aux ordres sacrés que les sujets nécessaires ou utiles à son diocèse; il ne doit pas en ordonner d'autres, à moins qu'ils n'aient un titre patrimonial, ou le titre de pauvreté religieuse. » (*Théologie morale*, tomo 2, pag. 454, editionis 1855.) Consonat, quoad factum dictæ consuetudinis Episcoporum Galliæ, D. Bouvier, quondam Cenomanensis Episcopus : « In Gallia, inquit, lex civilis diei 8 aprilis 1802, vulgo *Articles organiques*, prohibuit Episcopis (art. 26) ne ullum clericum sacris initiarent, nisi probaret se patrimonium, trecentos nummos annuos (*trois cents francs*) producens, habere. Nunquam Episcopi

« assenserunt huic dispositioni, bono ecclesiarum regimini « omnino adversæ; sed, ea contempta, sacros ordines indis« criminatim contulerunt eis omnibus, quos ecclesiis suis « necessarios vel utiles judicabant, nullum exigentes titulum, « quia multo pluribus adhuc sibi opus fuisset sacerdotibus. « Ubi vero non habebunt officia ecclesiastica committenda, « novos ordinare non poterunt subdiaconos titulo sufficienti « destitutos : alioquin tenerentur, juxta sacros canones, vel « congruentem sustentationem eis præstare, vel munus eccle« siasticum in alia diœcesi procurare. » (*Institutiones theologicæ*, tomo 4, pag. 59, editionis 1856.) Asserit Lequeux, proximo etiam elapso sæculo consuevisse Galliæ Episcopos a titulo dispensare : « Jam passim sæculo ultimo Episcopi a titulo dis« pensabant quos ecclesiæ suæ profuturos sperabant. » (*Compendium juris canonici*, tomo 2, pag. 147, editionis 1843); et intelligit procul dubio, *propria auctoritate.* Ast assertum illud ne vel minimo documento probat. Quod autem addit, *hodie vix aliter possunt fieri clericorum ordinationes,* si intelligatur de ordinationibus faciendis absque titulo canonico, et simul absque dispensatione Pontificia, prorsus falsum est; cum nihil obstet quominus ad Sedem Apostolicam pro dicta dispensatione recurratur.

Ex adductis testimoniis videtur in Galliis revera inducta consuetudo a tempore Concordati 1801, ut Episcopi propria auctoritate clericos absque canonico titulo sacris ordinibus initient, quando id expedire, ob diœceseon suarum necessitatem aut utilitatem existimant.

3° Jam vero circa illam consuetudinem oritur gravissima quæstio, an censenda sit legitime præscripta, et tuta in praxi? Affirmative esse respondendum mihi nequaquam liquet. Nam,

Primo, contrarium potius colligendum venit ex relata decisione S. Congregationis Concilii quoad Belgium. Ad quæsitum siquidem, *an sit concedendum Episcopo* (Brugensi) *Indultum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo ac sufficienti titulo; ita ut sit approbanda institutio novæ tituli ordinationis*

formæ; responsum est, *negative et providebitur in casibus particularibus.* His verbis aperte supponit S. Congregatio, observandum esse in Belgio jus commune quoad titulum; id est, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam pro ordinandis clericis canonico titulo destitutis. Proinde S. Congregatio pro legitima non habuit consuetudinem in Belgio inductam ordinandi ad titulos patrimonii, debitis conditionibus destitutos. Quod si hæc Belgii consuetudo legitima non evasit, multo minus consuetudo Galliæ, ordinandi absque ullo omnino titulo.

Secundo, non valet ratio quæ in favorem dictæ consuetudinis Galliæ adduci solet, nimirum ita poscere ecclesiarum necessitatem ac utilitatem. Nam postulat quidem dicta necessitas et utilitas, ut ordinentur in Gallia clerici absque titulo canonico : at nequaquam postulat ut id fiat absque Pontificia dispensatione, seu ex propria Episcoporum auctoritate. Facilis est ad Pontificem recursus; et solet Apostolica Sedes Episcopis Indultum pro determinato aliquo ordinandorum numero concedere, prout in supradicta Brugensi causa, adductis exemptis, adnotatur.

Tertio, nec peremptorium est, quod circa varias in Galliis, a tempore Concordati anni 1801, inductas consuetudines, quandoque asseritur : eas nempe pro legitimis habendas esse, ex hoc solo quod quadragenariæ sint, et Summus Pontifex, contra eas, quanquam sibi notas, non reclamaverit. Id quidem verum est, si tales constet exstitisse circumstantias, ut Summus Pontifex absque ullo rei catholicæ detrimento legem urgere potuerit, et sibi notam consuetudinem contrariam proscribere. At quandoque prudenter silet Pontifex, opportuniora expectans tempora. Quo casu, ex solo ipsius silentio et quadragenaria praxi, concludi nequit consuetudinis legitimitas. Id in tractatu *de Principiis* probavimus. Unde ut constaret de præfatæ consuetudinis legitimitate deberent duo hæc certa esse: primo, notam Summo Pontifici fuisse Episcoporum Galliæ praxim ordinandi absque titulo canonico et absque obtenta Pontificia dispensa-

tione : secundo, nullam exstitisse rationem quæ Pontificis animum induxerit ad silendum, etsi huic consuetudini non assenserit. Porro duo hæc certa esse, mihi saltem non liquet. Hinc, cum tam facile sit mentem Summi Pontificis hac de re sciscitari, tutam in praxi dicere non auderem præfatam consuetudinem.

§ IX.

De pœnis in male ordinantes et ordinatos statutis.

1° Episcopus aliquem scienter ordinans ante legitimam ætatem, est a collatione ordinum suspendendus; non tamen ipso jure suspensus. Episcopus autem suspensus à collatione ordinum, non ideo est suspensus a reliquis ordinis sacerdotalis et episcopalis actibus : unde si missam celebret, non incurrit irregularitatem. Vide apud Ferraris (v. *ordo,* art. 4). Vide pariter illum articulum quoad sequentia omnia præsentis paragraphi asserta.

2° Clericus qui scienter ante legitimam ætatem sacros ordines suscepit, est ipso facto suspensus in perpetuum, id est, donec absolutionem obtinuerit. Ac proinde si ordinem exerceat, evadit irregularis.

3° Suspensi ob dolose receptos sacros ordines, et irregulares ob eorumdem exercitium facti, si delictum sit occultum, possunt absolvi ab Episcopo; sed solent recurrere ad S. Pœnitentiariam, quæ ipsorum confessario facultatem facit absolvendi a suspensione et dispensandi ab irregularitate. At si delictum sit publicum, causa devolvitur ad S. Congregationem Episcoporum et regularium.

4° Episcopus scienter ordinans extra tempora eum qui nec dispensationem habet nec privilegium, non est suspensus ipso facto a collatione ordinum, sed suspendendus. Quod si pronuntiata in eum fuerit suspensio hæc, censendus est suspen-

sus dumtaxat a collatione illius ordinis quem male contulit, et superiorum ordinum, non autem inferiorum.

5° Clericus scienter ad sacros ordines promotus extra tempora sine dispensatione aut privilegio, est ipso facto suspensus; et si ministret fit irregularis. A dicta suspensione absolvere et in dicta irregularitate dispensare potest Episcopus, si delictum occultum sit. Num id etiam possit quando delictum est publicum, an vero ad Summum Pontificem necessario recurrendum sit, inter doctores controvertitur.

6° Episcopus scienter ordinans alienum subditum sine proprii ipsius superioris dimissoriis, est ipso facto per annum suspensus a collatione ordinis quem male contulit, et ordinum superiorum, non autem ordinum inferiorum. Potest insuper aliis pœnis, et etiam episcopatus privatione a Summo Pontifice puniri.

7° Ordinatus scienter ab alieno Episcopo absque proprii Episcopi dimissoriis, est ipso facto suspensus quamdiu eidem proprio suo Episcopo visum fuerit; et puniri potest beneficii privatione (vide Concilium Trid., sess. 23, c. 8; et apud Ferraris, loco citato).

8° Scienter ordinatus cum falsis dimissoriis, incurrit ipso facto suspensionem Papæ reservatam. Et idem est de iis qui postquam Romæ per 4 menses permanserunt, ordines extra Romam suscipiunt, cum proprii sui Episcopi dimissoriis.

9° Generaliter in irregularitate publica ob administrationem in ordinibus male susceptis incursa, dispensat solus Romanus Pontifex : si occulta remanserit, dispensare potest Episcopus.

10° « Episcopus scienter promovens aliquem ad sacros or-
« dines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod
« committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in
« materia gravi, tenetur eidem sic ordinato providere de
« necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum con-
« sequatur... Et ipso Episcopo ordinatore jam mortuo, tene-
« tur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitu-
« lum, sede vacante, et deinde novus Episcopus; textu ex-

« presso in capite *cum secundum* (16 *de Præbendis*) ibi : *Tam-*
« *diu per ordinatores vel successores eorum provideri volumus*
« *ordinato, donec per eos ecclesiastica beneficia consequatur.* »
(Ferraris, v. *ordo,* art. 4, n. 29.) Et idem est de Episcopo, qui dimissorias dedit, si cum iis dimissoriis ordinetur quis absque titulo.

An autem illa juris dispositio hodiernos Galliæ Episcopos attingere censenda sit, expendimus superiori paragrapho.

11° Si Episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, per triennium ab ordinatione suspenditur : et sic ordinatus manet perpetuo suspensus donec a Summo Pontifice absolvatur.

12° Si Episcopus religiosum nondum professum promoveat ad sacros ordines sub prætextu religionis, absque titulo beneficii vel patrimonii, est ipso facto suspensus per annum a talium ordinum collatione ; et religiosus sic ordinatus suspensus remanet, quousque beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit. Excipiendi religiosi Societatis Jesu, qui tria vota simplicia emiserunt : hi nempe, licet non professi ordinari possunt absque titulo.

13° Promoti ad sacros ordines cum fictis titulis ipso facto sunt perpetuo suspensi, absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis, arbitrio Summi Pontificis.

14° Episcopus promovens aliquem eodem die ad duos sacros ordines, an sit ipso facto ab ordinum collatione suspensus, an vero dumtaxat suspendendus, controvertitur.

15° Qui duos ordines sacros eodem die recipit, est suspensus ab ultimo ; et plures doctores sustinent esse suspensum quoad utrumque.

16° Episcopus sacros ordines conferens extra missam ab ipso celebratam graviter peccat : et item graviter peccant qui sic ordines sacros recipiunt ; nulla tamen canonica pœna reperitur a jure statuta contra sic ordinantem et sic ordinatos,

17° Si omissa fuerit dicta missa, valet nihilominus ordinatio. Unde iteranda non est nisi quoad missam. Et donec is defectus suppletus fuerit, dicti ordinati manent suspensi.

Nota. — Quæ huc usque cursim de hujusmodi pœnis adnotavimus, reperies apud Ferraris (v. *ordo*, art. 4).

CAPUT XVI.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD ORDINANDOS REGULARES.

In expendenda illa quæstione, procedemus hoc ordine : 1° nonnulla præmittemus documenta : 2° dicemus ad quem pertineat dimissoriales concedere litteras ut ordinari possit religiosus professus, et quid in iis dimissorialibus requiratur : 3° ad quem Episcopum pertineat religiosos professos ordinare, quando ipsorum instituto non fuit concessum privilegium ut a quocumque ordinari valeant : 4° an et quatenus valeat dictum privilegium, a quocumque Episcopo et extra tempora sacros ordines recipiendi : 5° de jure et officio Episcopi religiosos examinandi antequam ordines eis conferat : 6° quid servandum sit quoad novitiorum ordinationem : 7° an et quatenus Abbates subditis suis minores ordines conferre valeant.

§ I.

Præmittuntur nonnulla documenta.

I. *Decretum Sixti V.* — Magno animorum æstu controvertebatur, an regulares a quocumque catholico Antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad Episcopum illius diœcesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus incolit.

Ad quam controversiam dirimendam editum fuit sequens Decretum (relatum libro 4 Decretorum, pagina 108; necnon in Constitutione *impositi* Benedicti XIV, 27 februarii 1746) :

« Sanctissimus Dominus noster Sixtus V, ex senteutia Con« gregationis, respondit, regulares posse concedere dimis« sorias ad Episcopum diœcesanum; eoque absente, (vel « etiam præsente, et ordinationem non tenente), ad quem« cumque; dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, « examinentur quoad doctrinam. »

II. *Decretum Clementis VIII.* — « De mandato Sanctissimi « Domini nostri Clementis divina Providentia Papæ VIII, te« nore præsentium maudatur omnibus et singulis quorum« cumque regularium superioribus, ut de cætero observent « et observari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congrega« tionis Concilii continentur; cujus tenor est talis : Congre« gatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo sub« dito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis « ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, « ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii « in cujus familia ab iis ad quos pertinet regularis positus « fuerit; et, si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus « ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum « tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur « quoad doctrinam; et dum ipsi regulares non distulerint de « industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo « Episcopus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas esset habi« turus ordinationes. Verum, cum a superioribus regularibus, « Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, « litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi cau« sam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo « non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fece« rint, officii et dignitatis seu administrationis, ac vocis acti« væ et passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctis« simi Domini nostri Papæ reservatas pœnas incurrant. In « quorum fidem, etc. Datum Romæ die 15 mensis martii

« 1596. » (Relatum illud Decretum reperies apud Benedictum XIV, in supra citata ipsius Constitutione *impositi*.)

III. *Declaratio S. Congregationis Concilii.* — Non obstante præmisso Decreto, nonnulli Galliarum Episcopi (prout narrat in citata Constitutione *impositi* Benedictus XIV) contendebant necessarias esse regularibus dimissorias etiam Ordinariorum originis, ut possent ab Episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri. Ad quam removendam opinionem, Sacra Congregatio Concilii, die 28 februarii 1654, rescripsit :

« Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri « ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed « sufficere ut observent formam præscriptam in Decreto « sanctæ memoriæ Clementis VIII. » Vide illam declarationem relatam in dicta Constitutione *impositi* ; ubi addit Benedictus XIV, confirmatam illam fuisse alio Decreto 17 martii 1674.

IV. *Constitutio Innocentii XIII.* — Prætendebant regulares se non teneri ad servandum Clementis VIII Decretum (supra transcriptum, n. 2), ob privilegium, sive directe, sive per communicationem, ipsis concessum, tum ante, tum etiam post Tridentinam Synodum ; ut nempe ordinari possent a quocumque catholico Autistite. De quo ita decrevit Innocentius XIII, in Constitutione *Apostolici*, 30 maii 1723 :

« Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, « servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium « Concilii Tridentini interpretum, a piæ memoriæ Clemente VIII confirmatum die 15 maii 1596 ; quo sancitur, « ad Episcopum diœcesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, præterquam in casu quo diœcesanus a diœcesi abesset, « vel ordinationes non esset habiturus ; quo etiam casu in « litteris dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa « fieri debeat mentio, vel de prædicta Episcopi diœcesani « absentia, vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes « non sit habiturus : exceptis tamen, quoad prædicta, regularibus illis, quibus per *speciale* privilegium a Sede Aposto-

« lica *post* Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a « quolibet catholico Antistite ordines suscipere possint, super « quo Indulto nihil per præsentes innovare intendimus. »

V. *Constitutio Benedicti XIV.*—In citata sua Constitutione *impositi* 27 februarii 1746, confirmat Benedictus XIV præmissa omnia Decreta : tum sic ulterius decernit : « Volumus « ac decernimus, ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ « ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, propterea quod « Episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel or- « dinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et mo- « menti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii « generalis, vel cancellarii aut secretarii ejusdem Episcopi « diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel « clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legi- « timo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum sta- « tuto. Hoc enim expresse declarari opus est, ad excluden- « dum nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gau- « deant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Epi- « scopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, « quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non jam « statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, « dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque « alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. « Quod si aliquis Antistes regularem virum, in sua diœcesi « proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris « dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata « attestatione in forma probanti, ad ordines promovere præ- « sumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incur- « rere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alie- « num subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverit. « Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia « firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede repe- « ritur Indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico An- « tistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordi- « nari valeant; dummodo hujusmodi privilegia *post* Tridenti-

« num Concilium, et ipsis ordinibus *nominatim atque directe*,
« non autem per communicationem, concessa fuerint; ita
« porro omnia similia privilegia, quæ aliis ordinibus ante præ-
« fatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica
« Sede, et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta
« sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe con-
« cessa, sed per communicationem ad eos extensa esse di-
« cantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita, omni-
« que vigore ac robore ad effectum de quo agitur penitus de-
« stituta et vacua esse volumus et statuimus : decernentes
« hujusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridenti-
« num indulta censeri, nisi, vel post ipsius Concilii confirma-
« tionem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea con-
« cessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi
« confirmationes *in forma specifica* cum litterali veteris In-
« dulti insertione, ejusque expressa innovatione, factæ digno-
« scantur; ac declarantes alterius generis confirmationes, quæ
« *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effe-
« ctum nullo pacto suffragari. »

§ II.

Ad quem pertineat dimissoriales concedere ut possit ordinari religiosus professus, et quales esse debeant dimissoriales illæ.

PROPOSITIO Iª.—*Dimissoriales concedere pertinet ad superiorem regularem.*—Aperte constat documentis superioris paragraphi.

PROPOSITIO IIª. — *Necessariæ non sunt litteræ dimissoriales Episcopi originis.*—Constat documento numeri 3 ejusdem præcedentis paragraphi.

PROPOSITIO IIIª. — *Quando regulares carent privilegio ut a quocumque catholico Antistite ordinari valeant, superior regularis dictas dimissoriales dirigere tenetur ad Episcopum in cujus diœcesi exstat conventus in quo habitat regularis ordinandus, excepto*

duplici casu, videlicet : quando Episcopus ille in diœcesi non adesset, et quando solitis temporibus ordinationes non esset habiturus. — Constat documentis 2, 4 et 5 præcedentis paragraphi.

PROPOSITIO IV^a.— *In duplici prædicto casu, potest superior regularis dimissoriales dirigere ad quemcumque Episcopum : dummodo in iis expresse declaretur Episcopum diœcesanum abesse, aut ordinationes non habiturum, atque idipsum authentice verum declaretur a vicario generali vel cancellario ejusdem diœcesani Episcopi.* — Constat documentis 2, 4 et 5 præcedentis paragraphi. Et notetur, his non servatis, irritas fore dimissoriales, et Episcopum qui ordinaret, pœnas, in eos qui alienos ordinant latas, incursurum. Notetur insuper intelligendam præsentem conclusionem, in hypothesi quod religiosa familia validum privilegium non habeat, ut a quocumque catholico Antistite ordinari sui religiosi valeant. Si enim tale privilegium habeat, poterit superior regularis ad quem libuerit Episcopum catholicum dimissoriales dirigere, etiamsi non abesset Episcopus diœcesanus, et ordinationes esset habiturus.

Nota. — « Regulares ad ordines promovendi, præter litteras « obedientiales sui superioris non tenentur exhibere Ordina- « rio fidem sui baptismatis ad docendum de legitima ætate, « dummodo in litteris obedientialibus exprimatur ætas. Sic « expresse S. Congregatio Concilii, die 12 decembris 1733, « in *Brixinensi.* » (Ferraris, v. *ordo*, art. 3, n. 98.)

§ III.

Ad quem Episcopum pertineat religiosos professos ordinare, quando ipsorum instituto non fuit concessum privilegium, a quocumque ordines recipiendi.

PROPOSITIO I^a. — *Religiosum professum ordinare tunc pertinet ad Episcopum diœcesanum, id est, in cujus diœcesi habitat ordinandus, excepto casu quo Episcopus ille abesset, vel ordinationes statutis temporibus non esset habiturus.* — Ita admitten-

dum, si dimissoriales tunc dari nequeant ad alium Episcopum : atqui superior regularis nequit dimissoriales dirigere ad alium Episcopum, nisi in dicto excepto casu, prout constat ex præcedenti paragrapho : ergo.

Propositio IIª. — *Casu quo dictus diœcesanus Episcopus abesset, vel ordinationes non esset habiturus, ordinare poterit quilibet Episcopus catholicus, dummodo in litteris dimissorialibus a superiori regulari ad eum directis, supradicta serventur.* — Patet ex dictis sub præcedenti paragrapho.

§ IV.

An et quatenus valeat privilegium regularium ordines recipiendi a quocumque catholico Episcopo; necnon privilegium eos recipiendi extra tempora.

Propositio Iª. — *Privilegium ordines recipiendi a quocumque Episcopo valet, si fuerit post Tridentinam Synodum nominatim concessum alicui ordini, vel si fuerit post dictam Synodum in forma specifica confirmatum : secus non valet.* — Constat Benedicti XIV Constitutione, sub paragrapho 1, n. 5, supra relata. Hinc invalidum est illud privilegium, si fuerit ante Tridentinam Synodum concessum, et dein non fuerit in forma specifica confirmatum. Item invalidum est illud privilegium, si fundetur dumtaxat communicatione ordinum in privilegiis. Atque id bene notet lector, ne decipiatur a nonnullis canonistis, qui ex errore hac in re contrarium tradunt.

Propositio IIª. — *Ex eo quod regulares privilegium habeant ordines recipiendi extra tempora, sequitur posse Episcopum diœcesanum extra tempora regulares illos ordinare : at non sequitur dictum Episcopum ad id teneri.* — Constat ex citata Constitutione Benedicti XIV, quam transcripsimus supra, § 1, n. 5.

Propositio IIIª. — *Si renuat diœcesanus Episcopus extra tempora ordinare illos regulares, qui habent privilegium ordines recipiendi extra tempora, non ideo possunt ii regulares ordinari ab*

alio Episcopo ; nisi forte simul haberent privilegium ordines a quocumque Antistite recipiendi. — Constat dicta Constitutione Benedicti XIV.

§ V.

Quo titulo regulares ordinandi sint.

Propositio I^a. — *Regulares vere professi, non autem alii, ad titulum paupertatis religiosæ possunt et debent ordinari.* — Constat ex Pontificali Romano, titulo *de Ordinatione subdiaconi:* estque id extra controversiam apud doctores (vide apud Ferraris, v. *ordo,* art. 2, n. 100).

Propositio II^a. — *Scholastici Societatis Jesu, qui vota simplicia, non autem professionem emiserunt, de licentia generalis præpositi, absque ullo titulo ordinari possunt.* — Vide apud Ferraris, ibidem, n. 103. Quod si liberi a votis e Societate dimittantur, nec Episcopus qui eos absque titulo ordinavit, nec ipsa Societas tenetur eis ullam subventionem suppeditare. Ita pluries a S. Congregatione Concilii declaratum est (vide apud Ferraris, v. *novitius*, n. 92).

Nota. — Simili privilegio forte indigebunt jam alii regularium ordines, ob recens Decretum, in præfatione mei tractatus *de Jure regularium* relatum, quo auctoritate Pii IX feliciter regnantis statutum est, ut in omnibus virorum ordinibus, novitii vota simplicia primum emittant, et post tres annos, professionem. Si nempe intra illud triennium aliqui ad ordines sacros promoveri expediat, id fieri non poterit titulo paupertatis, cum non sint professi : item vix fieri poterit titulo beneficii aut patrimonii : remanet ut ordinentur absque titulo, quod fieri nequit citra Pontificium Indultum.

Propositio III^a. — *Novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines.* — Arguitur ex capite 2 sessionis 21 Tridentini Concilii. Atque id expresse

sancivit S. Pius V in sua Constitutione *Romanus Pontifex* (vide apud Ferraris, v. *novitius*, n. 89). Cætera quæ novitiorum ordinationem spectant, exponimus sequenti paragrapho.

§ VI.

De novitiorum ordinatione.

QUÆSTIO Iª. — *An novitii ad sacros ordines promoveri possint?* — Respondendum affirmative, quia nulla juris dispositione id prohibitum reperitur, prout cum Suaresio notavimus in tractatu *de Jure regularium*, tomo 1, pag. 599.

QUÆSTIO IIª. — *An Episcopus, in cujus diœcesi exstat domus novitiorum, valeat tanquam proprius Episcopus novitios illos sacris initiare?* — Respondeo affirmative, juxta doctorum sententiam, quæ communior et tuta in praxi videtur. Etenim omnino certum est Episcopum domicilii (non minus quam Episcopum originis et beneficii) esse proprium Episcopum ad conferendos ordines. Jam vero contrahi domicilium a novitio in diœcesi ubi probationem agit, communius existimant et propugnant doctores, prout videre est apud Fagnanum (in caput *cum inter*, *de Sententia et re jud.*, n. 7 et seq.). Rem tanquam certam affirmat Ferraris (verbo *novitiatus*, n. 95) : « Episcopus autem proprius, inquit, est Episcopus loci monasterii in quo novitius agit novitiatum, cum novitius contrahat domicilium in loco in quo agit annum probationis, ex « notatis communiter per doctores in caput *cum nullus* (*de* « *Tempore ordinandi*, in 6). » Sententia tamen illa non est omnino extra controversiam : Suaresius siquidem, inter alios contrariam *probabiliorem* existimat (id vide in meo tractatu *de Jure regularium*, tom. 2, pag. 599).

QUÆSTIO IIIª. — *An superior regularis possit dimissorias concedere, ut novitius suus ordinetur?* — Respondeo negative. « Superiores regulares (inquit Ferraris, v. *ordo*, art. 3, n. 69)

« nequeunt concedere suis novitiis dimissorias ad ordines re-
« cipiendos, sed hoc spectat ad Episcopum loci monasterii,
« in quo novitius agit novitiatum, Marchinus..., Barbosa..., et
« omnes doctores citati verbo *novitius*, n. 93, 94, 95. »

QUÆSTIO IVª. — *An Abbas qui potest minores ordines religiosis suis conferre, possit etiam eosdem conferre suis novitiis?* — Controvertitur. Affirmativam defendit Fagnanus (in caput *cum inter, de Sententia et re jud.*, n. 7 et seq.): negativam Ferraris, (verbo *novitiatus*, n. 93).

§ VII.

An et quatenus Abbates tonsuram et minores ordines conferre valeant.

PROPOSITIO Iª. — *Abbas sæcularis, etiam benedictus, et quantumvis exemptus, nequit ullo modo tonsuram et minores conferre; nisi forte ad id speciale privilegium a Sede Apostolica obtinuisset.* — « Quoniam, ait Benedictus XIV, Tridentinum Abbatibus,
« quovis modo exemptis, facultatem dumtaxat reliquit pri-
« mam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis
« *regularibus;* et Abbates sæculares, quantacumque gaudeant
« exemptione, *regularibus* non præsunt; necessario inde con-
« sequitur, eos non posse ullum, quanquam suæ jurisdictioni
« subjectum, ad primam tonsuram ordinesque minores pro-
« movere; nisi hanc potestatem a Sede Apostolica post Tri-
« dentinum Concilium impetraverint. » (*De Synodo diœcesana*, l. 12, c. 10, n. 10.)

PROPOSITIO IIª. — *Abbas regularis, et benedictus, potest absque speciali privilegio, subditis suis religiosis tonsuram et minores conferre.* — Etenim 1° clericalem ordinem conferendi jus habebant Abbates benedicti, ante Tridentinam Synodum. Constat Decretali *cum contingat* Innocentii III (9, *de Ætate et qualit.*), quam infra transcripsimus, et cui præfigitur rubrica hæc : *Abbas, si est presbyter, et est benedictus, conferre potest ordinem*

clericalem. Constat pariter Decretali *Abbates* (4 *de Privilegiis*, in 6), in qua de Abbatibus sic statuitur : « Nec eis licitum sit « aliis, quam monasteriorum suorum conversis, et qui ad illa « convolaverint, et in quos ecclesiasticam et quasi episcopa- « lem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre « tonsuram ; nisi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis In- « dulto. » Quod autem ante Tridentinam Synodum minores etiam ordines conferre potuerit Abbas, hoc ipso quod esset presbyter et benedictus, est communis doctorum sententia.

2° Certum est præfatum jus Abbatum benedictorum, tonsuram scilicet et minores conferendi, confirmatum fuisse a Tridentina Synodo quoad eorumdem Abbatum subditos *religiosos*, et sublatum dumtaxat quoad subditos *non religiosos*. Sic enim decreverunt Tridentini Patres, sessione 23, capite 10 : *Abbatibus... non liceat in posterum... cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.* Antea scilicet poterat Abbas, presbyter et benedictus, tonsuram et minores conferre, non tantum suis religiosis, sed et aliis subditis non religiosis, in quos haberet quasi-episcopalem jurisdictionem. Hoc postremum jus resecarunt Tridentini Patres; sed simul Abbatibus conservatum voluerunt jus conferendi tonsuram et minores *suis religiosis;* jusque illud aperte confirmant verba hæc, *non liceat cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores conferre*. Unde ex solo jure communi (1) ac Tridentino, et absque ullo superaddito speciali privilegio, adhuc hodie potest Abbas (dummodo sit presbyter et benedictus) tonsuram et minores subditis suis religiosis conferre.

Nota. — Facultas, quam habent Abbates ex dictis privilegiis Apostolicis in jure insertis (capite *quoniam*, capite *cum contingat* et capite *Abbates*) procedit in omnibus ordinibus mino-

(1) Quod Abbas benedictus habeat *a jure communi* ut possit religiosis suis tonsuram et minores conferre, tanquam certum passim asserit Cardinalis Petra, in suo commentario ad Constitutionem 9 Pii II (tomo 5). Cæterum per illud *jus commune* intelliguntur *privilegia in corpore juris inclusa;* quæ dicuntur jus commune per oppositionem ad alia specialia privilegia Pontificia.

ribus et in prima tonsura; quia etsi in iis textibus mentio fiat tantum de *lectoratu*, et de *clericali ordine*, tamen debent intelligi de tonsura et omnibus minoribus ordinibus; hoc modo servari in praxi tradit Fagnanus (in cap. *cum contingat, de Ætate et qualit.*, n. 2). « Et ita esse communiorem opinionem, aliis « citatis canonistis, prosequitur Fagnanus, citato numero 2 « et 3, ubi ita ex praxi et sensu S. Congregationis Concilii « servari, ut Abbates omnes ordines (minores) conferant. » (Cardinalis Petra, tomo 5, in Const. 9 Pii II, sect. unica, n. 37.)

Cæterum asserta potestas Abbatum benedictorum, tonsuram et minores conferendi, extra controversiam est apud doctores.

Propositio IIIª. — *Si Abbas non sit benedictus, non potest, absque privilegio Apostolico, tonsuram et minores ordines subditis suis religiosis valide et a fortiori licite, conferre.* — Exponemus 1° contrariam opinionem: 2° eam derelinquendam, et standum positæ conclusioni ostendemus.

I. *Exponitur opinio quæ tenet, tonsuram et minores ab Abbate, etiam non benedicto, de jure suis religiosis conferri posse.* — Opinionem illam amplexus est, inter alios, Ferraris: « Abbates, « inquit, possunt de jure conferre ordines minores suis sub- « ditis, *licet non sint benedicti.* » (Verbo *ordo*, art. 3, n. 2.)

In suo commentario Tridentini Concilii (ad caput 10, sessionis 23, n. 7) sic habet Barbosa: « Abbatem posse de jure « conferre ordines minores suis subditis licet non sit bene- « dictus.., tenet Seldius.., attestans ita fuisse decisum sub « die 19 februarii 1619. »

Sub finem citati articuli 3 Lucii Ferraris, ipsius annotator, sub rubrica *novæ additiones ex aliena manu*, laudati Ferraris opinionem confutat, innitendo Constitutione *commissi* Benedicti XIII. Sed puto dictam Constitutionem ab isto annotatore lectam non fuisse. Alias aperte vidisset in ea nequaquam statui quod ipse asserit. Duæ siquidem sunt Benedicti XIII Constitutiones quæ incipiunt *commissi*: altera die 23 decembris 1726,

quæ nihil ad rem facit ; altera diei 6 maii 1725, de qua procul dubio dictus annotator loqui voluit : sed et istam si lector adeat, videbit hallucinatum esse annotatorem. De quo præmonitum lectorem volumus, ne ullatenus dicto annotatori hac in re confidat.

II. *Probatur Abbatem non benedictum, nisi Sedis Apostolicæ privilegium habeat, non posse suis religiosis tonsuram aut minores conferre.*—Etenim 1° id verum fuit attento jure communi ante Tridentinam Synodum. Sic quippe decrevit Innocentius III anno 1210: « Cum contingat interdum quod laici ad mona« steria convolantes, a suis Abbatibus tonsurentur, requisisti « an clericatus ordo in tonsura hujusmodi conferatur. Super « quo tibi respondeo, quod, cum in 7 Synodo sit statutum, « ut lectores per manus impositionem licentia sit unicuique « Abbati (in proprio monasterio solummodo) faciendi, dum« modo ipsis ab Episcopo (secundum morem præficiendorum « Abbatum) manus impositio facta noscatur, et constet eum « existere sacerdotem, per primam tonsuram, juxta formam « Ecclesiæ datam a talibus, clericalis ordo confertur.» (Caput 9, *de Ætate et qualitate*.) Illi autem Decretali præfigitur rubrica hæc, sensum ejus apertum faciens : « Abbas, si est presbyter, « et est benedictus, conferre potest ordinem clericalem. » Ergo revera de jure communi ante Tridentinam Synodum non poterat Abbas, nisi esset benedictus, tonsuram et minores ordines conferre.

2° Dictum jus commune non fuit a Tridentina Synodo immutatum. Nam citata hujus Synodi verba, *Abbatibus non liceat in posterum cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre;* intelligenda sunt de Abbatibus qui jus minores conferendi habebant, non de aliis. Quinam autem ii forent non determinat Concilium, sed relinquit prout erat antea de jure communi intelligendum. De jure autem communi, ut dictum est, soli Abbates benedicti, secluso privilegio, dictam potestatem habebant. Ergo etiam hodie jus

commune est, ut nequeat Abbas non benedictus (secluso speciali privilegio) tonsuram aut minores conferre.

3° Dubium omne, si quod remanere potuisset, sustulit S. Congregatio Concilii pluribus declarationibus, Pontificia etiam confirmatione munitis; quarum duas sequentes juvat hic subnectere :

Sic habet Cardinalis Petra (tomo 5, ad Constitutionem 9 Pii II, sect. unica, n. 34) : « A S. Congregatione Concilii re« solutum fuit : *Licere Abbatibus benedictis (vel quibus a Sede* « *Apostolica concessum sit privilegium, ut possint omnia ea facere* « *quæ possunt Abbates benedicti) tonsuram minoresque ordines* « *suis subditis regularibus tantum conferre ; aliaque Pontificalia* « *hujusmodi Abbatibus competentia in sui ordinis monasteriorum* « *ecclesiis et limitibus exercere.* Quæ resolutio fuit confirmata « a Clemente VIII. » Disjunctiva quæ ibi ponitur, evincit, Abbatem non benedictum et privilegio carentem, nequaquam posse tonsuram aut minores conferre.

In causa *Panormitana*, 16 martii 1647 (libro 18 Decretorum pag. 311) proposita sunt dubia hæc : 1° an Abbas regularis non benedictus possit suis subditis regularibus ordines minores conferre : 2° an ordines minores per hujusmodi Abbatem non benedictum collati non suis subditis sint validi, etiamsi privilegium illos conferendi habeat. Sacra Congregatio, respondit : *Ad primum, Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre ; secus, si id ei non fuerit ex privilegio Apostolico concessum. Ad secundum...* (vide illas declarationes apud Cardinalem Petra, tomo 5, ad Constit. 9 Pii II, sect. unica, n. 34).

Unde supra exposita opinio, quod possit Abbas, non benedictus et speciali privilegio carens, tonsuram et minores conferre, prorsus derelinquenda est.

Cæterum aliqui regularium ordines, verbi gratia Cistercienses, privilegium Apostolicum habent, ut eorum Abbates electi *habeantur pro benedictis*, et exercere valeant omnes

actus quos exercere possunt Abbates benedicti. De quibus Indultis mentionem faciens Benedictus XIII in sua Constitutione *commissi*, mensis maii 1725, declarat Indulta hæc a se non revocari, sed in suo robore relinqui. Porro quoad ejusmodi Abbates non benedictos, idem currit jus ac si forent benedicti. Quod a fortiori verum erit, si cui Abbati non benedicto ejusmodi privilegium personaliter concedatur.

Nota. — Præmissa conclusio exceptionem patitur : casu nempe quo Abbas non benedictus et dicto speciali privilegio carens, ter ab Episcopo benedictionem petierit, et non obtinuerit, tunc potest tonsuram et minores conferre, perinde ac si foret benedictus, ut infra probatur.

Propositio IVª. — *Si Abbas non benedictus habeat speciale privilegium, vel si ter ab Episcopo benedictionem postulaverit, isque renuerit, potest tonsuram et minores religiosis suis conferre.* — Duos ponimus casus : 1° si Abbas privilegium habeat : 2° si, quamvis carens privilegio, benedictionem ter petierit et non obtinuerit.

I. Quoad casum specialis privilegii, nulla est difficultas, ut per se patet ; et jam firmatum remanet ex præcedenti propositione ; ubi vidimus a S. Congregatione Concilii sic expresse decisum : *Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi ordines minores, posse suis subditis regularibus conferre.*

II. Item potest Abbas non benedictus, et speciali privilegio carens, si ter benedictionem ab Episcopo petierit, nec obtinuerit, tonsuram et minores suis religiosis conferre. Ita communiter doctores. Nituntur capite *statuimus* (1 *de Supplenda negligentia Prælatorum*), in quo sic decernitur : *Statuimus præterea, ut si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione (sicut convenit) requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios monachos benedicere, et alia quæ ad officium hujusmodi pertinent exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, et Abbates benedicere non recusent.* Dum ibi dicitur, Abbatem non benedictum, in hoc casu exer-

cere posse *alia quæ ad officium hujusmodi pertinent,* utique ipsi conceditur etiam facultas tonsuram et minores suis religiosis conferendi. De quo sic Cardinalis Petra (tom. 5, ad Const. 9 Pii II, sect. unica, n. 32), utramque nostræ conclusionis partem simul firmans : « Sicuti *ob negligentiam Episcopi* non « benedicentis, possunt Abbates non benedicti conferre ordi- « nem, aliaque munera exercere, et dubitandum non esset « quod eo casu etiam conferre ordines minores valerent, « juxta mentem citati textus capitis *statuimus ;* ita *ob privile-* « *gium Papæ,* ut Abbates non benedicti exercere valeant « omnia quæ Abbates benedicti exercere possunt, minime « dubitari valet, eos posse quoque ordines minores con- « ferre. »

Eadem est Fagnani doctrina. In suo enim commentario ad citatum caput *statuimus,* n. 53, loquens de Abbate non benedicto et speciale privilegium non habente conferendi tonsuram et minores ordines, sic habet : « Aut Episcopus fuit ter « requisitus ut ei munus benedictionis impenderet ; et eo casu « character imprimitur (1), et confertur ordinis executio, « ad eum modum quo dictum est supra de Abbate solemniter « benedicto...: aut Episcopus non fuit requisitus ; et tunc « Abbas non benedictus vel alias Prælatus regularis qui pri- « vilegio caret, ordinando nihil agit, cum careat essentialibus « ad ordines conferendos. »

Propositio V^{a}. — *Abbates, etiam vere nullius seu cum territorio separato, nulli sæculari tonsuram aut minores ordines conferre possunt : item nulli regulari alterius congregationis, quamvis dimissorias proprii sui superioris afferenti.* — Constat 1° ex ipsis Tridentini decreti verbis. Etenim Abbatibus interdicitur ne tonsuram aut minores cuiquam conferant qui non sit *regularis*

(1) Intellige, dum illo Abbas minores ordines suis religiosis confert ; prout patet ex contextu. Quæstionem enim sic posuerat Fagnanus : « Cum quæritur an Prælatus « inferior, conferendo tonsuram et minores ordines imprimat characterem et con- « ferat ordinis executionem, necne... »

et ipsis *subditus*. Ergo nequeunt dicta conferre ulli *sæculari*, nec ulli regulari *non subdito*, ac proinde ulli regulari alterius congregationis. Atque id interdicitur universaliter, ac proinde pro casu etiam quo supradicti dimissorias a suis respective Prælatis afferrent. Vide Cardinalem Petra (tomo 5, ad Constitutionem 4 Callisti III, sectione 2). Ordinatio nempe sæcularium, Abbatis jurisdictioni subjectorum, pertinet ad Episcopum diœcesis, si Abbas non sit vere *nullius* : ad Episcopum viciniorem, si Abbas sit vere nullius.

Constat 2° pluribus S. Congregationum declarationibus. Sequentem dumtaxat, quam refert Ferraris (v. *Abbas*, n. 22), transcribimus : « Sacra Congregatio Eminentissimorum Car-
« dinalium Concilii Tridentini interpretum, utraque parte
« informante, re scriptis ac rationibus hinc inde deductis
« mature examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ,
« sub die 27 aprilis 1582, de ordine felicis recordationis
« Clementis Papæ VIII factæ, necnon declarationibus ejusdem
« Sacræ Congregationis dictæ decisioni conformibus, subse-
« cutis; censuit, improbata opinione contraria, Abbates regu-
« lares benedictinos ejusdem congregationis Cassinensis, *seu*
« *alterius congregationis vel ordinis aut instituti* (1), habentes
« etiam jura episcopalia, usumque mitræ et baculi, et bene-
« dicendi, ac facultatem primam tonsuram et minores ordines
« conferendi, non posse dictam tonsuram vel minores ordines,
« nisi suis subditis regularibus conferre, non autem regula-
« ribus alterius congregationis, ordinis vel instituti, et etiamsi
« habeant litteras dimissorias superiorum suorum regularium
« et consensum Ordinariorum, intra quorum diœcesum fines
« ipsi regulares ordinandi existunt ; et multo minus personis
« sæcularibus, etiam habentibus dimissorias a suis Ordinariis.
« Ac propterea inhibet Archiepiscopis, Episcopis et aliis Præ-
« latis inferioribus, tam sæcularibus quam regularibus, ut in
« futurum concedere non audeant supra dictas litteras dimis-

(1) Nota verba hæc, quibus decretum ad omnium ordinum Abbates extenditur.

« sorias, hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi.
« Quod si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes, a
« collatione ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas
« arbitrio ejusdem S. Congregationis reservatas. Quam de-
« clarationem felicis recordationis Urbanus VIII, die 17 ja-
« nuarii 1642, ad se delatam approbavit, et inviolabiliter
« observari jussit. »

Propositio VIª. — *Si Abbas, cui facultas competit religiosis suis tonsuram et minores conferendi, ea conferat sæcularibus, vel regularibus non subditis, collatio, etsi illicita, valida tamen erit, nec proinde iteranda.*—1° Contrarium quidem docuerunt multi doctores : quibus et ipse Ferraris (v. *Abbas*, n. 23), minus considerate adhæsit : « Imo, inquit, talis ordinatio Abbatum
« conferentium ordines minores sibi non subditis, licet cum
« dimissoriis sui superioris, esset irrita et invalida, ut, Emi-
« nentissimo Cardinali Giptio referente, decrevit S. Congre-
« gatio Episcoporum et regularium, die 27 junii 1631, in
« qua fuit resolutum, *Thomam Narducium Camplensem, pro-*
« *motum ab Abbate de Carrapoli ordinis cœlestinorum, cum lit-*
« *teris dimissorialibus vicarii generalis Camptensis, eidem Ab-*
« *bati directis, esse male promotum, atque ideo indigere nova*
« *promotione ;* ut testatur Sellius.., et cum multis aliis tenet
« Barbosa.., Pignatelli..; et sic etiam alias decreverat S. Con-
« gregatio Concilii in una *Gravinensi*, die 26 augusti 1616. »

1° Ipsa etiam S. Congregatio Concilii videtur olim pro nullitate dictæ ordinationis, aliquas declarationes edidisse. Ejusmodi enim declarationes allegant, præter citatum Lucium Ferraris, plures antiqui canonistæ, ut videre est apud Cardinalem Petra (tomo 5, in Const. 9, Pii II, sectione unica, n. 38). Unde dubito an dici possit *semper* a præfata Congregatione pro validitate pronuntiatum fuisse, prout asserit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c, 11, n. 12), in hunc modum :
« Quod autem ad alteram pertinet quæstionem de ordina-
« tionis validitate, jam plerique doctores sustineri docue-
« rant primam tonsuram minoresque ordines a prædictis

« Abbatibus collatos aut regularibus sibi non subjectis, aut « sæcularibus... Huic vero sententiæ calculum subinde ad« jecit Sacra Congregatio Concilii, quæ illicitam quidem ha« buit, sed validam semper pronuntiavit ordinationem de qua « disserimus. »

3° Standum est positæ conclusioni; pro valida scilicet habenda est præfata collatio. *Primo*, quia doctrina hæc jamdudum apud doctores *communis* evasit. Eam ex professo defendit Fagnanus (in cap. *statuimus, de Supplenda negligentia Prœl.):* necnon Cardinalis Petra (tomo 5, in Const. 9, Pii II, sect. unica, n. 38 et seq.); et Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 11, n. 12). Quibus adhærent moderni omnes. Quamvis enim Ferraris (v. *Abbas*, n. 23), contrariam opinionem amplexus sit, seipsum tamen corrigit (verbo *ordo*, art. 1, n. 101), hoc modo : « Ordines minores collati ab Abbate nullum ad id obtinente « privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero « conferantur ab Abbatibus habentibus jus conferendi illos « certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum « genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide. « Ita ex variis decretis Sacræ Congregationis, *de Synodo diœc.*, « l. 2, c. 10, § 13. » *Secundo*, quia jamdudum S. Congregatio Concilii huic doctrinæ constanter adhæret, ut colligere est ex quamplurimis ejus declarationibus. Quatuor ejusmodi declarationes adducit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 11, n. 12), quarum prima hæc est : « Cum in causa *Comnibricensi*, « 26 junii 1655, quæsitum fuisset : « *An Abbates congrega-* « *tionis S. Bernardi et S. Benedicti conferre potuerint ordines* « *minores regularibus sibi non subditis, necnon sæcularibus, etiam* « *habentibus litteras dimissorias suorum superiorum :* respondit « sane, id fieri nequaquam potuisse, sed simul addidit : « *Promotos ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum,* « *sed absolutione et rehabilitatione, a Sanctissimo obtinenda.* » Plures etiam ejusmodi declarationes citat Cardinalis Petra (tomo 5, in Const. 9, Pii II, sect. unica, n. 40 et seq.). Unde ad objectas in contrarium antiquiores ejusdem S. Congrega-

tionis decisiones, si sint authenticæ, dicendum est, Sacram Congregationem jamdudum ab eis recessisse, et per tot alias posteriores et constanter conformes declarationes, certam fecisse quam sustinemus doctrinam.

PROPOSITIO VII^a. — *Etiamsi Abbas sit* nullius *in sensu minus stricto, id est, habens quidem jurisdictionem quasi-episcopalem in parochos et parochianos, sed absque territorio separato, imo etiamsi sit* nullius *in stricto sensu, id est, cum territorio separato; nequit dimissoriales subditis suis sæcularibus concedere : sed concessio hæc in priori casu pertinet ad Episcopum diœcesis, intra quam Abbas constituitur; in posteriori autem ad Episcopum viciniorem.* — Præmittemus primo notionem de duplici specie Abbatum seu Prælatorum *nullius*, jurisdictionem quasi-episcopalem habentium : tum ipsam conclusionem veram probabimus.

I. *Præmittitur notio, de duplici specie Abbatum seu Prælatorum qui* nullius *dicuntur.* — 1° Prælatorum Episcopis inferiorum triplex distinguitur classis : « Alii sunt Prælati inferiores « *infimæ* qualitatis, qui præsunt certo generi personarum cu« jusdam ambitus ecclesiæ seu monasterii (ut sunt superiores « regulares, vel certæ ecclesiæ Prælati sæculares), ac sunt « exempti a jurisdictione Episcopi ; quique dicuntur habere « exemptionem passivam ab Episcopo, cum corpore mona« sterii seu ecclesiæ. Alii majoris jurisdictionis, ac *mediæ* præ« rogativæ, qui habent jurisdictionem etiam activam in popu« lum et clerum certi loci; sed sunt *in* diœcesi ac territorio « Episcopi, a cujus diœcesi locus ille non dicitur avulsus ac « abcissus... Tertia tandem species Prælatorum inferiorum, « omnium *præclarissima*, est eorum qui habent jurisdictio« nem in clerum et populum alicujus loci, oppidi, seu plu« rium; quæ loca et oppida fuerint per Papam a diœcesi in « qua erant avulsa ac sejuncta ; constituta separata diœcesi « quadam seu territorio, cum omnimoda jurisdictione ordina« ria quasi-episcopali, sub dicto inferiore Prælato, qui semi« Episcopus dicitur, quia caret potestate ordinis, et assimila-

« tur Episcopis in omnibus quoad potestatem jurisdictionis... « Et isti Prælati *proprie* dici debent *nullius diœcesis.*» (Cardinalis Petra, tomo 5, in Const. 4, Callisti III, sectione 1, n. 6 et n. 16.)

2° Prælati, tum secundæ, tum tertiæ classis, dici solent *nullius*. Sed Prælati tertiæ classis tales sunt proprie seu in stricto sensu. At « Prælati secundæ speciei improprie, ficte et « intellectualiter tantum nuncupari possunt, et de facto nun- « cupari solent *nullius:* non tamen proprie sunt tales quia « non sunt *extra* diœcesim cujuscumque Episcopi. » (Cardinalis Petra, ibidem. n. 15.) Item commune habent secundæ et tertiæ speciei Prælati, quod ipsis competat jurisdictio ordinaria quasi-episcopalis in certi loci clerum et populum.

3° Essentiale discrimen inter Prælatos tertiæ et secundæ classis, seu inter Prælatos *proprie nullius*, et Prælatos *improprie nullius*, totum in eo stat, quod priores habeant territorium omnino *separatum :* non autem posteriores. Hinc si privilegium Pontificium, quo quis in aliquo loco fuit constitutus Prælatus *nullius*, non exprimat locum illum auctoritate Pontificia *separari* seu abscindi a diœcesi in qua erat, Prælatus ille non erit *proprie nullius*, sed tantum *improprie.* Sin autem dicta *separatio* territorii in privilegio Pontificio clare exprimatur, Prælatus *proprie nullius diœcesis* erit.

4° Prælati improprie *nullius* dicuntur et dici debent esse *in diœcesi;* quia nempe territorium ejusmodi Prælatorum non fuit abscissum seu separatum a diœcesi. Et hoc verum remanet etiamsi totum jurisdictionis exercitium in hoc territorio a Papa tribuatur huic Prælato, privative ad Episcopum ; quia etiam tunc conservat Episcopus in hoc territorio aliquam jurisdictionem, nempe jurisdictionem *in habitu*, ita ut sit adhuc in aliquo sensu hujus territorii Episcopus. E contra Prælati proprie *nullius* dicuntur et dici debent esse *extra* diœcesim omnem ; quia nempe pronuntiata fuit a Papa hujusce territorii omnimoda a diœcesi separatio.

5° Hinc quando in Concilio Tridentino, aliisve juris texti-

bus, aut Romanarum Congregationum decretis aliqnid statuitur circa Abbates seu Prælatos *nullius, intra diœcesim aliquam consistentes,* id applicandum est tantum Prælatis *improprie nullius,* qui nempe separatum territorium non habent : non autem Prælatis *proprie nullius,* qui habent territorium separatum (1). Quo prænotato,

II. *Probatur positæ conclusionis veritas.* — 1° Quod Abbates *improprie nullius* nequeant suis subditis sæcularibus dimissorias concedere, sed concessio hæc pertineat ad Episcopum intra cujus diœcesim Abbates illi consistunt, aperte evincunt Tridentini decreti verba (sess. 23, c. 10) : *Nec ipsi Abbates et alii exempti... litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant, sed horum omnium ordinatio..., ad Episcopos intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat.* Et initio capitis loquitur Synodus de Abbatibus *intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius dicantur.* Prohibitio hæc Abbates *improprie nullius,* aperte attingit : nam attingit eos qui *intra fines alicujus diœcesis* cousistunt ; sed Abbates *nullius,* qui intra fines alicujus diœcesis consistunt, seu qui sunt *in* diœcesi, sunt præcise Abbates *improprie nullius,* juxta præmissam notionem ; ergo eos respicit Tridentina illa dispositio ; ergo verum est quod in conclusione circa illos Abbates dictum est. Præterea idem pluries a S. Congregatione Concilii declaratum est (vide apud Ferraris, verbo *Abbas,* n. 24 ; verbo *ordo,* art. 3, n. 52 ; et præsertim supra citatum locum Cardinalis Petra). Unde difficultas tantum moveri potest quoad partem nostræ conclusionis quæ respicit Abbates *proprie nullius.*

2° Quod Abbates *proprie nullius* nequeant dimissorias sæcularibus subditis suis concedere, et concessio hæc pertineat ad viciniorem Episcopum, equidem ex ipsis Tridentini de-

(1) Notionem illam de Prælatis *nullius*, accuratissime expositam et documentis plenissime firmatam reperiet lector apud Cardinalem Petra (tomo 5, commentario in Constitutionem 4 Callisti III). Nec puto ullibi materiam illam melius tractatam fuisse.

creti verbis concludi nequit. Loquitur enim solummodo Synodus de Abbatibus *intra fines alicujus diœcesis consistentibus*, etiamsi *nullius dicantur*. Porro sub his verbis comprehenduntur dumtaxat Abbates *improprie* nullius; non autem Abbates nullius *in stricto sensu*, seu habentes separatum territorium: hi enim non dicuntur *intra* diœcesim existere, sed *extra* omnem diœcesim.

Nihilominus S. Congregatio Concilii, existimans id, etsi sub littera dicti decreti non comprehendatur, esse tamen juxta mentem Tridentinæ Synodi, sæpe sæpius declaravit, neque a dictis Abbatibus *stricte nullius* concedi posse dimissorias suis sæcularibus subditis; et simul definivit ejusmodi dimissoriarum concessionem ad *viciniorem* Episcopum pertinere. Et vicinior intelligitur Episcopus, cujus cathedralis proximior est, relative ad ecclesiam abbatialem. A transcribendis ejusmodi S. Congregationis declarationibus brevitatis causa abstinebimus. Eas vide apud Cardinalem Petra (tomo 5, in Constit. 4 Callisti III, sect. 2). Etiam a S. Congregatione Episcoporum et regularium idem pluries fuisse declaratum, sic memorat Ferraris (v. *Abbas*, n. 26): « Et hoc ipsum sæpius declaravit « S. Congregatio Episcoporum et regularium, quæ censuit, « subditis sæcularibus nullius diœcesis, non posse concedi lit- « teras dimissorias a Prælato loci..., sed ab Episcopo vici- « niori; ut in *Putinianensi*, 16 januarii 1596; in *nullius Car-* « *pensi* 15 decembris 1603... »

Concludendum ergo cum Cardinali Petra: « Non constito « de vera qualitate nullius, hoc jus (nempe dimissorias dandi) « spectat ad Episcopum diœcesis, in qua sunt existentes hu- « jusmodi Prælati: constito autem de dicta vera qualitate « nullius; spectat ad Episcopum viciniorem: dicta vicinitate « ab ecclesia exempta ad cathedralem. » (Tomo 5, in Constit. 4, Callisti III, sect. 2, n. 69 et 70.)

Annotatio. — *Circa obligationem Abbatum recipiendi benedictionem ab Episcopo*. — Pro coronide præsentis paragraphi adnotandum duximus, quid a Benedicto XIII (Constitutione

commissi, 6 maii 1725) quoad ejusmodi obligationem statutum fuerit.

1° Non revocat privilegium nonnullis regularium ordinibus concessum ut eorum Abbates electi habeantur pro benedictis; nec etiam privilegium aliquot ordinum ut Abbates a suis superioribus regularibus, vel ab eorum delegatis benedictionem sumere possint. Imo ea privilegia *inconcusse observari* præcipit. Quoad alios vero qui his privilegiis carent, disponit ut sequitur :

2° Tenentur Abbates qui, licet non eligantur nisi ad triennium vel sexennium, perpetui tamen sunt ratione administrationis, id est, qui expleto limitato tempore in uno monasterio, alteri præficiuntur, benedictionem infra annum a die ipsorum electionis suscipere ab Episcopis, *in quorum diœcesibus monasteria consistunt;* vel saltem eam ter ab ipsis humiliter petere juxta supra citatum caput *statuimus* (*de Suppl. negl. Prœl.).* Id si omittant suspensionem ipso facto incurrunt.

3° Durante præfato termino, Abbates licet non benedicti, omnia munia abbatialia exercere valent.

4° Semel benedicti, non tenentur denuo benedictionem recipere.

5° Qui habebant privilegium directum, et non tantum per communicationem, ut a quocumque Episcopo benedictionem sumere possent, tenentur eam recipere infra dictum terminum, sive a diœcesano Episcopo, sive a Metropolitano. Si tamen ter rogatus hic vel ille, quem adiisset Abbas, benedictionem impertiri renueret, tunc eam Abbas recipere posset a quocumque catholico Episcopo.

6° Privilegium benedictionem recipiendi a quocumque Episcopo, quod non habetur nisi per communicationem privilegiorum, nihil suffragatur. Hæc summa est dictæ Constitutionis *commissi* Benedicti XIII.

§ VIII.

An et quatenus Episcopus regulares ordinans possit aut debeat eos quoad doctrinam examinare.

PROPOSITIO I^a. — *Non tantum potest, sed tenetur Episcopus regulares examinare antequam ipsos ordinet.*—Constat hisce Tridentinæ Synodi verbis : « Regulares quoque nec in minori « ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur; pri- « vilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. » (Sess. 23, cap. 12.)

Nihilominus si cui regularium instituto, post Concilium Tridentinum, a Sede Apostolica fuerit indultum, ut ipsius religiosi ordinari possint et debeant absque prævio Episcopi examine, poterit et debebit Episcopus examen omittere, ut patet. Atvero tunc regularibus incumbet probare sibi revera concessum fuisse hujusmodi privilegium.

PROPOSITIO II^a. — *Si regulares in examine rejecti fuerint ab Episcopo diœcesano, mitti nequeunt a suis superioribus ad alios Episcopos pro ordinibus suscipiendis; sed debent, casu quo se injuste rejectos prætendant, per viam appellationis ad legitimum superiorem recurrere.* — « Regulares, si fuerint ab Episcopo « diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis supe- « rioribus mitti ad alios Episcopos pro ordinibus suscipien- « dis; et si hoc faciant, ultra pœnas in citato Decreto Cle- « mentis VIII, quas incurrunt superiores regulares, Episcopus « non diœcesanus sic eos ordinans, a collatione ordinum per « annum erit suspensus, et ordinati a susceptorum ordinum « executione suspensi erunt quandiu Episcopo diœcesano « expedire videbitur manere suspensos; ut S. Congregatio « Concilii respondit Archiepiscopo novi regni Granatæ, 14 « martii 1620 (libro 56 Decretorum, pagina 610).

« Sed si rejiciantur, debent recurrere per viam appella- « tionis ad legitimum superiorem. Eadem S. Congregatio,

« 23 aprilis 1604 (libro 55 Decretorum, pagina 859). Apud « Monacelli, tomo 2, tit. 15, formula 4, n. 29. » Ita Ferraris verbo *ordo*, art. 3, n. 68.

PROPOSITIO III^a. — *Nequeunt superiores regulares ex industria subditos suos ad aliam diœcesim transferre, ut facilius ibi examen subeant atque ordinentur, et postea statim ad priorem diœcesim redeant.* — « Superiores regulares, si ex industria et per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac statim ordinati redeant ad « primam diœcesim, peccant, et sunt punibiles in foro ex- « terno, ut contraventores præcepti Summi Pontificis, ut ex « multis probat Cardinalis Petra (tomo 1, ad Const. unicam « Urbani II, sect. 2, n. 34). Ubi, sub n. 37, subjungit, quod « ad rem proposito dubio in S. Congregatione Concilii (in una « *Neapolitana* die 8 augusti 1621) : 2° Per quantum tempus « regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœ- « cesis Episcopi ordinantis, ad hoc ut dici possint de familia « ipsius conventus? Sacra Congregatio respondit : Provide- « bitur in casibus particulariter proponendis. » (Ferraris, v, *ordo*, art. 3, n. 66 et 67.)

PROPOSITIO IV^a. — *Faciliorem se præbere posse Episcopum in regularium examine, tradunt graves canonistæ.* — « Cum regu- « laribus faciliorem se præbere potest Episcopus in ordine ad « examen, ut ex Salmanticensibus *(Theol. moral.*, tractatu 8, « c. 5, dub. 2, puncto 2, n. 47). Facilius etiam dispensare « cum illis potest in interstitiis, conformando se judicio supe- « rioris regularis testantis de sufficientia causæ. *Institutiones « ecclesiasticæ,* inst. 23, § 1. » (Ferraris, v. *ordo*, art. 3, n. 102.)

Mihi vero videtur res illa ex variis regionum, temporum et institutorum circumstantiis æstimanda. Haud parva sequi possent detrimenta, si faciliorem se exhiberet Episcopus in examine eorum regularium, qui sacri ministerii exercitio addicendi sunt.

§ IX.

Dispensare in interstitiis quoad regulares, an pertineat ad Episcopum, an vero ad superiorem regularem.

Fuit quæstio illa inter doctores valde controversa (vide apud Ferraris, verbo *interstitia,* n. 14). At disputationibus finem fecit Sacra Congregatio Concilii. Unde proposita difficultas solvenda est ut sequitur.

Propositio I^a.—*Dispensare cum regularibus in interstitiis, ad Episcopum pertinet, non autem ad Prælatos regulares, nisi his concessum fuisset, post Tridentinam Synodum, privilegium in contrarium.* — Constat sequenti declaratione S. Congregationis Concilii, die 17 maii 1593 : « S. Congregatio censuit, judicium « hoc remittendi temporum interstitia, ad Episcopum solum « pertinere, non autem ad generales aut provinciales ordi« num. » (Habetur declaratio hæc libro 7 Decretorum, pag. 108; et refertur a Benedicto XIV, prout aliæ mox citandæ, institutione 58.) Idem colligitur ex aliis declarationibus, quas sub sequenti propositione adducimus. Diximus autem *nisi regulares privilegium in contrarium* post Tridentinam Synodum obtinuerint. Si enim constet de tali privilegio concesso et nunquam perempto, dubium non est quin regulares illius instituti ordinari valeant omissis interstitiis, absque ulla Episcopi dispensatione. Constat autem, verbi gratia, regularibus Societatis Jesu concessum fuisse a Gregorio XIII, Constitutione *pium et utile,* ut possent ordinari extra tempora, tribus festivis diebus consecutivis, a quocumque Antistite catholico. Ejusmodi privilegio gaudent et alii regularium ordines. Ab iis proinde regularibus exigere nequit Episcopus, ut, vel interstitia servent, vel ab ipso dispensationem obtineant. De quo vide Benedictum XIV *(de Synodo,* l. 9, c. 16, n. 6) ; ubi narrat contrariam cujusdam Episcopi constitutionem a S. Congregatione Concilii fuisse reformatam.

Propositio IIª. — *Quamvis ad Episcopum pertineat dispensare in interstitiis cum regularibus, tenetur tamen stare judicio superioris regularis, justam adesse causam omittendorum interstitiorum asserentis.*—Constat sequentibus declarationibus: die nempe 31 maii 1597, ita declaratum est: « S. Congregatio « censuit, remissionem interstitiorum, etiam quoad regulares, « ex causis tantum a Concilio expressis faciendam, pertinere « ad Episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere « quoad causas deferre judicio et attestationi superioris regu- « laris ordinandi. » (Libro 9 Decretorum, pag. 18.) Idem confirmatum est die 1 julii ejusdem anni (libro 9 Decretorum pagina 22). Ac postremo die 12 septembris 1609 emanavit decisio hæc : « Sacra Congregatio sæpius declaravit, remis- « sionem interstitiorum, ex causis a Concilio expressis, per- « tinere ad Episcopum ordinantem, quoad regulares ab eo « ordines suscipientes, non autem ad regulares superiores; « ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem « adhibere ac deferre testimonio superioris regularis. »(Libro 11 Decretorum, pagina 65.)

CAPUT XVII.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS.

Quæstio Iª. — *An possit Episcopus confirmare in aliena diœcesi?* — Episcopus in aliena diœcesi confirmans, etiam subditos suos, graviter peccat, et suspensionem a Pontificalibus ipso facto incurrit (vide S. Ligorium, l. 6, n. 171).

Quæstio IIª. — *An possit in sua diœcesi alienos confirmare?* — 1° Per se, id ipsi illicitum est sub gravi. 2° Licite id facere potest, ubi consuetudine permittitur (S.Ligorius, l.6,n. 172).

Quæstio IIIª. — *An ad sacramentum confirmationis ministrandum Episcopus debeat esse jejunus?*— Respondendum negative,

et canones in contrarium universali contraria consuetudine vigere jamdudum desiisse. Atque item necesse non est ut jejunus sit qui confirmationem recipit.

QUÆSTIO IV^a^. — *An licite ministrari possit confirmatio extra ecclesiam, et die non festivo?* — Videtur illicitum confirmare extra ecclesiam, non tamen sub gravi ex sententia communius recepta; et dubium non est quin possit licite Episcopus confirmare in suo oratorio domestico. Est autem Episcopo omnino liberum confirmare etiam die non festivo (S. Ligorius, l. 6, n. 174 et 184).

QUÆSTIO V^a^. — *An et qualiter peccet Episcopus, confirmationem ministrare negligens?* — 1° Si per *longum* tempus non confirmet, peccat graviter : « Hoc est certum apud omnes. » (S. Ligorius, l. 6, n. 175.) 2° In determinando autem longo illo tempore, communior æstimatio hæc videtur : « Dicit « Croix, peccare graviter Episcopum, qui per octo vel decem « annos differret circumire, saltem per loca præcipua, nisi « excuset moralis impossibilitas. Si autem adsit justa « causa, non peccat qui differt per tres aut plures annos. » (S. Ligorius, l. 6, n. 175.)

QUÆSTIO VI^a^. — *An peccet graviter Episcopus, non confirmans moribundum petentem?* — Controvertitur. Probabilis est sententia quæ tenet Episcopum, ne sub levi quidem, ad id obligari (vide S. Ligorium, l. 6, n. 175).

QUÆSTIO VII^a^. — *An confirmari licite possint pueri ante usum rationis, necnon amentes?* —1° Quamvis Catechismus Romanus dicat posse confirmari pueros ante usum rationis, *non* tamen *expedire*; et Benedictus XIV, Constitutione *eo quamvis*, anni 1745 (tomo I sui Bullarii, n. 129) asserat a Sede Apostolica abrogatum morem antiquum ejusmodi pueros confirmandi; licitum adhuc hodie est id facere ex aliqua *gravi causa;* nempe si Episcopus deberet per longum tempus a sua diœcesi abesse, vel puer esset in periculo mortis, aut ex alia simili ratione. 2° Item licite confirmari possunt perpetuo amentes (vide S. Ligorium, l. 6. n. 178 et 180).

QUÆSTIO VIII^a. — *An confirmationis susceptionem omittere sit peccatum?* — 1° Eam omittere ex contemptu, est peccatum grave. Item peccat graviter qui illam omittit, si ob peculiares circumstantias (verbi gratia, ad vitandum scandalum, vel quia sævit persecutio, et merito timet ne deficiat in tormentis), sacramentum illud fit ad salutem necessarium.

2° Seclusis dictis circumstantiis, controvertitur an peccet graviter qui confirmationem recipere negligit. At sententia negans *hodie non videtur satis probabilis* (S. Ligorius, l. 6, n. 182). Id concludit citatus auctor ex his Benedicti XIV verbis (Bulla *etsi pastoralis*, § 3, n. 4 ; in ipsius Bullario tom. 1, n. 57) : *Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt.*

QUÆSTIO IX^a. — *An sit peccatum grave tonsuram recipere ante susceptam confirmationem ?* — Controvertitur (vide S. Ligorium, l. 6, n. 183).

QUÆSTIO X^a. — *An et qualiter peccet Episcopus confirmationem ministrans absque sacris vestibus et cæremoniis in Pontificali præscriptis ?* — Præscribitur in Pontificali Romano, ut Episcopus confirmationem ministret, indutus amictu supra rochettum (vel superpelliceum, si sit regularis), stola et pluviali albi coloris, et cum mitra et baculo. Quo prænotato, solvitur proposita quæstio in hunc modum : 1° videtur non excusandus a gravi peccato Episcopus qui omnia hæc in ministranda confirmatione omitteret : at omittere dumtaxat unum aut alterum, videtur solummodo veniale (S. Ligorius, l. 6, n. 184). 2° Sufficit autem baculum pastoralem esse publice expositum, vel a clerico teneri. 3° Item posse Episcopum confirmare sine mitra, et adhibita tantum stola, declaratum a S. Congregatione de Propaganda Fide, vide loco citato. 4° Mortalis non est omissio alapæ (secluso scandalo) ; et a fortiori omissio cerei, quod non præscribitur in Pontificali, sed usu tantum introductum est.

QUÆSTIO XI^a. — *Quid observandum quoad patrinos?* — 1° S.

Ligorius, multique theologi cum illo, contendunt obligationem adhibendi patrinum esse sub gravi. Licite tamen ministrari posset confirmatio absque patrino, casu quo is haberi non posset. Et quando confirmandus est puer, designatio patrini pertinet ad parentes, et in eorum defectu ad Episcopum (S. Ligorius, l. 6, n. 185). 2° Non debet adhiberi nisi unus patrinus. 3° Is debet esse confirmatus. Et peccaret graviter qui, non confirmatus, patrinum in confirmatione ageret (ibid. n. 185 et 186). 4° Patrinus non confirmatus, probabilius cognationem spiritualem non contrahit (ibidem) : at confirmatus certo contrahit, cum persona quæ confirmatur et cum ejus parentibus. 5° Patrinus debet esse diversus a patrino baptismi : nisi aliqua adsit causa in contrarium (S. Ligorius, l. 6, n. 187). 6° Patrinus debet esse ejusdem sexus ac persona confirmanda : si tamen secus fieret, id non fore mortale putant nonnulli doctores (loco citato). 7° Patrinus esse non potest religiosus nec monialis; nisi persona confirmanda esset pariter regularis (ibid. n. 187). 8° Sufficit ut patrinus manum dexteram super humerum confirmandi ponat (ibid.).

Quæstio XII[a]. — *An benedictio communis quæ datur in fine sit necessaria ?* — « Non est necessaria ad sacramentum, sed est simplex cœremonia, ita communiter doctores... Hinc probabiliter ait Tamburinus (de Confirmatione, c. 2, § 2, n. 9) admonitionem quæ fit, ne confirmati ante benedictionem præfatam discedant, non videri quod obliget. Imo dicunt Layman..., Palaus..., quando magnus est concursus, omittendam esse illam monitionem, ut aliis locus præstetur ; et hanc esse praxim testatur Croix. » (S. Ligorius, l. 6, n. 188.)

CAPUT XVIII.

POTESTAS ET OFFICIUM EPISCOPORUM IN CAUSIS HÆRESEOS.

Dicemus 1° quisnam sit judex legitimus quoad crimen hæreseos : 2° quomodo procedere possit aut debeat Episcopus in causis ejusmodi,

§ I.

Quisnam sit judex legitimus quoad crimen hæreseos.

Propositio I^a. — *Nullus laicus potest esse judex criminis hæreseos, etiam quoad solam quæstionem facti?* — Constat capite *ut inquisitionis* (18, *de Hæreticis*, in 6); capite *decernimus* (2, *de Judiciis)*; capite *quanto* (3, *de Judiciis)*; et capite *si judex* (12, *de Sentent. excomm.*, in 6). Idque tanquam omnino certum tradunt communiter doctores catholici. Nec obstat quod leges imperatoris Justiniani contrarium edicant : quia in hoc sicut et in quibusdam aliis materiis, potestatem suam excessit præfatus imperator; fueruntque ejusmodi potestatis laicæ decreta ab Ecclesia rejecta, et contrariis canonibus correcta (vide Reiffenstuel, in tit. 7, libri 5 Decret., n. 431 et seq.).

Propositio II^a. — *Legitimi judices sunt in causa hæreseos; 1° Papa quoad totum orbem; 2° Episcopus quoad suos diœcesanos, etiam quoad regulares exemptos; 3° illi delegati Pontificii qui* inquisitores fidei *vocari solent.* — 1° De Papa res patet, cum sit supremus ecclesiasticarum omnium causarum judex, et ab eo omnis aliorum ecclesiasticorum judicum jurisdictio dependeat.

2° Item de Episcopo quoad suos diœcesanos, est omnino certum. Imo tenetur ex officio Episcopus hæreses e sua diœcesi extirpare : « Consequenter etiam judicare quinam sint

« hæretici, et debitis pœnis in cos animadvertere » (Reiffenstuel, in tit. 7, libri 5 Decret., n. 435). Et hanc potestatem habent Episcopi in regulares etiam exemptos, quatenus Sedis Apostolicæ delegati; prout decernitur capite *ad abolendam* (9, *de Hæreticis).*

3° Illi etiam deputati Pontificii, qui *Inquisitores* vocantur, sunt legitimi hæreticorum judices, in suo quisque districtu; siquidem ad illud hæreticos inquirendi et judicandi officium a Sede Apostolica deputantur. Illi tamen Inquisitores procedere nequeunt contra Episcopos, neque contra Nuntios, aliosve Officiales Sedis Apostolicæ; sed eos, si sint suspecti de hæresi, debent Sedi Apostolicæ denuntiare.

Nota. — In diœcesi, in qua adest ejusmodi Inquisitor Pontificia auctoritate deputatus, potestas hæreticos inquirendi et judicandi in ipso simul et Episcopo *cumulative* residet. Episcopus enim totam delegatorum ejusmodi Inquisitorum potestatem habet, diciturque et est inquisitor *natus*, per oppositionem ad alios, qui dicuntur *delegati*. Liberum autem est Inquisitori et Episcopo, vel conjunctim, vel separatim procedere. Atvero si separatim procedant, tenetur Inquisitor delegatus ante sententiam condemnatoriam processum communicare Episcopo; et vice versa Episcopus Inquisitori (vide quoad hæc tractatum meum *de Judiciis*, parte 2, sectione 4, subsectione 4).

Propositio IIIª. — *Vicarius generalis non est competens judex criminis hæreseos, nisi speciale quoad hoc mandatum ipsi dederit Episcopus.* — Desumitur ex capite 6 sessionis 24 Tridentinæ Synodi (vide Reiffenstuel, in tit. 6, libri 5 Decret., n. 439).

Propositio IVª. — *Capitulum, sede vacante, ante nominatum vicarium capitularem, et ipse vicarius capitularis, sunt legitimi judices in causa hæreseos : non tamen quoad regulares exemptos.* — Etenim succedunt *ordinariæ* Episcopi defuncti jurisdictioni. Cum autem non succedant *delegatæ*, ideo nequeunt contra regulares exemptos procedere (vide Reiffenstuel, loco citato, n. 440).

§ II.

Quomodo procedere possint aut debeant Episcopi in causis hæreseos.

I. *Quænam esse debeat processus forma?* — Adhibenda est ab Episcopis in causis hæreseos ea forma, quæ delegatis Inquisitoribus præscripta fuit. Vide id probatum in meo tractatu *de Judiciis* (part. 2, sect. 4, subsect. 4, § 6), ubi et formam illam descriptam reperies.

II. *Quibusnam pœnis possint Episcopi in hæreticos animadvertere?* — Non tantum spirituales, sed temporales etiam ac corporales pœnæ a jure ecclesiastico in hæreticos statutæ sunt. Unde stando hisce juris communis dispositionibus, posset Episcopus eas in hæreticum pronuntiare, aut brachio sæculari ejusmodi pœnis a jure statutis hæreticum plectendum tradere, ac potestatem laicam requirere ut auxilium præstet atque executionem procuret. Hodie vero in multis regionibus laica potestas, quoad id brachii sui auxilium non præstat. Neque ejusmodi officium hodie ab istis sæcularibus potestatibus exigit Ecclesia : quippe quod existimet pia Mater id jam non expedire, pro recentiorum populorum moribus, et temporum circumstantiis. In ejusmodi ergo regionibus solæ pœnæ spirituales ab Episcopis in hæreticos pronuntiandæ sunt.

CAPUT XIX.

DE POTESTATE EPISCOPORUM ABSOLVENDI AB HÆRESI.

Explodendnm hic venit erroneum systema, quod lugenda cum pertinacia hodiedum a nonnullis in Gallia propugnatur. Contendunt nempe ab occulta hæresi absolvere posse Episcopos, saltem in Galliis. Ad quem confutandum errorem, simul-

que expendendas cæteras circa absolutionem ab hæresi quæstiones, procedemus hac paragraphorum serie : 1° exponemus notiones quasdam in hac materia necessarias, et a doctoribus præmitti solitas : 2° quæstionem solvemus quoad hæresim pure mentalem, quoad hæresim notoriam et simul ad forum judiciale deductam, et quoad hæresim notoriam sed ad forum judiciale non deductam : 3° tandem disseremus de hæresi occulta, circa quam versatur supra dictus Gallicanorum error.

§ I.

Præmittuntur notiones quædam.

I. Diligenter distinguenda est hæresis pure *mentalis*, ab hæresi *externata*, id est, extra mentem aliquo modo significata. Nam hæresis pure *mentalis*, ut mox dicetur, annexam non habet excommunicationem nec est reservata ; unde ab ea quilibet confessarius absolvere potest.

II. Hæresis externata subdividitur in *occultam* et *notoriam*. Dicitur *occulta*, quando, vel nemo, vel pauci eam norunt. Nimirum « ut crimen dicatur *non occultum*, requiritur ut, vel « sit deductum ad forum contentiosum, vel sit notum fere « omnibus, ut ait Vivacum Suaresio, aut saltem majori parte « oppidi, viciniæ, parochiæ, collegii, seu monasterii..; ita « ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque « vel sex personæ. » (Sanctus Ligorius, l. 7, n. 76.)

III. Hæresis *notoria* iterum duplex est : notoria notorietate *juris*, et notoria notorietate *facti*. Prior illa est de qua constat *judicialiter*, sive quia reus de hæresi in judicio convictus est, sive quia ipse suam hæresim in foro externo (et non in pœnitentiali tantum) confessus est. Posterior illa est quæ pervenit ad notitiam multorum, id est, majoris partis oppidi, viciniæ, communitatis. Prior vocari potest *notoria et ad forum*

judiciale deducta; posterior, *notoria et ad forum judiciale non deducta.*

IV. Circa hæresim pure mentalem, necnon circa notoriam utriusque speciei, non exstat controversia, ut sequenti paragrapho videbitur. At circa hæresim *occultam*, recepta et tenenda doctrina est, Episcopis non competere potestatem ab ea absolvendi; et nihilominus contrarium pertinaciter nonnulli in Gallia sustinent.

§ II.

De hæresi pure mentali; de notoria et ad forum judicialem deducta; de notoria et ad forum judicialem non deducta.

PROPOSITIO Iª. — *Hæresis pure mentalis non habet annexam excommunicationem, nec est reservata Summo Pontifici: ab ea proinde non tantum Episcopus, sed et quilibet confessarius approbatus absolvere potest.* — Conclusionem hanc admittunt doctores communiter. De quo sic inter alios testatur Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, libro 9, cap. 4, n. 4) : « Communiter doctores non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici confessario facultatem concedunt absolvendi ab hæresi pure interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata. Absolutio quippe ab hæresi est Summo Pontifici reservata solum ratione censuræ, eidem hæresi annexæ. Ecclesia autem, sicuti non potest per se directe et immediate præcipere aut prohibere actum mere internum (juxta communem theologorum sententiam, quam cum S. Thoma.. docet Suarez...), ita non potest hæresim, quæ in actum exteriorem non prodit, censura perstingere (uti tradunt Suarez..., Sanchez..., Bonacina..., Barbosa...).

« Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiæ ab Episcopo, aliove simplici confessario absolvi, qui exterius verbo vel facto aliquem negaret fidei articulum retento tamen interiori assensu circa illum. Nam iste, etsi

« graviter contra fidem peccaret, non tamen esset formaliter « hæreticus; ac propterea non irretiretur censuris in hære- « ticos inflictis. »

Idem sic tradit Cardinalis Petra (tomo 3, ad Constitutionem 18 Innocentii IV, n. 12) : « Actus siquidem interni, qualis « est hæresis mere mentalis, non cadunt sub jurisdictione « Ecclesiæ, quæ de internis non judicat... Ex quo fit ut hæ- « resis pure interna, cum excommunicationem annexam non « habeat, non sit reservata, possitque a quocumque etiam « simplici confessario absolvi. »

Propositio IIª. — *Ab hæresi notoria et ad forum judicialem deducta potest Episcopus absolvere.* — Illa etiam conclusio extra controversiam est apud doctores. Eam sic firmat Cardinalis Petra (loco citato, n. 27) : « Quod si hæresis sit publica et ad « forum contentiosum deducta, præservata censetur facultas « Episcopi et inquisitorum, non solum in foro externo..., sed « etiam in foro interno; adeo ut absolutio ab hæresi ad fo- « rum contentiosum deducta suffragetur quoad utrumque « forum : ut quoad inquisitores aperte colligitur ex Constitu- « tione 18 Alexandri IV, incipiente *cupientes*, § 1, ibi : *Necnon « absolvendi a sententia excommunicationis omnes illos, qui di- « missa hæreticorum perfidia, ad unitatem catholicæ fidei libere « ac humiliter redire volunt.* Et quoad utrosque (*intellige, quoad « Episcopos et quoad inquisitores*) est textus in capite *ut officium, « de Hæreticis*, in *Sexto :* et docent communiter doctores... « Atque in eodem sensu est suprema Inquisitio; quæ alias cen- « suit, Episcopos eorum auctoritate *ordinaria* posse recipere « et absolvere in utroque foro hæreticos formales, sponte « comparentes, a sententia excommunicationis, videlicet post « abjurationem juridice factam, et absolutionem in foro exte- « riori datam. Et alias cuidam Episcopo respondit, quod re- « cepta juridica spontanea comparatione cujusdam hæretici, « illum prævia abjuratione de formali, et pœnitentiis saluta- « ribus, sua auctoritate *ordinaria* coram notario et testibus « in utroque foro absolvat... Nec obstat Bulla in *cœna Do-*

« *mini...;* nam Bulla procedit quoad absolutionem ab hæresi « *non deducta ad forum contentiosum*, ut dixi. »

Eamdem doctrinam sic tradit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 4, n. 3) : « Tam Inquisitor quam Episcopus « potest resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se com- « parentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum, Ec- « clesiæ reconciliare, et pro utroque foro absolvere a cen- « sura, in quam propter hæresim incidit. Quod pluribus « ostendunt Cardinalis Albitius..., Farinaccius..., Cardinalis « de Lugo...,Thomas del Bene..., et Cardinalis Petra... Quin- « imo uterque potest, pœnitentem hæreticum, postquam suos « ejuravit errores, ad simplicem confessarium remittere, ut « ab eo absolvatur : eamque absolutionem, licet a confessario « datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro ex- « terno, a cujus jurisdictione promanat, recte observat idem « del Bene. » Videri etiam potest Reiffenstuel (in titulum 7 libri 5 Decretalium, n. 369).

Propositio IIIª. — *Ab hæresi notoria et ad forum judicialem deducta potest Episcopus absolvere in utroque foro, non tantum per seipsum sed etiam per delegatum.* — Sequitur ex præcedenti propositione. Nam, ut ibi vidimus, potest in hoc casu Episcopus absolvere auctoritate *ordinaria :* ergo et potest ad id delegare.

Corollarium. — Circa protestantes notorios qui ad fidem catholicam convertuntur. — Hoc ipso quod isti protestantes volunt hæresim abjurare, eos absolvere potest Episcopus per se, vel per alium ab ipso delegatum ; nec opus est Romam recurrere. Nam ipsorum hæresis est *notoria*, ex hypothesi ; quia loquimur de protestantibus qui a parentibus hæreticis nati sunt,et fuerunt in hæresi educati, sicque tanquam protestantes publice noti sunt. Et præterea est *notoria* ipsorum hæresis, ex hoc ipso quod in foro externo petant se in gremium catholicæ Ecclesiæ recipi. Ergo sunt in casu conclusionis 2 et 3.

Secus dicendum foret de catholico qui in hæresim protestanticam aut aliam externe ita lapsus esset, ut a paucis id

notum remansisset. Is nempe est in casu hæresis *occultæ*, a qua (ut mox videbimus) nequit ab Episcopo absolvi, quandiu ejus hæresis ad forum judicialem non fuerit deducta. Unde si nolit hæresim suam notam facere in foro externo seu judiciali, sed tantum in foro pœnitentiali, Indulto Sedis Apostolicæ ad eum absolvendum opus erit.

PROPOSITIO IVª. — *Ab hæresi notoria et ad forum judicialem non deducta, solus Papa absolvere potest.* — Ista etiam conclusio communiter a doctoribus admittitur, nec difficultatem facit. Citabimus duntaxat Cardinalem Petra qui (loco citato, n. 15) sic habet : « Hæresis formalis seu externa, per quam « excommunicatio incurritur, in triplici statu considerari « potest : nam vel est occulta, vel non occulta ; et hæc, vel « est deducta ad forum contentiosum, vel non. Si hæresis non « sit occulta, nec ad forum contentiosum deducta, ab excom- « municatione ob eam incursa solus Papa absolvere potest : « Barbosa, *de Potestate Episcopi*, allegatione 40, n. 12 : Suarez, « *de Fide*, disputatione 21, sect. 4, n. 4 : Scortia... » Constat autem veritas couclusionis ex Bulla *cœnæ*, qua Sedes Apostolica sibi generaliter reservavit absolutionem ab excommunicatione quam incurrunt omnes hæretici per hæresim quamlibet externe manifestatam. Equidem sub hac generali reservatione non censenda est comprehendi hæresis notoria *et ad forum judicialem deducta ;* at nulla est ratio cur non comprehendatur hæresis notoria *et ad forum judicialem non deducta.*

His in antecessum firmatis, gressum faciamus ad *hæresim occultam,* circa quam versatur supradicta nonnullorum Gallicanorum erronea opinio.

§ III.

Quod Episcopi, saltem in Gallia, possint ab occulta hæresi absolvere, est opinio erronea prorsusque rejicienda.

Prænotandum. — 1° Certum est a Tridentina Synodo Episcopis concessam fuisse facultatem absolvendi ab occulta hæ-

resi, ut mox videbimus : at post Tridentinam Synodum in Bulla, quæ quotannis feria quinta in cœna Domini publicari solebat, inserta est dispositio contraria. Hinc orta quæstio, an concessa Episcopis a Tridentina Synodo dicta potestas, eis ablata fuerit per subsecutam contrariam dispositionem Bullæ *cœnæ?*

2° Haud pauci olim doctores putarunt, per Bullam *cœnæ* haud fuisse derogatum Tridentinæ concessioni ; ac proinde, non obstante hac Bulla, posse Episcopos ab hæresi occulta absolvere. Plures hujus opinionis auctores enumeratos reperies apud Benedictum XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 4, n. 6). Porro ista opinio probabilitatem omnem jamdudum amisit, estque hodie tanquam certo falsa habenda ac prorsus rejicienda, ut modo probabimus.

3° Gallicani auctores multi suum peculiare habent hac in re systema : concedunt quidem Tridentinæ dispositioni per textum Bullæ *cœnæ* fuisse derogatum ; ac proinde non posse cæterarum gentium Episcopos ab occulta hæresi absolvere. At contendunt aliter quoad Galliarum Antistites esse concludendum. Asserunt nempe Bullæ *cœnæ* dispositionem non obligare in Gallia ; *primo*, ob contrariam ac legitime præscriptam consuetudinem seu praxim Episcoporum, qui absque scrupulo, ut aiunt, propria auctoritate absolvunt ab occulta hæresi; *secundo*, quia Bulla *cœnæ* non fuit in Galliis recepta. Quod gallicanum systema sic refert Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 5, n. 1) : « Potestatem, de qua hactenus disseruimus, aliis « innixi argumentis, suæ gentis Episcopis vindicare conantur « plures doctores Galli ; quos sequuntur Tournely, seu verius « continuator *Theologiæ moralis* ejusdem (tomo 2, tractatu 3 « *de censuris*, parte 1), Pontas... Aliqui enim, teste Thomas- « sino (*De veteri et nova disciplina*, parte 1, l. 2, c. 13, n. 8) « eam in Galliarum Præsules derivatam volunt a consuetu- « dine, tacito Romani Pontificis consensu roborata ; quæ jam- « diu obtinuit ut Episcopi occultos hæreticos in foro sacra- « mentali absolvant : *Absolvunt tamen*, ait Thomassinus,

« *Episcopi Galliarum, non contradicente, adeoque, ut ex regulis* « *juris ipsi interpretantur, consentiente Pontifice.* Alii vero, cum « Gibert (in suo tractatu *de Usu ecclesiæ gallicanæ in materia* « *censurarum*, titulo 17), ideo per Bullam *cœnæ* non revoca- « tam defendunt gallicanis Episcopis auctoritatem absolvendi « ab hæresi occulta, quia præfata Bulla, ut ipsi aiunt, et « pluribus suadere conatur Gibert, nunquam fuit in Galliis « recepta. » Hoc systema confutat postea ibidem Benedictus XIV. Videri potest idem gallicanum systema expositum et confutatum a Cardinali Petra (tomo 3, ad Constitutionem 18 Innocentii IV, n. 22). Nostris etiam temporibus dictum systema propugnatum fuit in opere anonymo, *Mémoire sur la situation présente de l'église gallicane, relativement au droit coutumier* (Paris, imprimerie de Simon Raçon et compagnie, rue d'Erfurth, 1). Quod tenebrosum opus, in corruentis gallicanismi defensionem summo cum mysterio ex collecta plurium collaboratione, et (quod magis dolendum est) patrocinantibus haud paucis in dignitate ecclesiastica conspicuis viris, editum atque sparsum, decreto S. Congregationis Indicis, necnon Encyclicis Pii Papæ IX litteris proscriptum est. Quibus prænotatis, sit

Propositio Iª. — *Tridentina Synodus Episcopis facultatem concesserat absolvendi ab occulta hæresi* (1). — Etenim sessionis 24 capite 6 decrevit præfata Synodus in hunc modum : « Liceat « Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex « delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex « homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum « contentiosum) dispensare : et in quibuscumque casibus oc- « cultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quos- « cumque sibi subditos in diœcesi sua, per seipsos, aut vica- « rium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ

(1) *Occultæ* hæreseos nomine intelligat lector, juxta superius adnotata, hæresim *externatam* quidem, sed *ad judicialem forum non deductam*, et nulli vel paucis notam.

« gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in « hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, « non eorum vicariis, sit permissum. »

Propositio IIa. — *Dicta facultas absolvendi ab occulta hæresi Episcopis a Sede Apostolica fuit ablata; ita ut hodie omnino rejicienda sit opinio quæ eam ipsis tribueret.* — Conclusionem probabimus ex Bulla *cœnæ*, necnon ex variis Summorum Pontificum et Congregationum Romanarum declarationibus.

I. *Vera probatur conclusio ex tenore Bullæ* cœnæ. — Etenim Bulla hæc, qualis post Tridentinam Synodum pluries publicata fuit, omnibus, *etiam episcopali dignitate præditis*, absolvendi a casibus in hac Bulla reservatis facultatem, *etiam per cujusvis Concilii decreta* concessam, adimit. En textum ipsum : « Cæte« rum a prædictis sententiis nullus per alium quam Roma« num Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus... absolvi « possit; etiam prætextu quarumvis facultatum et Indultorum « quibuscumque personis..., etiam episcopali vel alia majori « dignitate præditis, per Nos ac dictam Sedem, ac cujusvis « Concilii decreta... concessorum. » Textum Bullæ a Gregorio XV, anno 1622, publicatum refert Barbosa (*de Officio Episcopi*, parte 3, alleg. 50, n. 56 et seq.); cui textui concordant verba a nobis adducta. Jam vero clausula hæc aufert Episcopis facultatem, quam ipsis Tridentina Synodus concesserat, absolvendi ab occulta hæresi; aufert siquidem ejusmodi facultatem *etiam per cujusvis Concilii decreta* concessam. Cujus argumenti vim magis perspiciet lector ex solutione omnium alicujus momenti difficultatum, quæ ab oppositæ opinionis patronis objici solent.

Objicies 1°. — Concilii œcumenici decreta disciplinaria nequeunt a Papa immutari : ergo dicta facultas a Tridentina Synodo Episcopis concessa adimi non potuit per ullam subsecutam Bullæ *cœnæ* publicationem. — Respondetur *primo :* disciplinam a Conciliis etiam œcumenicis sancitam posse a Romanis Pontificibus immutari ; et opinionem contrariam erroneam esse, ac prorsus rejiciendam, prout alibi probabitur.

Respondetur *secundo* : etiamsi hoc verum esset quoad alia Concilia œcumenica, non tamen quoad Tridentinam Synodum, utpote quæ (capite ultimo sessionis 25) declaravit omnia sua decreta ita fuisse sancita, *ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*. Ex quibus verbis inferunt doctores communiter, Papam non agere contra mentem hujus Concilii, quando aliquod ejus decretum immutat : proinde in ejusmodi immutationibus Papam non agere de jure extraordinario seu de potestatis plenitudine, sed de jure ordinario : consequenter, ad derogandum alicui Tridentino decreto, satis esse ut Papa contrarium statuat ; non autem requiri ut de moderato Concilii decreto expressam mentionem faciat (vide id probatum a Benedicto XIV, *de Syn. diœc.*, lib. 9, c. 4, n. 7 ; necnon ab Anacleto Reiffenstuel, in tit. 2, libri 1 Decretalium, n. 522 et seq.).

Objicies 2°. — Summus Pontifex non censetur agere de jure extraordinario, nec proinde œcumenicorum Conciliorum decretis derogare, nisi de hoc expressam mentionem faciat : atqui Bulla *cœnæ*, etsi adimat dictam Episcoporum facultatem *per cujusvis Concilii decreta* concessam, non tamen facit de contrario Tridentino decreto expressam mentionem : ergo censenda non est huic decreto derogare voluisse Sedes Apostolica. — Respondeo : quoad Tridentinorum decretorum moderationem nullatenus requiritur expressa mentio, ob rationem sub præcedenti objectione expositam, et a Benedicto XIV (loco citato) evolutam.

Objicies 3°. — Incredibile est Sedem Apostolicam statim post celebratam Tridentinam Synodum Episcopis adimere voluisse potestatem illam ab occulta hæresi absolvendi, quam sibi in illa Synodo tribuerant : atqui hoc admittendum foret, si objecta clausula Bullæ *cœnæ* potestatem illam Episcoporum excluderet. Nam clausula hæc, quæ ante Tridentinam Synodum in Bulla *cœnæ* continebatur, in publicationibus statim post celebratum Concilium Tridentinum habitis eadem retenta est. Unde censenda est Sedes Apostolica clausulam hanc reti-

nuisse, non ut Episcopis a Tridentina Synodo concessam dictam facultatem adimeret, sed ne antiqua Bullæ *cœnæ* formula mutaretur.

Respondeo 1°. — Gratis supponitur verba hæc clausulæ, *etiam prætextu facultatum aut Indultorum per cujusvis Concilii decreta concessorum*, contenta fuisse in formulis Bullæ *cœnæ* Tridentino Concilio anterioribus, et iu eis quibus post dictum Concilium usi sunt Pius IV et proximiores subsecuti Pontifices. « Non leguntur (verba hæc) in Bulla *cœnæ* promulgata a « Martino V, quæ refertur a S. Antonino (parte 3, tit. 24, « cap. 72); neque in Bulla *cœnæ* promulgata a Paulo III, « quæ est decima inter Constitutiones ejusdem Pontificis « (Bullarii, tom. 1). Quinimo Cardinalis de Lugo (de Virtute « fidei, disput. 23, sect. 3, § 1, n. 48) testatur se ea verba « non invenisse in ulla Bulla *cœnæ* ante Gregorium XIII; ex « quo conjicit, neque a Pio IV fuisse adhibita. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 4, n. 8.) Ergo ruit objectio, utpote quæ falsa hypothesi tota nititur.

Respondeo 2°. — Hujus hypotesis falsitas certam facit Sedis Apostolicæ mentem, Episcopis dictam facultatem adimendi. Cum enim proximi post Tridentinam Synodum Pontifices præfatam clausulam non adhibuerint, nulla alia excogitari potest causa cur alii postea eam inseruerint, nisi quia revera voluerunt Tridentinæ concessioni derogare. « Etenim (ait « Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 9, c. 4, n. 7) cum nullum « præter Tridentinum reperiatur Concilium a quo data sit « Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, allegata verba, « quibus Pontifex eamdem potestatem sibi deinceps reservat, « unice alludere queunt ad enuuciatum Tridentinum decre- « tum, cui in hac parte se derogare declarat. »

Respondeo 3°. — « Cum hæc controversia non versetur « circa jus, sed circa factum (nemo quippe catholicorum « dubitat, potuisse Pontificem facultatem de qua agitur Epi- « scopis adimere, sed solum disputant an reipsa ademerit), « non est ex meris præsumptionibus et conjecturis colligenda

« voluntas Summorum Pontificum, quam ipsimet diserte ex-« plicuerunt. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, lib. 9, c. 4, n. 9.) Mentem autem suam revera disertissime explicuerunt, ut ex documentis mox adducendis plene constabit.

Objicies 4°. — « Correctio jurium est vitanda si fieri po-« test : atqui hoc fieri posse videtur in proposito, dicendo « quod Concilium Tridentinum loquatur de potestate absol-« vendi ab hæresi *occulta ;* et Bulla *cœnæ Domini* de pote-« state absolvendi ad hæresi *publica.* » Qua posita explicatione haudquaquam ex Bulla *cœnæ* probari potest, ademptam Episcopis fuisse facultatem ab occulta hæresi absolvendi, quam eis contulit Tridentina Synodus. — Respondeo : correctio jurium est vitanda, quando dubium est an legislator jus præcedens corrigere voluerit, concedo : quando plene constat legislatorem voluisse jus præcedens corrigere, nego. Porro Sedes Apostolica, ut dictum est, mentem suam hac de re aliunde patefecit. Declaravit nempe Tridentinæ concessioni fuisse a se per Bullam *cœnæ* derogatum (vide hanc objectionem apud Reiffenstuel, in tit. 7, libri 5 Decretalium, confutatam).

Objicies 5°. — Plures et gravissimi doctores Bullam *cœnæ* ita intelligendam existimarunt, ut concessioni Tridentinæ nullatenus deroget : ergo *probabile* saltem est ademptam Episcopis non fuisse facultatem absolvendi ab occulta hæresi. — Respondeo : admisso antecedenti, nego consequens. Nam ex eo quod opinio aliqua fuerit inter catholicos aliquandiu controversa, non sequitur eam remansisse probabilem. Ex variis enim Sedis Apostolicæ declarationibus, possunt ejusmodi opiniones antea probabiles omni prorsus probabilitate postea destitui. Id porro præsenti quæstioni venit applicandum. Sub initium nempe controversiæ, nondum a Summis Pontificibus et Romanis Congregationibus declaratum fuerat, per Bullam *cœnæ* Tridentino decreto fuisse derogatum : imo et postea non statim omnibus certo notæ fuerunt ejusmodi declarationes. Hinc potuerunt nonnulli doctores catholici in inter-

pretando dictæ Bullæ textu bona fide errare, et aliquam opinioni suæ probabilitatem nancisci. Hodie vero de Sedis Apostolicæ voluntate dictam facultatem Episcopis adimendi certo constat. Unde jam ne vel minimum probabilis est contraria opinio.

II. *Vera probatur conclusio ex Romanorum Pontificum et Sacrarum Congregationum declarationibus.* — 1° « S. Pius V et « Gregorius XIII, de hac re interrogati, indubitanter respon« derunt, nulli præter Papam hodie integrum esse quemquam « absolvere ab hæresi, etiam occultissima, eo quod Papa per « Bullam *cœnæ* ejusmodi facultatem sibi reservet. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, libro 9, c. 4, n. 9.)

2° Idem declaratum a Clemente VIII, refert Anacletus Reiffenstuel (in tit. 7 libri 5 Decretalium, n. 354), in hunc modum : « Rursus ita declaravit Gregorius XIII et Cle« mens VIII, prout varii auctores testantur... Unde et S. « Franciscus Salesius, cum in examine Episcoporum sibi ex « triginta-quinque quæstionibus Clemens VIII, primam pro« posuisset : *Possentne Episcopi ab hæresi absolvere ?* Isque re« spondisset : *Possunt ex Concilio Tridentino :* Papa respon« dente, non esse hanc suam mentem ; antiquatum enim esse « illum articulum : mox sententiam retractans verus Ecclesiæ « filius subjunxit : *Quandoquidem non est mens Vestræ Sancti« tatis, a mea discedo, prorsus Pontificiæ acquiesco.* Ita ex vita « hujus sanctissimi Antistitis refert P. Gobath. » Idipsum de sancto Francisco Salesio enarrat Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 4, n. 9); et dominus Hamon, in recens edita gallico idiomate sancti Francisci Salesii vita (t. 1, p. 347).

3° A S. etiam Congregatione Inquisitionis decisum est, Episcopis haud competere ab occulta hæresi absolvendi facultatem : « Ita quippe (ait Benedictus XIV, citato loco) declara« tum a S. Congregatione S. Officii testantur Penia, Romanæ « Rotæ auditor.., et Cardinalis Albitius, qui ejusdem Congre« gationis assessoris munus obierat. »

4° Idemque responsum datum a S. Congregatione Concilii

« narrant Fagnanus (in c. *quoniam*, n. 29, *de Constitutionibus*, « et in c. *dilectus*, n. 40, *de Temp. ordinand.*), ac Cardinalis « Petra (in comment. ad Const. 18 Innocentii III, tomo 3, « n. 19 et seq.). Quocirca Suarez, qui in tractatu *de Censuris* « (disput. 21, sect. 3, n. 5), probabilem censuerat opinionem « Episcopis favorabilem, cum postea diligentius expenderit « allegata Summorum Pontificum Sacrarumque Congregatio- « num responsa, e priori sententia recessit, et in tractatu *de* « *Fide* (disput. 12, sect. 4, n. 13), aperte docuit nulla proba- « bili ratione posse hodie adstrui Episcopis potestatem absol- « vendi ab hæresi... Ac denique Fagnanus (in citato cap. « *dilectus*, n. 31), postquam indicatam retulit declarationem « editam a S. Congregatione Concilii, ait : *Unde frustra non-* « *nulli ex recentioribus theologis hunc articulum in controversiam* « *adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ Con-* « *gregationis.* » (Benedictus XIV, *de Synodo diœces.*, l. 9, c. 4, n. 9.)

5° Confirmatur ex sequenti propositione, ab Alexandro VII, 24 septembris 1665, proscripta : *Sententia asserens, Bullam* cœnæ *solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629, 18 *julii, in consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.* Nec dicatur, damnatam esse dumtaxat hanc propositionem, quia in ipsa falso asserebatur, eam a Congregatione Cardinalium fuisse toleratam. Nam damnata est ut *scandalosa :* porro nullum aut certe parvum scandalum oriri potest, ex eo quod falso asseratur, aliquam propositionem a Cardinalibus fuisse toleratam, si aliunde propositio hæc sit in se *licita et probabilis :* ergo ideo ut scandalosa proscripta est, quia jam, ob varias quæ præcesserant declarationes, *certo illicita* et *certo falsa* evaserat.

6° Confirmatur ex verbis quæ S. Congregatio Concilii significavit esse adjicienda cuidam decreto Synodi provincialis Parisiensis anni 1849. Quam injunctam additionem gemebundi

sic enarrant auctores, supracitati operis proscripti, *Mémoire sur la situation présente de l'église gallicane relativement au droit coutumier*, pagina 107 : « Le Concile de Paris, en proscrivant l'œuvre *de la Miséricorde*, de Michel Vintras, avait « défendu aux confesseurs d'absoudre les adeptes de cette « secte, à moins qu'ils ne donnassent des preuves authenti« ques de leur repentir, et qu'ils n'abjurassent leurs erreurs. « La Congrégation du Concile a demandé (1) qu'on ajoutât « cette clause si grave, *et à moins que le confesseur n'ait ob« tenu les facultés nécessaires du Siége Apostolique* : *nisique in« super iidem animarum curatores opportunas in id facultates ab « Apostolica Sede obtinuerint* (Concile de Paris, pag. 58). Nous « ne connaissons aucun décret spécial qui réserve au Saint« Siége l'absolution de ceux qui sont tombés dans cette er« reur. Nous craignons qu'*on* n'ait voulu implicitement faire « regarder comme une loi obligatoire la réserve portée par « la Bulle *in cœna Domini.* »

Vel ex solo hujusce additionis facto, constat non consentire Sedem Apostolicam prætensæ consuetudini, vi cujus Episcopis Galliæ adscribitur potestas absolvendi ab occulta hæresi.

Cum ergo toties, tot declarationibus, totque modis, Sedes Apostolica palam fecerit se, per Bullam *in Cœna Domini*, derogasse Tridentinæ concessioni, et potestatem ab occulta hæresi absolvendi Episcopis ademisse, contrarium hodie tueri, nil aliud foret, quam apertus error ac reprobanda pertinacia.

Sane si quis Episcopus adhuc hodie dubitet de adempta sibi hac potestate, cur dubium illud non excutit, Summum Pontificem interrogando, et postulando quænam sit ejus hac in re mens et voluntas? Vertitur enim tota quæstio, non circa jus, sed circa factum. Quod nempe *potuerit* Sedes Apostolica

(1) Locutio hæc *a demandé* accurata non est. Hanc, inter alias, correctionem faciendam significavit S. Congregatio. Nec licet Conciliorum provincialium decreta edere, nisi cum indicatis a S. Congregatione correctionibus.

dictam potestatem adimere, nemo catholicus negare potest. Agitur ergo dumtaxat de facto hoc, *an voluerit*. Quod *voluerit* et permanenter *velit*, dicimus omnino certum, et tum ipso textu Bullæ *cœnæ*, tum documentis quamplurimis probamus. Qui dubitat, et renuit Summum Pontificem de hac ipsius voluntate interrogare, manifestum facit se a veritate abhorrere. Quod si cum hoc suo, nullatenus hodie fundato dubio, nihilominus ab occulta hæresi absolvat, id sine gravi reatu attentare nequaquam censendus est.

Objicies 1°. — De supra memoratis Romanorum Pontificum declarationibus non constat per instrumentum *authenticum :* ergo declarationes illæ rigorose non probant, ademptam Episcopis fuisse ab occulta hæresi absolvendi facultatem, quam eis Tridentina Synodus concesserat. — Respondeo : nego consequens. Ut enim rigorose probent illæ declarationes, satis est, ut de ipsis *certo* constet : atqui de ipsis plene constat per tot et tantorum, qui veras illas testantur, doctorum assertionem. Quod nempe Sedes Apostolica per Bullam *cœnæ* voluerit dictam facultatem Episcopis adimere, non minus hodie nobis constat, quam sancto Francisco Salesio, cui hanc suam voluntatem ipse edicebat Clemens VIII. Posita autem hac certitude, omnem omnino probabilitatem amittit contraria Bullæ *cœnæ* interpretatio. Equidem ad derogandum Tridentino decreto, opus fuit contraria dispositione *authentica* et rite publicata. Sed talis fuit Bullæ *cœnæ* formula, a tempore quo ipsi inserta fuit supra dicta clausula. Ut autem constet de vero hujusce clausulæ sensu, necesse non est ut Sedes Apostolica illum sensum declaret per instrumentum authenticum et cum solemnitate promulgatum ; sed satis est *certo* constare de Sedis Apostolicæ mente ac voluntate. Porro ex adductis testimoniis certo constat per hanc clausulam voluisse Romanum Pontificem Tridentino decreto derogare.

Objicies 2°. — Supra memorata S. Congregationis Sancti Officii decisio, non habet vim legis : ergo non potuit impedire quin probabilis remaneret contraria opinio. — Respondeo :

permisso antecedente, negatur consequens. Etenim etiamsi præfata decisio non habuerit vim legis, vim tamen habuit certam faciendi Sedis Apostolicæ mentem et voluntatem. Porro id sufficiens fuit ad auferendam omnem contrariæ opinionis probabilitatem. Nam tota controversia in hoc versabatur, an Sedes Apostolica per sæpedictam Bullæ *cœnæ* clausulam voluisset facultatem hanc Episcopis adimere. Declaratio autem Sancti Officii affirmative respondendo, hoc ipso *certam* fecit illam Sedis Apostolicæ voluntatem, quæ in dubium a nonnullis revocabatur.

Objicies 3°. — « Ex Decreto Gregorii XV anno 1621, et « Urbani VIII die augusti 1632 emanato, hujusmodi declara- « tionibus (*S. Congregationis Concilii*) nullam fidem in judicio « vel extra a quocumque adhibendam esse, nisi in *authentica* « *forma*, solito sigillo et subscriptione Eminentissimi Cardina- « lis præfecti, et secretarii ejusdem Congregationis munitæ « fuerint. » (Ita objectionem contra argumentum e declarationibus S. Congregationis Concilii deductum proponit Reiffenstuel, in tit. 7, libri 7 Decretalium, n. 361. Quam objectionem postea diluit ut sequitur.) « Respondetur, verum quidem esse, « quod declarationes Cardinalium non probent, nisi in forma « authentica afferantur : tamen etiam verum esse, quod ab « irreverentia et temeritate vix absit, declarationes a pro- « batis auctoribus (inter quos utique est Fagnanus, utpote « S. Congregationis secretarius) relatas, ex hoc solo rejicere, « quod non afferantur in forma authentica ; prout ex eodem « Fagnano, in proœmio, § 58, n. 128, amplius diximus. »

Propositio III^a^. — *Galliæ etiam Episcopis adempta fuit facultas absolvendi ab occulta hæresi ; estque opinio contraria falsa prorsus ac rejicienda.* — Conservatam gentis suæ Episcopis illam facultatem contendunt, ut diximus, nonnulli gallicani auctores, etsi ademptam eam cæterarum regionum Præsulibus libenter fateantur (vide continuatorem Tournely, *Theologia moralis*, tract. 3 *de Censuris*, parte 1 ; necnon Pontas, v. *casus reservati*, casu 4). Rationes autem quibus nituntur duæ sunt :

1° quod ita jamdiu obtineat consuetudo, tacito Romani Pontificis consensu roborata. « Absolvunt tamen ab hæresi (ait « Thomassinus) Episcopi Galliarum, non contradicente, adeoque, ut ex regulis juris ipsi interpretantur, consentiente « Pontifice. » 2° Quod Bulla *cœnæ* nunquam in Gallia recepta fuerit. Ita Gibert in suo tractatu *de Usu ecclesiæ gallicanæ in materia censurarum*, titulo 17.

« Verum, ait Benedictus XIV (*de Synodo diœc.*, l. 9, c. 5, « n. 2) neque ejusmodi argumenta tantæ sunt efficacitatis, ut « illud evincant quod prædicti auctores contendunt. » Quod sic probatur :

I. *Evertitur argumentum ex prætensa consuetudine deductum.* — 1° Consuetudo hæc Episcoporum Galliæ ante initium sæculi decimi-septimi non exstitit; sed e contra illis Episcopis omnino persuasum fuit, virtute Bullæ *cœnæ* ademptam sibi fuisse facultatem absolvendi ab hæresi a Tridentina Synodo concessam. Etenim patres Concilii provincialis Rothomagensis, anni 1581 ad Gregorium XIII scripserunt in hunc modum : « Circa decretum de casibus reservatis, ubi dicitur, ex Con-« cilio Tridentino Episcopos absolvere ab hæresi, videtur « contra Bullam *in cœna Domini*, et reservationem factam « per Dominos Pios quartum et quintum. Sed plures potius « manebunt in hæresi, quam propter eam mittant ad Sedem « Apostolicam; et interea, dum mittitur et expectatur abso-« lutio, multæ incidere possunt tentationes et mutationes. « *Ideo humillime supplicant Episcopi, ut dignetur Sua Sanctitas* « *illis potestatem ex decreto Tridentino concedere.* » Facultatem *ad tempus* dumtaxat concessit Pontifex, his verbis: « Pro ne-« cessitate provinciæ conceditur ad tempus hæc facultas absol-« vendi, juxta decretum Concilii Tridentini, cui magis visum « fuerit. » (Tomo 10 collectionis Harduini, col. 1266.)

Similem ad Romanum Pontificem recursum instituerunt Patres Concilii provincialis Turonensis anni 1583 : « A Sua « Sanctitate, cujus judicio et censuræ omnia in præsenti Con-« cilio sancita et definita subjiciuntur, supplex Synodus quam

« potest efflagitat obnixe, ut Episcopis provinciæ, eorumque « vicariis, officialibus et pœnitentiariis, facultatem ab hæresi « absolvendi, ac hæreticos Ecclesiæ restituendi, *iis interdi-« ctam,* concedere dignetur. » (In collectione Harduini, tomo 10, col. 1393.) Ergo Synodorum illarum Patribus, id est, viginti Episcopis, prout adnotat Benedictus XIV (*de Synodo diœc.*, l. 9, c. 5, n. 3) persuasum omnino fuit, virtute Bullæ *cœnæ* ademptam sibi fuisse facultatem absolvendi ab hæresi, quam concesserat Tridentinum Concilium.

Præterea, comitia cleri gallicani, anni 1585, « communi « suffragio rogandum statuerunt Pontificem, ut Episcopis « eorumque officialibus veniam daret absolvendi hæreticos. » (Benedictus XIV, ibid.) Tribus hisce documentis evincitur, saltem usque ad finem sæculi decimi sexti sibi vetitam existimasse Episcopos Galliæ, hæreticorum absque Pontificio Indulto absolutionem.

2° Quod autem post annum 1600 Galliæ Episcopi (generaliter et constanter, prout ad constituendam alicujus regionis consuetudinem requiritur) a decessorum suorum tramite declinaverint, negari potest donec idoneis documentis probetur. Ego autem probatum non vidi. Certe id in laudem Episcoporum illorum non vergeret. Sed

3° Transeat exstitisse hanc consuetudinem eo tempore quo illam asserebat Thomassinus : non minus ruit argumentum ex ea deductum. Nam per publicatam quotannis Bullam *cœnæ*, ejusmodi consuetudini Sedes Apostolica efficaciter derogasset : ergo talis consuetudo, legitima non fuisset : ergo dictum jus Episcoporum nequaquam ex ea deduci posset.

4° Nec valet argumentatio hæc : ita consueverunt Episcopi Galliæ *silente Romano Pontifice*, ergo legitima fuit consuetudo : nam ad legitimam consuetudinem non sufficit quodlibet silentium Sedis Apostolicæ ; sed requiritur silentium, cum facilitate absque gravi incommodo reclamandi conjunctum. Aliquoties nempe Romanus Pontifex, graviora perspiciens imminere detrimenta, si legem urgeat, prudenter dissimulat, opportu-

niora expectans tempora; quo casu ex silentio consensus immerito arguitur, prout in tractatu *de Principiis* ostendimus. Probandum ergo foret, stante dicta Episcoporum Galliæ consuetudine, liberum Romanis Pontificibus fuisse legem urgere absque gravi detrimento. Certe cum erroneum gallicanismi systema, Episcopis Galliæ potestatem tribuat quodlibet Pontificium decretum non publicandi, et sic impediendi ne vim habeat, Sedi Apostolicæ timendum erat, si præfatam consuetudinem proscripsisset, ne ex inutili tentamine Romanæ Sedis auctoritas vilesceret. Ergo revera ex asserta consuetudine perperam Episcopis Galliæ vindicatur dicta hæreticos absolvendi potestas.

II. *Evertitur alterum argumentum, ex eo deductum quod Bulla* cœnæ *nunquam in Gallia recepta fuerit.*— Etenim receptam in Galliis nunquam fuisse Bullam hanc, omnino falsum demonstrant tria superius adducta documenta.

Præterea, etiamsi recepta non fuisset, non ideo vi obligandi caruisset; « cum Bulla *cœnæ* licite non possit non recipi. » (Reiffenstuel, in tit. 7 libri 5 Decretalium, n. 392.)

Insuper pleraque Concilia provincialia nuper in Galliis celebrata, inter quæ Parisiense, expresse declararunt se recipere Pontificias Constitutiones omnes, tum dogmaticas, tum etiam *disciplinam universalem respicientes*, quæ post Tridentinam Synodum a Sede Apostolica emanarunt. Ergo et Bulla *cœnæ*, etiamsi antea vim in Gallia non habuisset (quod falsum est), jam saltem vi dictæ declarationis, in plerisque Galliæ diœcesibus, pro recepta habenda foret.

Tandem auctores qui objiciunt, Bullam *cœnæ* in Gallia non fuisse receptam, atque inde conservatam Episcopis arguunt ab hæresi absolvendi potestatem, iidem sunt qui neque receptum in Gallia, quoad disciplinaria decreta, Tridentinum Concilium contendunt. Porro illi auctores facile confutantur, hoc *ad hominem* (ut aiunt) argumento : Episcopis absolvendi ab hæresi facultatem vindicatis ex Tridentino decreto, quo facultas hæc ipsis tribuitur : sed Concilium Tridentinum,

utpote in Galliis (vobis ita asserentibus) non receptum, Galliæ Episcopis facultatem hanc non contulit. Etenim, prout rescripsit Sacra Congregatio Concilii, *Episcopi illarum regionum in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt uti hac facultate* (1) *concessa in hoc decreto* (apud Benedictum XIV, *de Synodo diœc.*, l. 9, c. 5, n 2) : ergo perperam Episcopis Galliæ dictam facultatem tribuitis.

Ex adductis argumentis videtur cum Benedicto XIV concludendum, haud posse hodie absque temeritate defendi opinionem, quæ tenet Episcopis ademptam non fuisse dictam ab hæresi absolvendi facultatem a Tridentina Synodo concessam : « Judicent nunc alii Antistites, an ipsi valeant, *sine* « *temeritatis nota*, tot illustrium et amplissimorum Præsulum « exemplis contraire, eamque auctoritatem sibi arrogare, « quam primæ Sedi reservatam Sacræ Urbis Congregationes, « ac ipsimet Summi Pontifices non semel declararunt, omnes- « que fere theologi, sacrorum canonum periti, paucis quibus- « dam exceptis, Episcopis per Bullam *cœnæ* ablatam docent. » (*De Synodo diœc.*, l. 9, c. 5, n. 4.)

Propositio IV^a. — *Potest Episcopus jure ordinario ab occulta hæresi absolvere* impeditos, *id est, eos qui nequeunt Romanum Pontificem adire pro absolutione obtinenda.* — Ita, contra paucos, communis et tuta in praxi doctorum sententia. Quam probatam vide apud Reiffenstuel (in tit. 7, libri 5 Decretalium, n. 371). Communiter nempe a doctoribus recipitur regula hæc : *Casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit episcopalis.*

Nota. — Delegari posse ab Episcopo facultatem absolvendi impeditos, cum illam jure ordinario habeat.

Propositio V^a. — *Episcopus absolvens impeditum a casibus Papæ reservatis, tenetur de jure communi ei injungere, ut, cessante impedimento, Summum Pontificem adeat.* — Ita communis et certa doctorum sententia. Vide Reiffenstuel (in tit. 7 libri 5 Decretalium, n. 375).

(1) Nempe absolvendi ab occulta hæresi.

CAPUT VII.

DE POTESTATE EPISCOPI ABSOLVENDI A CÆTERIS, PRÆTERQUAM HÆRESEOS, CASIBUS PAPÆ RESERVATIS.

PROPOSITIO I^a. — *Nequit Episcopus absolvere a casibus et censuris publicis Papæ reservatis.* — Patet ex facto ipso Pontificiæ reservationis. Si enim possent Episcopi absolvere, reservatio illa foret invalida, et non esset vera reservatio seu, quod idem est, Romano Pontifici non competeret potestas aliquot delictorum et censurarum absolutionem sibi soli reservandi. Porro quod eam potestatem habeat Summus Pontifex, nefas est in dubium revocare. *Merito*, ait Tridentina Synodus, *Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare* (sess. 14, c. 7).

PROPOSITIO II^a. — *Tridentina Synodus Episcopis potestatem concessit absolvendi ab omnibus casibus occultis Papæ reservatis.* —Sic enim decrevit sessione 24, capite 6 : « Liceat Episcopis « in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ « reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi « sua, per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, « in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia « salutari. Idem et in hæresis crimine, in eodem foro con- « scientiæ, eis tantum, et non eorum vicariis, sit permis- « sum. »

PROPOSITIO III^a. — *Nequeunt Episcopi absolvere a casibus in Bulla* cœnæ *contentis.* — « Clare deducitur ex verbis ipsius « Bullæ, § 21 ; ubi expresse Episcopis est adempta facultas absolvendi a casibus in ipsa Bulla reservatis quomodocumque, « etiam per cujuscumque Concilii decreta, prius concessa. » (Ferraris, v. *absolutio*, n. 2.) In ea scilicet Bulla, qualis post Tridentinam Synodum publicata fuit, decernitur, ut a casibus in ipsa expressis, *nullus per alium quam Romanum Pontificem absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum et Indultorum, qui-*

buscumque personis (etiam episcopali dignitate prœditis), per Nos et dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, concessorum. Porro verba hæc, quoad casus in Bulla contentos, aperte derogant dispositioni, qua Episcopis concesserat Tridentina Synodus, ab omnibus casibus occultis Papæ reservatis absolvendi. « Et sic « (teste Barbosa.., Pignatello.., Pegna, Piaseccio, Fagnano, « et aliis) declaratum est a Pio V, Gregorio XIII, et Cle- « mente VIII; et pluries a Sacra Congregatione Concilii; præ- « sertim die 21 augusti 1609, die 7 julii 1617; die 5 novem- « bris 1644; et (ut refert Delbene) præcisis his verbis : *Con- « gregatio censuit, huic decreto Concilii Tridentini, sessionis* 24, « *capite* 6, *non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus « comprehensis in Bulla* cœnæ Domini *Pii V, esse derogatum.* » (Ferraris, verbo *absolutio*, n. 4.) Item Sacra Congregatio Concilii, prout refert Fagnanus (in cap. *dilectus, de Temporibus ordinat.*, n. 30), interrogata, *numquid Episcopus, facultate sibi tributa in dicto capite* 6 *sessionis* 24, *in casibus occultis post Concilium ex nova lege Sedis Apostolicæ reservatis, etiam cum clausula* non obstantibus, *absolvere possit ;* censuit, *non posse.*

Propositio IV^a^. — *Potest Episcopus absolvere a casibus occultis Papæ reservatis, qui non continentur in Bulla* cœnæ. — Etenim Tridentina Synodus Episcopis concessit ut absolvere possent *in quibuscumque casibus occultis etiam Apostolicæ Sedi reservatis.* Ergo illam potestatem habent Episcopi quoad omnes occultos casus, exceptis iis solis, pro quibus huic Tridentinæ sanctioni derogatum fuerit. Sed Bulla *cœnæ* huic Tridentino decreto non derogavit, nisi quoad casus in ipsa contentos. Aliunde autem non per alias Pontificias Constitutiones eidem decreto fuit derogatum (excepto casu in sequenti propositione exprimendo) : ergo Episcopis remansit facultas a casibus occultis Papæ reservatis, et in Bulla *cœnæ* non contentis, absolvendi. Possuntque ab iis casibus absolvere, sive *per seipsos,* sive *per vicarium ad id specialiter deputandum,* prout decrevit præfata Synodus.

Propositio V^a^. — *Nequit Episcopus absolvere monialem quæ*

occulte clausuram violavit. — Fuit quæstio hæc inter doctores valde controversa. Difficultatem faciebat Bulla *decori* sancti Pii V, per quam Sedi Apostolicæ reservantur violationes clausuræ monialium, non facta distinctione publicas inter et occultas. Num sub ista Bulla comprehenderentur casus *etiam occulti*, multi asserebant, negabant alii. At Summus Pontifex declaravit comprehendi; atque in hunc sensum ex tunc pronuntiavit S. Congregatio Concilii. Vide apud Ferraris, verbo *Episcopus*, art. 5, n. 5.

Propositio VI^a. — *Qui impediuntur ne Summum adeant Pontificem, possunt ab Episcopo absolvi a casibus in Bulla* cœnæ *contentis : cum onere tamen adeundi Papam, postquam impedimentum cessaverit.* — Ita communis doctorum sententia. Vide S. Ligorium (l. 7, n. 85), necnon Lucium Ferraris (verbo *Episcopus*, art. 5, n. 6). Diximus *cum onere*, etc., quod sic intelligendum est : « Si impedimentum est perpetuum, absolvun« tur (impediti) sine ullo onere comparendi. Si tamen impe« dimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere « adeundi Pontificem, cessante impedimento; non ad obti« nendam absolutionem, cum jam sint directe et plene abso« luti, sed ad obediendum mandato Papæ... Alias non com« parendo, elapso impedimento, incidunt in aliam similem « excommunicationem. » (Ferraris, loco citato, n. 8.)

Nota. — *Quinam censendi sint impediti?* — Pro impeditis habendi sunt : 1° filiifamilias : 2° regulares : 3° senes : 4° servi : 5° pauperes, qui scilicet ob inopiam nequeunt Romam petere : 6° carceribus vel triremibus damnati, et similes : 7° infirmi : 8° ita debiles ut nequeant ferre labores itineris : 9° qui tenentur familiam alere aut administrare, vel obstringuntur publico officio, quod nequeunt sine publico damno deserere : 10° mulieres : 11° impuberes; suntque hi exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant : 12° generatim omnes qui absque gravi suo vel suorum damno spirituali aut temporali nequeunt iter arripere (vide S. Ligorium, l. 7, n. 88).

CAPUT XXI.

DE POTESTATE EPISCOPI CASUS SIBI RESERVANDI.

PROPOSITIO I[a]. — *Certum est Episcopis competere potestatem casus sibi reservandi.* — Constat capite 7 sessionis 14 Tridentinæ Synodi; estque id extra omnem controversiam apud catholicos.

PROPOSITIO II[a]. — *Decet ab Episcopo exerceri dictam potestatem in Synodo, potius quam extra Synodum.* — Vide rationes a Benedicto XIV deductas (*de Synodo diœc.*, l. 5, c. 4, n. 3, editionis in 13 libros divisæ). Præcipue autem attendenda ratio hæc : « In Synodo facta (reservatio) induit naturam legis, « quæ, nullo contradicente, perpetua est, et quandiu non « revocatur perseverat : facta autem extra Synodum, non « ab omnibus reputatur perpetua ; opinantibus plerisque « theologis..., illam, decedente Episcopo a quo facta est, il- « lico exspirare. »

PROPOSITIO III[a]. — *Nec prudenter nec utiliter ageret Episcopus, qui longam sibi reservatorum casuum seriem ediceret.* — Etenim merito conqueri possent parochi ordinariam suam jurisdictionem nimium arctari (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 4, n. 3). Imo contingere posset ut, re ad S. Congregationem Concilii delata, ejusdem Congregationis jussu numerus reduceretur : prout revera quoad quemdam Episcopum contigisse refert Benedictus XIV (loco cit., c. 5, n. 4, sub finem). Præterea Episcopos pluries monuit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, ut *paucos* dumtaxat, eosque *ex gravioribus* sibi casus reservent : « Moneantur omnes (loco- « rum Ordinarii) ut paucos, eosque tantum quos ad christia- « nam disciplinam retinendam, animarumque sibi concredi- « tarum salutem, necessario reservandos esse judicaverint, « reservent. » Ita 9 januarii 1601. Idque iterum eadem S. Congregatio, 26 novembris 1602, urgebat his verbis :

« Rursum magnopere admonendos censet, ut atrociorum « tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reser- « vent. » (Vide monita hæc a Benedicto XIV relata, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 5, n. 4.) Porro hisce monitis contraire, nec prudens est, nec laudabile. Ad Galliam quod attinet, attentis hodiernis circumstantiis, optima mihi praxis videretur reservationem ad duos, tresve ad summum casus, regulariter loquendo restringere.

Propositio IVª. — *Cavendum Episcopo est ne peccata mere interna sibi reservet.* — Vide Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 5, c. 5, n. 5.

Propositio Vª. — *Episcopis a S. Congregatione Episcoporum et Regularium prohibitum fuit ne casus Papæ reservatos sibi reservent.* — Citato nempe monito, 26 novembris 1602, sic habetur : « Eadem Sacra Congregatio... prohibet etiam ne sibi « superflue reservent casus in Bulla, die cœnæ Domini legi « consueta, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter « reservatos. » (Apud Benedictum XIV, *de Synodo diœc.*, l. 5, c. 5, n. 4.)

Propositio VIª. — *Si pœnitens, qui in casum Episcopo reservatum incidit, confiteatur in alia diœcesi, in qua illud peccatum non est reservatum, potest ibi a simplici confessario absolvi, modo tamen non in fraudem legis ad alienam diœcesim iverit.* — Ita a S. Congregatione Concilii decisum, et postea Clementis X Constitutione *suprema* definitum (vide hujus Constitutionis verba, apud Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 5, n. 8).

Propositio VIIª. — *Facultas absolvendi a casibus Papæ reservatis, nequaquam includit potestatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo.* — Ita definitum a Clemente X, Constitutione *suprema* (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 5, n. 7 et 9).

Nota. — Quosnam casus Episcopo reservari magis expediat, haud potest certa regula determinari ; cum id a singularum diœceseon moribus et circumstantiis dependeat. Graviorum

autem criminum enumerationem reperies apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 5, c. 5).

Propositio VIII[a]. — *Quando casuum reservatio fit in provinciali Synodo, non adimitur singulis provinciæ Episcopis potestas ab iis absolvendi.* — Quia tunc Synodus, non sibi tanquam Synodo, sed singulis Episcopis casus reservasse censetur (vide Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 5, c. 4, n. 3).

CAPUT XXII.

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD CONFESSARIORUM APPROBATIONEM.

Dicemus : 1° de confessariis qui nec parochi, nec vicarii generales, nec regulares sunt : 2° de confessariis qui sunt parochi aut vicarii generales : 3° de confessariis regularibus : 4° de confessariis monialium.

§ I.

De confessariis qui non sunt parochi, nec vicarii generales, nec religiosi.

Propositio I[a]. — *Presbyteri qui nec parochi, nec vicarii generales sunt, nec regulares, indigent approbatione Episcopi, ut confessiones licite ac valide audire possint.* — Colligitur ex capite 15, sessionis 23 Tridentini Concilii, in quo sic decernitur : « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi « potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam « sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut « parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen (si « illis videbitur esse necessarium), aut alias idoneus judicetur, approbationem (quæ gratis detur) obtineat ; privilegiis

« et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non ob« stantibus. » Quo citato textu sic adnotat Ferraris (v. *approbatio*, art. 1, n. 6) : « Ubi signanter notanda est particula *non* « *posse;* quæ cum sit negativa, importat carentiam exercitii « jurisdictionis, adeo ut in actum valide absolvendi exire « non possit. Et sic statuerunt varii Summi Pontifices. »

PROPOSITIO IIª. — *Dictis presbyteris necessaria est Ordinarii approbatio etiam ad absolvendum a venialibus, tum licite, tum valide.* — 1° Quod sine approbatione *licite* a dictis peccatis absolvere nequeant, omnino certum est, ex Decreto Innocentii XI *cum ad aures,* 12 februarii 1679, in quo expresse sic præcipitur Ordinariis : *Non permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario...: si quicumque sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem esse reddituros.*

2° An tamen *valide* a venialibus absque approbatione absolvere possint, fuit quidem controversum (vide S. Ligorium, l. 6, n. 543). At sententia affirmans non videtur ullatenus admitti posse. Vide rationes a Ferrario deductas (v. *approbatio,* art. 1, n 7 et 8).

PROPOSITIO IIIª. — *Approbatio quæ requiritur, est approbatio Ordinarii illius loci, in quo audiuntur confessiones.* — Aliqui doctores tenuerunt, approbationem quam requirit Tridentina Synodus intelligendam esse approbationem *Ordinarii pœnitentium :* alii vero, approbationem *Ordinarii confessariorum.* Sed duæ illæ sententiæ omnino derelinquendæ sunt. Tenendum quippe est requiri et sufficere approbationem datam ab *Ordinario loci* in quo audiuntur confessiones. Auctoritates quæ id probant vide apud Ferraris (v. *approbatio,* art. 1, n. 39), necnon apud S. Ligorium (l. 6, n. 548). Adi potissimum Constitutionem *cum sicut,* Urbani VIII, septembris 1628.

Hinc confessarius nequit in diœcesi, a cujus Ordinario non est approbatus, pœnitentes absolvere alterius diœcesis; quantumvis approbatus sit ab Ordinario illius alterius diœcesis.

PROPOSITIO IVª. — *Virtute Bullarum jubilæi, quibus conce-*

ditur ut pœnitentes absolvi etiam a reservatis possint per quemcumque confessarium approbatum, nequeunt pœnitentes valide absolvi nisi a confessariis approbatis ab Ordinario loci, in quo confitentur.—Vide apud Ferraris (v. *approbatio*, art. 1, n. 82). Et idem dicendum de Bulla *cruciata*, quæ facultatem concedit sibi quemcumque confessarium eligendi. Nemo scilicet, sub prætextu hujus privilegii, valide confiteri potest presbyteris, ab Ordinario loci in quo fit confessio non approbatis; prout expresse sancivit Innocentius XII, Constitutione *cum sicut*, 19 aprilis 1700.

Propositio V^a^. — *Approbatio concedi potest, tum ab Episcopo ipso, tum ab ejus vicario generali, tum a vicario capitulari, sede vacante.* — Vide apud Ferraris (v. *approbatio*, art. 1, n. 17 et seq.).

Propositio VI^a^. — *Approbatio generaliter data, et approbatio ad beneplacitum, non exspirant per mortem aut amotionem concedentis.*—Vide apud Ferraris, v. *approbatio*, art. 1, n. 1; necnon in meo tractatu *de Jure regularium*, tomo 2, pag. 246 et seq.

Propositio VII^a^. — *Approbatio ad beneplacitum quandocumque revocari potest : item reduci potest ad tempus limitatum; quo tempore limitato elapso, cessat absque alia revocatione.* — Vide apud Ferraris, ibid., n. 11, 12, 13.

Propositio VIII^a^. — *Approbatio ad tempus limitatum, ante elapsum illud tempus, et approbatio absque ulla limitatione concessa, revocari nequeunt sine justa causa.* — Vide apud Ferraris, ibid., n. 14; confer et S. Ligorium, l. 6, n. 551. In dubio autem an adfuerit justa revocationis causa, standum pro superiore (S. Ligorius, ibidem). Quod autem ex justa causa, verbi gratia, ob delictum, possit Episcopus approbationem, etiam absque restrictione ulla concessam, revocare, extra omne dubium est.

Propositio IX^a^. — *Simpliciter, id est, absque ulla restrictione approbatus a prædecessore, iterum examinari potest a successore Episcopo; et, si minus idoneus repertus fuerit, ab audiendis con-*

fessionibus amoveri.—Vide apud Ferraris (v. *approbatio*, art. 1, n. 52 et seq.).

PROPOSITIO X[a]. — *Ex justa causa, id est, si adsit vehemens suspicio imperitiæ, potest simpliciter approbatus, ab eodem Episcopo qui approbavit, iterum examinari; et, si minus idoneus repertus sit, a confessionibus amoveri.*—Vide S. Ligorium, l. 6, n. 552; necnon Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 13, c. 9, n. 21.

PROPOSITIO XI[a].— *Confessarius quamvis ab Episcopo approbatus, omnino jurisdictione caret ad absolvendum complicem in peccato turpi. Quod si absolveret, a tali attentato ipse absolvi probabiliter non posset ab Ordinario.* — Vide S. Ligorium (l. 6, n. 554 et seq.).

PROPOSITIO XII[a]. — *In articulo mortis, absolvere possunt quilibet sacerdotes quoslibet pœnitentes.* — Ita decisum est a Concilio Tridentino, sess. 14, c. 7. Vide S. Ligorium (l. 6, n. 560 et seq.). Id tamen intelligendum cum his limitationibus:

1° Extra controversiam non est, posse absolutionem in articulo mortis impertiri a presbyteris hæreticis, schismaticis et excommunicatis vitandis. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 560.

2° Si haberi possit confessarius approbatus, est sententia communissima non posse absolvi moribundum a non approbato; nisi tamen approbatus nollet confessionem audire, vel moribundus magnopere refugeret ipsi confiteri. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 562 et 563.

PROPOSITIO XIII[a]. — *Liberum est Episcopo sæcularibus sacerdotibus, quantumvis idoneis repertis, approbationem non dare nisi limitatam.* — Tenetur quidem illimitatam dare *regularibus*, si eos generaliter idoneos repererit, ut dicetur infra : at vero presbyteros sæculares potest nonnisi cum restrictione approbare : « Si de sæcularibus presbyteris agitur (inquit Benedictus XIV) id nunquam in dubium revocatum fuit. » (Institutione 86, n. 4.)

§ II.

An approbatione Episcopi ad audiendas confessiones indigeant vicarius generalis et parochus.

Propositio I^a. — *Vicarius generalis, ad confessiones audiendas, non indiget Episcopi approbatione.* — Equidem id negarunt pauci antiqui canonistæ : sed derelinquenda est illa opinio, utpote a vera notione vicariatus generalis aberrans. Nam vi ipsius decreti quo quis vicarius generalis constituitur, ordinariam habet jurisdictionem in diœcesi, et unum tribunal cum Episcopo. Unde non tantum confessiones valide et licite audire potest, sed et alios ad id muneris approbare. Probationes quæ adduci solent, vide apud S. Ligorium, l. 6, n. 558.

Propositio II^a. — *Item nulla Episcopi approbatione indiget parochus, ut parochianorum confessiones licite et valide audire queat.* — Vide meum tractatum *de Parocho*, pag. 455 ; et S. Ligorium, l. 6, n. 544 ; necnon Lucium Ferraris, verbo *approbatio*, art. 1, n. 85.

Propositio III^a. — *Parochus absque ulla approbatione audire potest parochianorum suorum confessiones, etiam extra propriam parochiam et diœcesim.* — Vide apud Ferraris, loco citato.

Propositio IV^a. — *Potest parochus in propria parochia absolvere parochianos aliarum parochiarum.* — Vide meum tractatum *de Parocho*, pag. 456.

Propositio V^a. — *Parochus nequit extra propriam parochiam, in diœcesi, audire confessiones pœnitentium qui ipsius parochiani non sint, nisi Episcopus expresse vel tacite id ei concesserit.* — Vide id probatum in meo tractatu *de Parocho*, pagina 155. Dicimus, expresse vel *tacite*, quia si praxis existat in aliqua diœcesi, ut parochi censeantur approbati pro tota diœcesi, videtur eis jurisdictio illa competere. Expediret tamen, ut semel pro semper Episcopus de hoc mentem suam declararet : quia, vi solius muneris, parochi jurisdictionem non habent in non parochianos, nisi intra propriam parochiam.

§ III.

De confessariis regularibus.

Cum de hac quæstione, quanta potuimus cura, in tractatu *de Jure regularium* (tomo 2, pagina 213 et seq.), jam dixerimus, brevem hic dumtaxat subjiciemus præcipuarum conclusionum indicem.

Quæstio I^a^. — *Quasnam confessiones audire nequeant regulares absque approbatione Ordinarii?* — 1° Regularibus non parochis necessaria est Ordinarii approbatio, ad audiendas confessiones *sæcularium*, et ad eos etiam a *venialibus* valide absolvendos. 2° Ab ea generali regula excipiendi sunt novitii, et illi sæculares qui sunt de regularium familia. 3° Item necessaria regularibus est approbatio Ordinarii ad audiendas confessiones monialium, etiam ipsis subjectarum. 4° Non sufficit approbationem fuisse postulatam, sed necesse est fuisse *obtentam* (loco citato, p. 219).

Quæstio II^a^ — *Quasnam confessiones audire valeant regulares absque approbatione Ordinarii?* — 1° Confessiones religiosorum : 2° novitiorum : 3° sæcularium qui sunt de familia, id est, qui in monasterio habitant, et regularibus inserviunt : 4° non vero confessiones tertiariorum aut tertiariarum in propriis domibus commorantium (ibidem, p. 220 et 221).

Quæstio III^a^. — *An et qualiter teneatur Episcopus religioso, approbationem pro sæcularium confessionibus petenti, illam concedere?* — Quoad arduam hanc quæstionem faveat lector adire tractatum meum *de Jure regularium* (tomo 2, a pagina 221, usque ad 241); et caveat a falsificatione, quacum Van-Espenius et alii referunt censuram propositionis secundæ, decreto S. Inquisitionis 30 januarii 1659 damnatæ; de qua falsificatione dicimus ibidem, pagina 226 et 236-237, necnon 244. Hic autem duo tantum adnotabimus :

I. Propositam quæstionem (in dicto tractatu *de Jure regula-*

rivm) solvimus hoc modo : 1° Si Episcopus religiosum reperiat *generaliter idoneum*, debet ei concedere approbationem *illimitatam*, id est, absque ulla restrictione quoad tempus, personas et loca : 2° Si eum reperiat *non adeo idoneum*, potest approbare limitate, vel etiam nullomodo approbare. Ostendimus ita expresse decisum fuisse a Clemente X, in Bulla *superna*, et antea a S. Congregatione Episcoporum et Regularium; nec vim habere quæ a nonnullis opponuntur.

II. Præmonuimus contra solutionem illam stare Benedictum XIV. Contendit nempe clarissimus Pontifex (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 16, n. 7 ; necnon in suis *Institutionibus*, institutione 86), regularibus, quamtumvis idonei reperiantur, posse *limitatam* dumtaxat approbationem ab Episcopo concedi. Rationes, quibus nititur expendimus, et simul adnotavimus ipsum in citatis scriptis, non tanquam Pontificem loqui, sed tanquam doctorem privatum.

III. Objici autem posset, idem ab ipso etiam *tanquam Pontifice* traditum fuisse, in Constitutione *Apostolicum*, 30 maii 1753, hisce verbis : « Cæterum confessarii munus regularibus « deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limi- « tatione : quod luculenter constat tum ex Brevi a Summo « Pontifice Urbano VIII dato Cardinali Sandoval anno 1639, « inserto a Cabassutio in *Theoria et praxi juris canonici* (l. 1, « c. 10, n. 13), tum ex recensita Constitutione Clementis X, « *superna*, ad § 4. »

Respondeo : dum ibi dicitur dari posse regularibus approbationem illimitate vel cum limitatione, intelligendum est quasi addidisset Pontifex : *Prout generaliter idonei vel non adeo idonei fuerint reperti*. Voluit nempe Pontifex excludere veterem opinionem, quæ tenebat *aut illimitate aut nullomodo* regulares approbandos. Quæ opinio omnino deseri debuit ex quo Clemens X declaravit posse dari approbationem limitatam regularibus *non adeo idoneis*. At nequaquam dicit Benedictus XIV, posse dari limitatam approbationem regularibus *omnibus*, id est, etiamsi *generaliter idonei* reperiantur. Et ita interpretan-

dum in hoc loco Benedictum XIV, vel ex eo patet, quod sese referat ad Constitutionem *superna* Clementis X, in qua expresse decernitur dandam esse approbationem *absque ulla limitatione* iis regularibus qui generaliter idonei reperiuntur.

IV. Cæterum quia tanta est Benedicti XIV, etiam ut doctoris privati auctoritas, dictam thesim, quam in tractatu *de Jure regularium* posuimus, nolumus absolute propugnare. Unde illam habeat lector tanquam ad quæstionis evolutionem positam, potius quam ad certam tuendam doctrinam. Rem scilicet doctiorum et superiorum judicio enucleandam relinquo.

QUÆSTIO IV[a]. — *An regulares generaliter seu absque ulla limitatione approbati ab Episcopo, iterum ab eodem Episcopo examinari valeant?* — Respondendum negative (ibidem, pag. 240).

QUÆSTIO V[a]. — *An Episcopus possit examinare religiosum, quem non ipse, sed prædecessor, aut alius, generaliter approbavit?* — Respondendum affirmative (ibidem, p. 241).

QUÆSTIO VI[a]. — *An possit examinare religiosum, quem ipse per seipsum generaliter approbavit, sed absque prævio examine?* — Respondetur affirmative (ibidem, p. 241).

QUÆSTIO VII[a]. — *An et quatenus possit Episcopus ab audiendis confessionibus suspendere religiosum approbatum?* — 1° Si ipsemet religiosum illimitate approbaverit, nequit cum suspendere, nisi ex *nova* superveniente causa *confessiones concernente*. 2° Si dicta approbatio illimitata data fuerit ab ejus vicario generali, vel a prædecessore, potest Episcopus illum religiosum ad examen vocare, et, si minus idoneum repererit, ab audiendis confessionibus suspendere (ibidem, p. 242). 3° Si approbatio non fuerit generalis, sed limitata ad certum tempus locumve aut personarum genus, aut ad beneplacitum, potest eam restringere, vel omnino adimere, etiam sine nova causa confessiones concernente (ibidem, p. 243).

QUÆSTIO VIII[a]. — *An valeat vicarius capitularis, sede vacante, religiosos a defuncto Episcopo approbatos, ad examen vocare, et, si minus idoneos repererit, ab audiendis confessionibus suspendere?*

— 1° Id nequit si approbatio fuerit illimitata. 2° Id nequit quoad approbationem ad certum tempus limitatam, ante elapsum illum terminum. 3° Id nequit etiam quoad approbationes *ad beneplacitum* (vide ibidem, pagina 246 et seq.).

Quæstio IXª. — *An regularis approbatus in una diœcesi censendus sit approbatus in aliis?* — Negative (ibid., p. 250).

Quæstio Xª. — *An approbatus in una diœcesi possit ibi absolvere confluentes ex aliis diœcesibus?* — Affirmative (ibid).

Quæstio XIª. — *An dictos pœnitentes absolvere a casibus reservatis?* — 1° A reservatis in diœcesi in qua confessiones audit absolvere nequit, nisi hanc potestatem Ordinarius illius diœcesis ei concesserit. 2° A reservatis in aliis diœcesibus absolvere potest, nisi pœnitentes ex aliis diœcesibus venerint *in fraudem* pro absolutione obtinenda (ibid.).

Quæstio XIIª. — *An Episcopus confiteri possit alicui sæculari vel regulari, licet is non sit approbatus in diœcesi, in qua Episcopus vult confessionem facere?* — Negative (ibid., p. 259).

Quæstio XIIIª. — *An tempore jubilæi fideles in aliqua diœcesi absolvi possint a presbyteris regularibus, in ea diœcesi non approbatis?* — Negative (ibid., p. 251).

Quæstio XIVª. — *An regulares iter facientes, et idonei confessarii sui ordinis copiam non habentes, possint confiteri presbytero sæculari aut regulari non approbato?* — Communius affirmatur, ob privilegia : res tamen non est extra controversiam omnem (ibid., p. 251).

Quæstio XVª. — *An regulares ab Ordinario approbati pro sæcularium confessionibus, possint eas audire absque superiorum suorum licentia?* — 1° Nequeunt licite. 2° An valide, controvertitur (ibid., p. 253).

Quæstio XVIª. — *An Episcopus possit omnes simul unius conventus regulares ab audiendis confessionibus suspendere?* — Id nequit inconsulta Apostolica Sede (ibid., p. 253). « Nec « confessarii regulares restringi debent ad duos pro qua- « libet ecclesia : » sunt verba S. Congregationis (vide ibid., pag. 254).

§ IV.

De monialium confessoribus.

Quæstionem hanc ex professo expendimus in tractatu *de Jure regularium*, tomo 2, pagina 255 et sequentibus, necnon pagina 331 et sequentibus. Ad utrumque hunc locum lectorem remittimus quoad sequentium assertorum probationes.

1° Regula generalis est, unicum dumtaxat pro unoquoque monialium conventu deputandum esse confessarium.

2° Ad moniales non pertinet sibi confessarium eligere, nisi hoc jus haberent ex fundatione vel consuetudine, quo casu electus ab ipsis confessarius deberet ab Ordinario approbari.

3° Si moniales non sint exemptæ, vel si sint exemptæ et Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, confessarii deputatio ad Episcopum spectat.

4° Si moniales sint exemptæ et Prælatis regularibus subjectæ, confessarii deputatio pertinet ad Prælatum regularem. Sed necesse est ut Episcopus eum approbet, et quidem *specialiter* pro monialium confessionibus; imo et pro tali conventu; ita ut non sufficiat eum approbatum jam fuisse ab Episcopo pro alio conventu. Et approbari debet toties quoties ad id muneris deputatur.

5° Bis aut ter in anno debet monialibus offerri confessarius extraordinarius; atque id servari debet quoad omnes religiosas communitates fœminarum, etiamsi clausura et votis careant.

6° Extraordinarii confessarii deputatio ad eum pertinet, ad quem pertinet deputatio ordinarii.

7° Si Prælatus regularis, quando ad ipsum pertinet confessarii extraordinarii deputatio, eam omittat, ad Episcopum devolvitur.

8° Si Episcopus, quando ad ipsum spectat confessarii extra-

ordinarii deputatio, eam omittat, Cardinalis Pœnitentiarius, a monialibus requisitus, debet supplere: non tamen deputare potest nisi ex approbatis ab Episcopo pro monialium confessione.

9° Confessarius extraordinarius concedendus etiam est cuilibet moniali petenti, in tribus casibus: *primo*, si monialis graviter ægrotet, quo casu concedendus est confessarius quam ipsa postulat (vide duos alios casus, dicto tractatu et tomo, pag. 332).

10° Prælatus regularis, cui moniales sunt subjectæ, nequit semper ipsis in confessarium extraordinarium deputare religiosum sui ordinis; sed tenetur *semel* saltem in anno deputare sæcularem, vel religiosum alterius ordinis.

11° Durante confessarii extraordinarii munere, cessat confessarii ordinarii officium, ita ut nequeat ullius monialis confessionem audire: item, statim ac extraordinarius officium suum explevit, nequit jam ad claustra accedere, sub pœnis in violantes clausuram latis.

12° Quando confessariorum deputatio pertinet ad Prælatum regularem, potest Episcopus, ex justa causa, Prælatum illum monere ut talem confessarium amoveat. Si renuat facere Prælatus regularis, tunc jus habet Episcopus confessarium illum removendi. Nec tenetur Prælato regulari pandere quam ob causam remotum illum confessarium velit.

13° Etiam tempore jubilæi, et etiam ad confessionem peccatorum venialium necesse est ut confessarius sit ab Ordinario approbatus specialiter pro monialium confessione.

14° Confessarii ordinarii monialium constitui et approbari nequeunt ad tempus minus vel majus quam *triennium*. Estque id intelligendum etiam de monialibus clausuram et solemnia vota non habentibus, ac generatim de omnibus piis fœminarum communitatibus; quod diligenter notandum est.

15° Expleto uno triennio, S. Congregationis dispensatione opus est, ut idem confessarius ad secundum triennium constitui possit. Et sic pro quibuslibet sequentibus trienniis.

16° In confessarios monialium constitui nequeunt vicarii generales Episcoporum.

17° Confessarii monialium absque ulla licentia clausuram ingredi possunt ad ministranda infirmis sacramenta.

18° Ad quæstionem, an præmissæ dispositiones applicandæ sint etiam iis communitatibus, quæ solemnia vota et Papalis clausuræ obligationem non habent, vel etiam quæ nulla aut non perpetua vota nuncupant, sic responderi posse videtur.

Primo, quoad eas etiam communitates sequenda videtur generalis regula ut unicus pro toto conventu confessarius deputetur; non autem singulis ejusmodi monialibus liberum sit suum sibi confessarium eligere. Et ita est generalis praxis: solent nempe Episcopi pro hujusmodi etiam communitatibus confessarios specialiter approbare, et extraordinarios eisdem concedere. A qua praxi non videtur Episcopis liberum recedere, ob Bullam *pastoralis* Benedicti XIV, qua juris dispositiones circa extraordinarios confessarios ad ejusmodi communitates expresse extenduntur.

Secundo : inde sequitur non posse confessarios pro sæcularium confessionibus approbatos, ejusmodi monialium confessiones valide audire, nisi fuerint *specialiter* pro monialibus approbati. Nec dicatur ejusmodi fœminas præsertim in iis communitatibus ubi nulla vel non perpetua vota nuncupantur, non esse religiosas, sed sæculares. Cum enim et pro illis confessarii *speciales* approbentur, sub approbatione communi pro sæcularium confessionibus, non comprehenditur approbatio quoad illas fœminas.

Tertio: dubium tamen oriri posset quoad ejusmodi communitatum fœminas, quæ, extra ipsarum conventum, in aliqua parochiali vel alia ecclesia, ad confessarium pro monialibus specialiter non approbatum accederent. At neque valide absolvi poterunt illæ fœminæ a tali confessario, nisi constet Episcopi hujus diœcesis voluntatem esse, ut quilibet sacerdos pro sæcularibus approbatus, possit et hujusmodi communitatum improprie dictas moniales absolvere. Quæ quidem Episcopi vo-

luntas non est in dubio præsumenda; quia regulariter loquendo debet Episcopus iis etiam communitatibus specialiter approbatum confessarium, necnon et extraordinarios bis aut ter in anno, deputare. Si tamen in aliqua diœcesi, sciente Episcopo, mos invaluisset ut ejusmodi communitatum piæ fœminæ, non secus ac sæculares, a quocumque presbytero, approbato quidem, sed non specialiter pro monialibus, absolverentur, merito præsumi posset consensus Ordinarii, et valerent istæ absolutiones. Cæterum ad tollenda quælibet in re tanti momenti dubia, expediret ut Episcopus mentem suam expresse declararet.

CAPUT XXIII.

DE POTESTATE EPISCOPI CIRCA VOTA.

Dicemus: 1° de potestate vota irritandi: 2° de potestate dispensandi in votis non reservatis: 3° de potestate dispensandi in votis reservatis: 4° de potestate vota commutandi.

§ I.

De potestate vota irritandi.

Propositio Iª. — *Nequit Episcopus subditorum suorum vota directe irritare.* — Directa irritatio est illa quæ votum annullat vi potestatis *dominativæ* in voluntatem voventis. Porro Episcopus dominativam potestatem non habet in subditos, sed dumtaxat jurisdictionalem; ergo ipsorum vota directe irritare nequit. Unde quamvis pater directe irritare valeat vota filii sui impuberis, et Prælatus regularis vota a religiosis post ipsorum professionem emissa, id tamen nequit Episcopus quoad diœcesanos suos.

Propositio IIª. — *Potest Episcopus subditorum suorum vota*

indirecte irritare, si diœcesis suæ administrationi præjudicent.— Etenim quilibet Prælatus, hoc ipso quod jurisdictionem habeat, jus simul habet ne præpediatur hujus suæ jurisdictionis exercitium. Proinde si quis votum emittat quo præpediatur Episcopi sui administratio, poterit Episcopus votum illud irritum reddere, in quantum suæ jurisdictioni præjudicat, et pro toto eo tempore quo præjudicaret: sed ita votum irritare, est irritare indirecte; ergo.

Circa expositam Episcopi potestatem quoad votorum irritationem, non moventur difficultates; sed unanimis est doctorum sententia.

§ II.

De potestate dispensandi in votis Summo Pontifici non reservatis.

PROPOSITIO I[a]. — *Episcopi regulariter loquendo, ex ordinaria sua potestate dispensare valent in omnibus subditorum suorum votis Papæ non reservatis.* — Merito enim censetur Deus Ecclesiæ Prælatis, quibus fideles gubernandi cura incumbit, concessisse, ut in votis dispensare valerent, quando id ad animarum salutem expedire contingeret. Unde non solum Episcopi, sed alii quilibet, jurisdictionem in foro externo habentes, hanc in votis subditorum suorum dispensandi facultatem possident. Quæ doctrina extra omnem controversiam est.

Diximus *regulariter loquendo,* ob sequentes exceptiones.

PROPOSITIO II[a]. — *Quando votum cedit in tertii commodum seu utilitatem, et intervenit contractus utrinque onerosus, nequit Episcopus dispensare nisi ille tertius consentiat.* — Supponamus, verbi gratia, emissum fuisse votum simplex perpetuo manendi in aliqua congregatione. Quia congregatio votum acceptando sese vicissim obligavit ad suppeditanda necessaria quoad spirituales et temporales necessitates, non potest Episcopus a tali voto dispensare nisi lædendo jus acquisitum illi congregationi per ejusmodi contractum utrinque onerosum.

Et quamvis possit tunc Papa dispensare, quia est omnium bonorum ecclesiasticorum et jurium cujuslibet congregationis ecclesiasticæ supremus administrator, id tamen nequit Episcopus, utpote supremo illo administrationis jure carens (vide sanctum Ligorium, l. 3, n. 255).

Propositio III[a]. — *Nequit Episcopus dispensare in votis simplicibus paupertatis, castitatis et obedientiæ, nec etiam in votis perseverantiæ, quæ emittuntur in congregationibus, et ab iis congregationibus acceptantur, nisi congregatio consentiat.* — Sequitur ex præcedenti : quia nempe alioquin læderetur jus tertii (vide S. Ligorium, citato loco).

Propositio IV[a]. — *Quamvis vota in congregatione presbyterorum missionis, qui Lazaristæ vulgo nuncupantur, ab illa congregatione non acceptentur, nequit Episcopus in eis dispensare.* — Equidem a Sede Apostolica, dum illam congregationem approbavit, cautum est ut nullus ejusmodi vota, neque Sedis Apostolicæ, neque ipsius congregationis nomine, acceptaret. Quod ita peractum fuisse, ne alioquin congregatio illa status religiosi essentiam haberet, seu ut presbyteri missionis *de corpore cleri sæcularis* esse non desinerent, diximus in tractatu *de Jure regularium*. Nihilominus tamen non posse in dictis votis dispensari nisi *a Romano Pontifice, et superiore generali ejusdem congregationis in actu dimissionis ab ipsa congregatione*, fuit a Clemente X sancitum, et a Benedicto XIV (Const. *quo magis* 18 decembris 1742, § 3, tom. 1 sui Bullarii, n. 69) confirmatum.

Propositio V[a]. — *Licet votum in tertii utilitatem cedat, potest Episcopus dispensare, si tertius ille nondum acceptavit : quod si jam is acceptaverit, nequit dispensare Episcopus, nisi forte votum principaliter ad honorem Dei factum fuerit, et secundario ad dictum tertii commodum.* — Supponamus emissum fuisse votum certam pecuniæ summam tali pauperi vel tali ecclesiæ erogandi. Si pauper iste nondum promissionem acceptavit, nihil obstat quin dispensare valeat Episcopus; quia tunc pauper iste nullum adhuc jus sibi acquisivit. Sin vero pauper ejusmodi promissionem rescivit et acceptavit, distinguunt

doctores : vel enim vovens istius hominis utilitatem unice vel principaliter intendebat, et tunc concorditer concludunt non posse ab Episcopo dispensari : vel principaliter in honorem Dei emissum fuit votum et secundario ad pauperis utilitatem, et tunc controvertitur an Episcopus dispensare valeat. Vide rem discussam a S. Ligorio (l. 3, n. 255). In nonnullis tamen casibus, et signanter cum bonum commune id exigit, dispensare potest Episcopus in votis in favorem tertii principaliter factis, et jam acceptatis; de quo vide apud Ferraris (verbo *votum*, art. 3, n. 125).

Propositio VIa. — *Certum est requiri justam causam ut dispensatio sit licita, atque etiam ut sit valida.* — « Ad dispensa« tionem necessario requiritur aliqua justa et rationabilis « causa ; alias dispensatio a quocumque superiore facta esset « potius dissipatio quam dispensatio; et sic non solum erit « illicita sed etiam invalida, ut... tenent omnes doctores. » (Ferraris, v. *votum*, art. 3, n. 59.)

Nota. — Inter præcipuas dispensandi justas causas, enumerari solent a doctoribus quatuor sequentes : 1° imperfecta deliberatio, seu imperfectio actus vovendi : 2° spirituale vel temporale damnum ex voto exurgens : 3° ingens difficultas votum exequendi, præsertim superveniens et non prævisa : 4° commune bonum Ecclesiæ vel reipublicæ. Generatim dici potest tunc locum esse concedendæ dispensationi, quando voti adimpletio vergeret in animæ ruinam, vel quando ex dispensatione speratur major quoad illam animam utilitas.

Propositio VIIa. — *Quando adest justa dispensandi causa, tenetur Episcopus dispensationem concedere.* — « Interveniente « justa hac rationabili dispensandi causa, superior, vel quivis « dispensandi facultate præditus, si rogetur, tenetur sub gravi « in votis dispensare : communis. Et ratio est, quia potestas « dispensandi est ipsis concessa ad bonum subditorum et rei« publicæ. Unde eam sine causa denegantes subditis, reipu« blicæ gravem injuriam inferunt, et fiunt causa culpabilis « damnorum vel peccatorum ex negata debita dispensatione

« secutorum. » (Ferraris, verbo *votum*, art. 3, numero 67.)

PROPOSITIO VIII^a. — *Potestatem dispensandi in votis non reservatis Papæ delegare potest Episcopus.* — Sequitur ex eo quod potestas hæc in Episcopo sit *ordinaria*. « Certum est (ait S. « Ligorius, l. 3, n. 255) quod omnes Prælati, qui jure ordi« nario habent facultatem dispensandi in votis, possunt eam « etiam aliis delegare, ut Salmanticenses, *de voto*, c. 3, n. 83. »

PROPOSITIO IX^a. — *Sede vacante, potestatem dispensandi in votis non reservatis habet vicarius capitularis.* — Quia nempe potestas hæc ordinaria est in Episcopo, et ad vicarium capitularem transit tota Episcopi *ordinaria* jurisdictio.

PROPOSITIO X^a. — *Metropolitanus dispensare potest in votis suorum suffraganeorum : non autem (excepto casu appellationis) in votis a subditis suffraganeorum emissis.* — « Archiepiscopi « seu Metropolitani possunt quidem dispensare in votis suo« rum suffraganeorum, sed non cum subditis eorumdem suf« fraganeorum, nisi per appellationem ad ipsos fuerit habitus « recursus, in casu quo Episcopi talem dispensationem in« juste denegarent : communis doctorum. » (Ferraris, verbo *votum*, art. 3, n. 73.)

PROPOSITIO XI^a. — *Prælati regulares religionum exemptarum, non vero aliarum, possunt jure ordinario dispensare in votis Papæ non reservatis cum suis subditis religiosis : ac etiam cum novitiis quoad vota in sæculo vel tempore novitiatus emissa : quam proinde facultatem aliis delegare possunt.* — Equidem conclusio hæc, prout et sequens, ad præsentem tractatum non pertinet : quia tamen Episcopi interest scire quid in ipsius diœcesi possint regulares circa dictas dispensationes, id breviter hic adnotandum duximus. Ad thesim firmandam sat erit adducere, quod tradit Ferraris (verbo *votum*, art. 3, num. 74 et seq.) his verbis : « Prælati regulares religionum exempta« rum dispensare possunt in omnibus dictis votis (1) cum suis « subditis ; et cum novitiis circa vota, quæ in sæculo vel

(1) Id intellige, non de votis substantialibus religionis, sed de aliis.

« novitiatu emiserunt : communis. Habent enim in ipsos ple-
« nam ecclesiasticam jurisdictionem. Et hoc Salmanticenses
« et plures alii intelligunt etiam de superioribus localibus,
« cum respectu suorum subditorum habeant jurisdictionem
« ordinariam in foro interno et externo.

« Non sic autem Prælati religionum non exemptarum ; nisi
« id eis, vel ex consuetudine, vel Episcopi licentia seu com-
« missione concessum sit : communis. Nec etiam in ipsis votis
« dispensare possunt abbatissæ vel superiorissæ monialium..,
« licet possint suarum subditarum vota irritare, eo quod in
« illas habeant potestatem dominativam. »

Quod facultas hæc sit delegabilis, sic tradit S. Ligorius (l. 3, n. 257) : « Facultas autem dispensandi potest a dictis « Prælatis delegari, etiam simplici clerico tonsurato... Vota « tamen *substantialia*, vel ipsis *annexa* (prout votum non « edendi carnes, renuntiandi dignitatibus, etc., quæ emitti « solent in aliqnibus religionibus) nequeunt dispensari nisi a « Pontifice. »

Propositio XII[a]. — *Confessarii approbati ordinum mendicantium, necnon aliorum qui in mendicantium privilegiis communicant, possunt dispensare in omnibus votis fidelium, Papæ non reservatis.* — « Ex communi doctorum..., omnes confessarii regulares « possunt dispensare vota quorumcumque fidelium, intra et « extra confessionem (nam minime requiritur ut qui faculta- « tem habet, dispenset in confessione) : et hoc ex diversis « privilegiis Pontificiis. » (S. Ligorius, lib. 3, n. 257.) Potuit S. Ligorius dicere *omnes*, relative ad ordines quoslibet solemnia vota habentes ; quia ad eos dicta privilegia extensa fuerunt. Sed tamen id intelligendum non est de confessariis earum congregationum, quæ vota simplicia dumtaxat habent, et quæ in dictis privilegiis non communicant. Unde accuratius idem sic tradit Ferraris (v. *votum*, art. 3, n. 77) : « Confes- « sarii regulares approbati ordinum mendicantium, ac in « eorum privilegiis communicantium, possunt dispensare in

« omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensare possunt « Episcopi. »

Idem auctor (ibidem, n. 114) hanc regularium facultatem conferens cum ea quam habent Episcopi sic adnotat : « Quoad « dispensationes votorum, Episcopi et confessarii regulares « in quibusdam conveniunt, et in quibusdam differunt : con- « veniunt in hoc quod utrique possunt vota dispensare vel « commutare, etiam extra sacramentum confessionis, imo « etiam cum absentibus ; nullo enim jure horum facultas « reperitur restricta ad solum forum sacramentale... Differunt « autem in hoc, quod Episcopi possunt suam potestatem dis- « pensandi vel commutandi vota aliis delegare, quia in ipsis « hæc potestas est ordinaria : confessarii vero regulares id « non possunt, quia sunt delegati ex privilegio, et delegatus « non potest subdelegare, nisi in delegatione exprimatur. « Item differunt in hoc, quod Episcopi dispensare possunt in « quinque votis (1), cum urget necessitas ac magna causa, et « impossibilis est recursus ad Papam, et periculum est in « mora : confessarii regulares autem id non possunt, juxta « communiorem sententiam traditam supra n. 101. E contra « tamen confessarii regulares suam dispensandi in votis facul- « tatem exercere possunt circa omnes fideles ad ipsos unde- « cumque venientes ; quia ipsi agunt nomine Summi Ponti- « ficis, totum orbem pro sua diœcesi habentis : Episcopi « autem non possunt se extendere extra suos diœcesanos, « quia agunt per suam jurisdictionem, in sola sua diœcesi « restrictam. »

§ III.

De potestate Episcopi dispensandi in votis Papæ reservatis.

QUÆSTIO I^a^. — *De quibusnam votis agatur, quando sermo est de* QUINQUE RESERVATIS ? — Hac denominatione designari

(1) Intellige de quinque votis Papæ reservatis.

solent quinque sequentia : votum castitatis integræ et perpetuæ ; votum ingrediendi aliquam religionem ab Ecclesia approbatam ; votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum Petri et Pauli ; et votum peregrinationis Compostellanæ ad sanctum Jacobum devotionis causa. Certum est quinque illa vota esse Romano Pontifici reservata. Et sub pœna excommunicationis prohibitum est, ne quis sine speciali Papæ licentia in his dispensare attentet (vide apud Ferraris, v. *votum*, art. 3, n. 78). Votum suscipiendi sacros ordines non est reservatum ; quia est votum vovendi castitatem, non autem ipsummet castitatis votum (ibid., n. 104).

QUÆSTIO II^a. — *An et quatenus reservata sint insuper religiosorum vota?* — 1° Romano Pontifici reservata etiam sunt vota solemnia regularium, sive exemptorum sive etiam non exemptorum : et quidem ita ut nequeat Episcopus in iis dispensare, etiam in casibus, in quibus dispensare potest circa quinque reservata, verbi gratia, in casu urgentis necessitatis. Vide id probatum in meo tractatu *de Jure regularium* (tom. 2, pag. 488 et seq.). 2° Item nequit Episcopus dispensare, in votis substantialibus religionis, licet simplicibus (vide loco citato). 3° Imo etiamsi congregatio status religiosi essentiam non habeat, nequit Episcopus absque ejus consensu, dispensare in voto aut juramento perseverandi in ea, prout superiori paragrapho dictum est.

QUÆSTIO III^a. — *Quandonam dispensare possit Episcopus in quinque reservatis ?* — Cum ejusmodi reservatio odiosa sit, stricte eam esse interpretandam tradunt communiter doctores. Hinc multi dantur casus, in quibus urgere non censetur reservatio, ac proinde in quibus dispensare potest Episcopus : sunt autem fere sequentes :

Casus 1. — *Quando non sunt vota proprie dicta.* Verbi gratia, quando promissio facta est, non Deo, sed Beatæ Virgini, vel alicui sancto (Ferraris, v. *votum*, art. 3, n. 80). In dubio, votum censendum est factum Deo.

Casus 2.— *Quando vota illa non sunt ex parte materiæ perfecta.*

Verbi gratia, si voveatur castitas ad decem aunos, vel si voveatur dumtaxat non nubere, quin intendatur abstinentia ab omni actu castitati contrario (vide S. Ligorium, l. 3, n. 258).

Casus 3.—*Quando vota emissa sunt absque omnimoda libertate;* verbi gratia, ex metu levi (S. Ligorius ibid.).

Casus 4. — *Quando vovetur ingressus in religionem non approbatam,* licet toleratam (idem, ibid.). Unde si qua puella hodie voveret aliquem Galliæ monialium ordinem ac conventum ingredi, votum illud non esset Papæ reservatum; quia ejusmodi hodiernæ Galliarum moniales, non sunt de ordinibus ab Ecclesia proprie et in strictiori sensu approbatis, sed congregationes votorum solemnitate carentes, ac proinde (juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam) toleratæ tantum, ut constat ex pluribus Sacræ Pœnitentiariæ responsis. Quod fuse iu tractatu *de Jure regularium* ostendimus.

Casus 5. — *Quando agitur de circumstantiis voto additis;* verbi gratia, quando quis vovit peregrinationem ad Apostolorum limina peragere *mendicando.* Potest nempe Episcopus dispensare in promissa illa circumstantia *mendicandi.*

Casus 6. — *Quando votum est disjunctivum, et una pars non est de reservatis;* verbi gratia, si quis voveat ingredi religionem, vel jejunare bis in hebdomada toto vitæ suæ tempore. Si tamen vovens jam elegerit partem reservatam, disputatur au Episcopus dispensare valeat (vide S. Ligorium, loco cit.).

Casus 7. — *Quando is qui vovit castitatem absolutam est matrimonio conjunctus, et non vovit uterque conjux mutuo consensu.* Tunc nempe, sive ante sive post matrimonium votum fuerit emissum, potest Episcopus in eo dispensare in ordine ad petendum debitum (S. Ligorius, l. 3, n. 258). Et idem posse confessarios ordinum mendicantium, vide ibidem. Si mutuo consensu uterque conjux voverit, non est locus huic dispensationi, nisi ex causa urgentis necessitatis (vide apud Ferraris, v. *votum*, art. 3, n. 92).

Casus 8. — *Quando vota sunt dubia, seu non omnino certa.*

« Unde quotiescumque adest dubium de eorum valore, sive « dubium sit *juris* (ut si dubium sit, an sint vere vota, an vere « reservata), sive dubium sit facti (ut si dubium sit an adfue- « rint in ipsis vera promissio, plena deliberatio, sufficiens « intentio, et alia ad voti et reservationis rationem necessario « requisita), tunc dicta vota, sive sint castitatis perpetuæ, « sive religionis approbatæ, sive trium præfatarum peregri- « nationum, non sunt Papæ reservata, sed ab Episcopo, vel « confessariis regularibus dispensabilia : communis. » (Fer- « raris, v. *votum*, art. 3, n. 82.)

Casus 9. — *Quando vota sunt certis quibusdam conditionibus vestita.* Circa ejusmodi vota conditionalia hæc advertenda sunt : *primo,* si conditio sit de præterito vel præsenti, et verificetur, votum est de reservatis, quia habetur pro absoluto, nec potest Episcopus dispensare. Tale esset votum hoc : si adsint dominicani conventus in Gallia, voveo hunc ordinem ingredi. *Secundo*, idem dicendum si conditio, quamvis de futuro, jam existat de jure ; ut si impubes voveat, *si pater consenserit :* vel si naturaliter adimplenda sit ; ut si quis voveat, *dummodo vixero.* Tunc scilicet, verificata conditione, votum censetur de reservatis. *Tertio*, ante impletam conditionem, certum est votum non esse reservatum. *Quarto*, tota difficultas est, quando conditio est de futuro *accidentario*, id est, non a natura vel jure ipsis votis annexo, et jam verificata fuit : verbi gratia, *si moriatur conjux, voveo Carthusianam religionem ingredi ;* vel, *si contingat me in peccatum mortale labi, voveo in pœnam peregrinationem ad sancta limina Petri et Pauli.* Abeunt doctores in sententiam triplicem. Prima asserit non posse Episcopum dispensare : secunda distinguens asserit posse Episcopum dispensare, si conditio sit in pœnam ; secus non posse : tertia, valde probabilior, asserit posse tunc Episcopum dispensare, sive conditio sit in pœnam, sive non (vide S. Ligorium, l. 3, n. 261 ; necnon Ferraris, verbo *votum*, art. 3, n. 85 et seq.).

Casus 10. — *Quando votum reservatum dubie includitur in*

aliquo juramento. Si quis, verbi gratia, juret se ingressurum Cisterciensium ordinem, quæritur, num juramentum istud votum reservatum includat. Cujus dubii resolutio pendet, ab intentione voventis. Dicimus autem, stante dubio an jurans voluerit simul sese voto obstringere, posse Episcopnm dispensare ; quia hoc ipso votum est dubium (vide S. Ligorium, l. 3, n 259).

Casus 11. — *Quando adest urgens necessitas dispensandi.* Hic casus præcipue practicus est. Contingere autem solet qnando matrimonium est mox contrahendum, et vir, sive fœmina declarat emissnm a se absolutæ castitatis votum. Tunc nempe, si matrimonium differri nequeat usque ad responsum Summi Pontificis, sine gravi sponsi aut sponsæ aut eorum familiæ dedecore (puta si puella deflorata sit prolesque nascitura ante matrimonium, si interponantur moræ, et orituræ timeantur discordiæ inter cognatos, et his similia), poterit Episcopus dispensare (vide apud Ferraris, v. *votum,* art. 3, n. 98 et seq.; et S. Ligorium, l. 3, n. 258).

An autem in hoc casu dispensare etiam possint confessarii regulares, disputatur (vide apud Ferraris, ibid., n. 100, et apud S. Ligorium, loco citato).

Casus 12. — *Quando per legitimam dispensationem ac commutationem, materiæ voti reservati alia substituta fuit.* Verbi gratia si votum absolutæ castitatis a Summo Pontifice fuerit mutatum in perpetuum per singulas hebdomadas jejunium, jam quoad illud jejunium dispensare poterit Episcopus (vide apud Ferraris, v. *votum*, art. 3, n. 113).

§ IV.

De potestate Episcopi vota commutandi.

PROPOSITIO I[a]. — *Ipse vovens propria auctoritate suum votum commutare potest in melius : probabilius nequit commutare in*

æquale : certo nequit in minus bonum. — Id vide firmatum a S. Ligorio (l. 3, n. 243 et seq.), necnon apud Ferraris (v. *votum*, art. 3, n. 115 et seq.).

Propositio II^a. — *Qui habet facultatem dispensandi, habet et commutandi.* — Vide apud Ferraris, loco citato, n. 120. Aliqui antiqui canonistæ id negabant quoad eos qui habent *delegatam* dumtaxat dispensandi facultatem, prout sunt confessarii regulares. Dicebant nempe ipsis non competere facultatem commutandi. Sed communiter prævaluit doctrina contraria ; ex hac ratione, quod commutatio non sit nisi partialis dispensatio ; et cui concessum est plus, censendum a fortiori concessum minus.

Hinc quæ dicta sunt supra de dispensatione, sunt etiam respective applicanda votorum commutationibus.

Propositio III^a. — *Ad commutationem in melius, nulla causa requiritur : ad commutationem in æquale, requiritur causa, sed sufficit levis : ad commutationem in minus requiritur causa gravis : et causa hæc requiritur non tantum ad liceitatem, sed etiam probabilius ad valorem.* — Vide singula apud Ferraris (v. *votum*, art. 3, n. 130 et seq.), et apud S. Ligorium (l. 3, n. 244 et 245).

§ V.

An dicta Episcopi potestas circa vota, ipsi etiam competat quoad vota peregrinorum.

« Utrum autem peregrini possint dispensari ab Episcopo « loci ubi reperiuntur in votis et juramentis, *probabilius* nega- « tur, cum Sanchez.., Salmanticensibus.., et aliis communi- « ter... *Satis probabile est* (cum Suarez, Poutio, Salmanti- « censibus, Palao, Sanchez, etc.), peregrinos fieri vere sub- « ditos superioris illius loci ubi sunt, etiamsi per breve tempus « ibi commorentur. » (S. Ligorius, l. 3, n. 262.)

CAPUT XXIV.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI RELATIVE AD CLERICOS SUOS QUI VOLUNT EXTRA DIŒCESIM PERGERE, AUT ETIAM DEGERE.

Arduam illam quæstionem enucleare conabimur hac paragraphorum serie : 1° quænam fuerit olim disciplina quoad obligationem clericorum in suis respective diœcesibus remanendi : et quid statuerit Tridentina Synodus : 2° an clerici, alicujus ecclesiæ servitio adscripti, possint absque consensu Episcopi diœcesim deserere : 3° an beneficiati valeant absque Prælati sui consensu beneficia sua dimittere, et e diœcesi discedere : 4° an clerici, qui nec ullius ecclesiæ servitio sunt adscripti, nec obtinent beneficium residentiam exigens, possint invito Episcopo ad aliam diœcesim transire.

§ I.

Quænam fuerit vetus disciplina quoad obligationem clericorum in suis respective diœcesibus permanendi : et quid Tridentina Synodus statuerit.

1° De hac veteri disciplina loquens Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 11, c. 2, n. 4) sic adnotat : « Ex ejusdem pariter « disciplinæ præscripto, hoc inconcusse servatum novimus, « ut quicumque ecclesiasticum aliquem ordinem susciperet, « certæ alicujus ecclesiæ servitio manciparetur, cui in adepto « ordine ministrare deberet. Neque vero hujusmodi clerico « licebat ecclesiam illam deserere, cui in sua ordinatione ad- « dictus fuisset : sed, si forte id sine Episcopi venia fecisset, « aut ordinem ipsum in alia ecclesia (præterquam de licentia « ejusdem Episcopi) exercuisset, suspensionis pœnam incur-

« rebat. Qua de re perspicua est sanctio Concilii Arelatensis, « anno 314 celebrati, canone 2, cum quo concordat ejusdem « Concilii canon 21. Postmodum in Concilio generali Nicæno, « canone 15, statutum fuit, ne Episcopi, presbyteri aut dia- « coni, ab iis ecclesiis pro quibus ordinati essent, ad alias de- « migrarent; quem canonem Gratianus refert (causa 7, q. 1, « canone *non oportet*). Idemque (distinctione 70, canone *ne-* « *minem*) percelebrem refert Concilii Chalcedonensis cano- « nem 6, quo vetitæ sunt ordinationes clericorum, qui alicu- « jus peculiaris ecclesiæ ministeriis non addicantur. »

2° Postmodum fundata sunt multa beneficia simplicia; et generali consuetudine inductum est, ut ejusmodi beneficiorum certæ quædam species residentiam non exigerent. Distincta nempe sunt beneficia in *residentialia* et *non-residentialia;* ita ut provisi de beneficiis *non-residentialibus*, potuerint extra diœcesim et locum beneficii commorari. Item inductum est ut carentes beneficio, ordinari potuerint ad titulum patrimonii et pensionis. Et his pariter, utpote nullo residentiali beneficio detentis, liberum erat extra diœcesim in qua ordinati fuerant, degere. Vigebat disciplina hæc jam a multis sæculis, tempore Tridentini Concilii. Ex ea autem duplex facile abusus exortus erat : primo nempe, haud pauci ex iis beneficiatis, residentiæ non adstrictis, per varias diœceses vagabantur; sicque eorum mores, si forte minus honesti forent, difficilius corrigi poterant : secundo, nimium excrescebat in aliquibus regionibus clericorum numerus.

3° In Tridentina Synodo disceptatum est, num de medio tollendæ essent ordinationes ad titulum pensionis et patrimonii. Perpensis pro et contra rationibus, titulum illum Tridentini Patres admiserunt, sed pro iis dumtaxat, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum* (sess. 21, c. 2). Unde communiter doctores inferunt, titulum patrimonii ac pensionis jam non esse legitimum nisi ex *dispensatione* a Tridentinis Patribus facta, et ob rationem dictæ *necessitatis* aut *commoditatis*. Hac dispositione

satis occurri præfato abusui nimii clericorum numeri, existimavit Tridentina Synodus.

Ut autem alteri abusui, vagantium scilicet extra diœceses suas clericorum, occurreret, ita disposuit : *Cum nullus debeat Ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus : quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur* (sess. 16, c. 23).

§ II.

An clerici, alicujus ecclesiæ servitio adscripti, absque consensu Episcopi a diœcesi abcedere possint.

I. *Certum est clericum sic adscriptum non posse absque licentia Episcopi recedere, etiamsi ad aliquod beneficium alibi electus fuerit.* — Quamvis enim Tridentini Patres dicant dumtaxat *inconsulto Episcopo*, intelligendum est, *sine licentia Episcopi ;* quia locutio *inconsulto Episcopo* hunc sensum ibi habet. De quo sic Fagnanus (ad caput, *admonet, de Renuntiatione*, 15) : « Nec « tales debent locum deserere *inconsulto Episcopo*, id est, « *sine consensu Episcopi*, prout hæc verba exponuntur hic (in- « tellige, in capite *admonet)* et in capite *cum plantare, de Pri-* « *vilegiis*. Quod si deseruerint, sacrorum exercitium est eis « interdicendum, ad præscriptum sexti canonis Concilii Chal- « cedonensis, qui a Tridentina Synodo innovatur dicto cap. 16 « (sess. 23). Unde cavendum est a modernis collectoribus.., « dum, aliis relatis, dixerunt, presbyteris et clericis non ha- « bentibus beneficium in titulum, personalem residentiam « requirens, licitum esse ire quo velint, et Ordinarios teneri « litteras commendatitias concedere. Hoc enim est contra « præcitatum Concilii decretum. »

Et ita decisum est a Sacra Congregatione Concilii 8 maii 1756 (in causa *Amerina*, *Thesauri* tomo 25, pag. 37). Cum nempe quidam Ignatius Torretti cum dimissoriis sui Episcopi ordinatus fuisset, et simul servitio cujusdam parochialis ecclesiæ adscriptus, nolebat postmodum in ea parochia remanere et illi ecclesiæ inservire. Sed ad quæsitum an potuisset contra præceptum Episcopi discedere, S. Congregatio respondit *negative, assignata congrua per Episcopum.*

Item in causa *Ariminensi* 5 decembris 1574, id expresse decisum est in hunc modum : « Clericus, qui certo loco non est « adscriptus, ab Episcopo suo invitus retineri non potest, ne « a sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat : *ad-« scriptus vero retineri potest invitus.* » Exstant plures aliæ similes declarationes; et positam conclusionem admittunt doctores communiter.

II. *Quando adscriptus servitio alicujus ecclesiæ eligitur ad aliquod beneficium in alia diœcesi, assensum dare potest absque licentia Episcopi; etsi absque dicta licentia discedere nequeat: interveniente tamen justa causa, poterit Episcopus a superiore cogi ad dandam licentiam discedendi.* — Id enim communiter a doctoribus admittitur etiam quoad clericos qui habent beneficium residentiam exigens, ut sequenti paragrapho videbimus. Ergo a fortiori admittendum est, quoad ejusmodi adscriptos. Hinc, verbi gratia, si quis presbyter, ordinatus ad titulum patrimonii, et simul adscriptus servitio ecclesiæ cathedralis, nominetur ad canonicatum, parochiamve, aut ad aliquod officium ecclesiasticum, in aliena diœcesi, poterit acceptare. At nequibit discedere absque Episcopi licentia. Quod si Episcopus licentiam hanc deneget, poterit dictus presbyter ad superiorem auctoritatem recurrere, verbi gratia, ad Archiepiscopum. Et tunc expenditur an causa discedendi quam allegat presbyter vere justa sit ac rationabilis: si talis sit, cogitur Episcopus ad dandam postulatam licentiam. Rationabiles autem ac justæ causæ esse videntur, si presbyter ille difficile ex patrimonio suo habeat ad sustentandam vitam; si adversa

valetudine ob loci inclementiam utatur, si multo utilior futura sit ipsius opera in nova diœcesi, quam servitium quod præstat ecclesiæ cui est adscriptus; et aliæ hujusmodi.

III. *Quando in ejusmodi recursibus judicatur in favorem Episcopi, solet ei injungi, ut adscripto congruam assignet.* — Durum enim foret si presbyter, alicujus ecclesiæ servitio in ordinatione sua adscriptus, per totam vitam ei ecclesiæ deservire deberet, cum tenui patrimonio, vel beneficio simplici, ad quorum titulum ordinatus est; dum interea libenter eum alii Episcopi assumere parati sunt ad majoris momenti officia vel beneficia. Cujus duræ conditionis metus, non paucos a suscipiendo clericali statu retraheret. Hinc quando Episcopus dictam discedendi licentiam alicui adscripto juste denegat (eo quod, verbi gratia, ipsius servitio revera egeat ecclesia cui adscriptus fuit), et Sacra Congregatio Concilii id æquum existimat, solent nihilominus Eminentissimi Patres conditionem addere, ut congrua ejusmodi adscripto assignetur. Exstant plures ejusmodi decisiones in *Thesauro* resolutionum.

Nota. — Ex præsenti paragrapho colligendum venit, falsam esse regulam istam, a multis antiquioribus canonistis traditam: *Si clericus non habeat beneficium residentiam exigens, potest ire quo vult, et Episcopus commendatitias ei litteras dare tenetur.* Id verum non est quoad clericos, qui alicujus ecclesiæ servitio adscripti sunt. Et ex Tridentini Concilii præscripto, deberent omnes sic alicui ecclesiæ addici. Hodie autem multis in diœcesibus non fit ejusmodi adscriptio.

§ III.

An beneficiati valeant absque Prælati sui consensu beneficia sua dimittere, et e diœcesi discedere.

Propositio Ia. — *Regula generalis est, clericum non posse beneficium suum dimittere absque consensu Prælati sui; et contra fa-*

cientem posse excommunicari.—Constat Decretali *admonet (4 de renuntiatione),* in qua sic statuitur : « Universis personis tui « episcopatus sub districtione prohibeas, ne ecclesias tuæ « diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu « tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere incon- « sulto. Quod si quis contra prohibitionem tuam venire præ- « sumpserit, in eum canonicam exerceas ultionem. » Et rubrica hujus capitis sic se habet : « Beneficiatus sine licentia « Prælati sui, beneficio renuntiare non potest. » Dum autem ibi dicitur *te inconsulto,* intelligendum est perinde ac si positum fuisset *sine tuo consensu ;* quia formula hæc *te inconsulto* hunc sensum in jure sæpe habet, prout docent communiter canonistæ. Hinc Fagnanus citatam Decretalem explanans, adnotat : « Ejus auctoritatem requiri in dimissione beneficii, « quæ requiritur in illius assecutione, ut hic... Unde is de- « mum potest auctoritatem præstare renuntiationi, qui potest « invitum destituere... Nota ibi, *te dimittere inconsulto,* con- « silium aliquando poni pro consensu vel auctoritate, ut hic... « Non enim ad beneficium dimittendum sufficit Prælatum « consulere, sed oportet illius consensum obtinere. » (Fagnanus, ad caput *admonet, de renuntiatione,* n. 2 et 3.)

Quod clericus invito Prælato beneficium dimittens possit excommunicari, palam faciunt ultima Decretalis verba, *in eum canonicam exerceas ultionem* ; et a doctoribus communiter admittitur; inter quos Fagnanus (loco citato, n. 9).

PROPOSITIO IIª. — *Dicta generalis regula locum habet etiam quoad clericum, qui electus fuit ad aliud beneficium, sive intra, sive extra diœcesim.* — « Nam (inquit Fagnanus, ibidem, n. 8) « etsi talis possit eligi (ad secundam ecclesiam) et electioni « de se factæ consentire, ut dicam infra, non tamen potest « se effectualiter transferre sine licentia... Alioquin revocari « possunt, et, si admoniti non redierint, sunt excommuni- « candi... Et hæc est *canonica ultio* de qua loquitur hoc caput. »

Nota. — Prædictam regulam diximus *generalem*, ob sequentes exceptiones, nimirum,

PROPOSITIO IIIª. — *A dicta generali regula excipiendus est casus, quo quis beneficiatus vult religionem ingredi.* — Potest nempe religionem ingredi, ac in ea profiteri, ac consequenter beneficium suum, etiam curatum dimittere, invito Episcopo. Id fuse probavimus in tractatu *de Jure regularium* (parte 4, sectione 1, capite 1, § 2; et eadem sectione, capite 7). Vide etiam Fagnanum (in caput *admonet, de renuntiatione*, n. 10).

PROPOSITIO IVª. — *Prædicta generalis regula non impedit, quin beneficiatus, si eligatur ad aliud beneficium, etiam in alia diœcesi, possit electioni consentire: quo casu, si Episcopus sine justa causa renuat concedere petitam licentiam dimittendi prius beneficium, ad eam concedendam cogi potest per superiorem.* — Dictam regulam generalem postquam firmavit Fagnanus, sic eam limitandam admonet (loco citato, n. 20): « limita propositam conclusionem, ut procedat in eo, qui ecclesiam dimittit vel ad aliam effectualiter se transfert; non autem in eo qui simpliciter ad secundam ecclesiam eligitur. Talis enim sine licentia superioris potest consentire electioni de se factæ ad aliam ecclesiam, etiam alterius episcopatus; et qui eum eligunt non peccant, cum nullibi hoc reperiatur prohibitum... Et quamvis contrarium sentiat Hostiensis, numero XI, ubi prolixe conatur defendere, clericum *eligi* non posse ad aliam ecclesiam, sed *postulari*, ad instar Episcopi; ejus tamen opinio hodie reprobatur in Decretali *si Abbatem, de electione*, in 6: speciale enim est in Episcopo, ut non possit ad aliam ecclesiam eligi, sed postulari; quia alas habet ligatas nexibus præceptorum... Fateor tamen... quod clericus ad aliam ecclesiam electus, debet implorare licentiam Episcopi sui; qui, si renuerit malitiose consentire translationi, cogendus erit per superiorem. »

Quod soleat Summus Pontifex auctoritate sua concedere beneficii resignationem, quando sine justa causa renuit Episcopus ei consentire, et *testimoniales resignationis* litteras dare, sic adnotatur in *Thesauro* resolutionum (in causa *Fulginatensi*, 19 januarii 1805): « Quanquam ex Decreto Clementis XI

« probari nequeant resignationes beneficiorum nisi accedente « *attestatione* Ordinarii, attamen si compertum sit eumdem, « nulla subeunte *justa causa*, repugnare quominus resignatio « concedatur, tum solet Summus Pontifex sua uti auctoritate, « ut sine testimonialibus resignationes hujusmodi concedat; « uti tradit Rigantius, in commentario ad regulam 45 Cancellariæ, n. 34 et seq., tomo 3. »

Propositio V[a]. — *A supradicta generali regula excipiendi sunt clerici quorum beneficia sunt simplicia, et simul nec residentiam, nec ullum personale servitium exigunt : hi nempe beneficia ista dimittere seu resignare possunt, etiam invito Episcopo suo.* — Tum ad probandam istam conclusionem, tum ad confirmandas præcedentes, utile visum est hic referre totam disceptationem Fagnani de illa quæstione, *an rectores beneficiorum possint illa invito superiore dimittere.* Sic nempe habet, ad caput *admonet, de renuntiatione,* n. 25 et sequentibus : « Puto sic « posse distingui : nam *aut agitur de beneficiis curatis :* et quia « in his dicitur contrahi quasi-matrimonium..., censeo pro« cedere prædictam opinionem negativam (nempe, quod tales « nequeant beneficium dimittere sine consensu Prælati sui)... « Pro quo facit Concilium Tridentinum, sessione 23, capite 1; « ubi tales coguntur ad residentiam per censuras; cum tamen « non essent excommunicandi, si possent beneficia invito su« periore dimittere. Et in hoc non videtur subesse difficultas. « Quamvis negandum non sit quin superior ex causa quan« doque teneatur admittere resignationem, ita ut alioqui possit « per suum superiorem ad id cogi... *Aut agitur de aliis bene« ficiis :* et tunc aut agitur *de requirentibus personalem residen« tiam,* seu *personale servitium;* et idem dicendum quod supra « ex iisdem rationibus...

« *Aut agitur de beneficio cui nullum est annexum certum per« sonale servitium :* et tunc, quia in hoc casu horum benefi« ciorum collatio fit principaliter ad utilitatem illorum quibus « conferuntur, provisi de illis (modo non impediantur ob « contenta in Concilio Tridentino, sessione 21, capite 2, et in

« capite *cum secundum, de Præbendis*) videntur posse eadem « invito superiore resignare; per regulam quod quisque po- « test ei renuntiare, quod pro se principaliter est introdu- « ctum... Cum hodie beneficia simplicia personalem residen- « tiam non requirant, ex generali consuetudine..., ex eorum « resignatione superior nullum potest prætendere interesse: « nam nec ea obtinentes potest ut resideant in episcopatu « cogere; ut alias censuit S. Congregatio Episcoporum ac « Regularium negotiis præposita. Unde non est ratio quare « sic provisus cogi possit ut beneficium invitus retineat...

« Ex quibus ut ad quæstionem propositam descendamus, « videtur sic posse responderi :

« Aut beneficium, quod quis vult renuntiare est curatum, « vel habet annexum certum personale servitium, et non po- « test istud invito superiore resignare, nec simpliciter, nec « acceptando aliud huic incompatibile...;

« Aut est omnino simplex, et potest illud resignare, etiam « acceptando aliud. Nam si potest illud dimittere simpliciter, « ut superius probatum est, longe magis poterit per assecu- « tionem alterius... Nec videtur obstare id quod habetur ses- « sionis 23 capite 16 : nam illud caput non loquitur de demis- « sione beneficii obtenti, sed de eo qui in sua ordinatione « permisit se adscribi, ac tanquam servum adscriptitium « mancipari servitio ecclesiæ, pro cujus utilitate est ordina- « tus. Unde non mirum si eo casu locum deserere non potest, « inconsulto Episcopo... Nos autem agimus de illis beneficiis, « quæ nullo egent servitio. Unde nulla subest ratio cur pro- « visi in eis inviti detineantur. Et in hanc sententiam olim « propendit Sacra Congregatio Concilii. »

§ IV.

An presbyteri seu clerici, qui nec ullius ecclesiæ servitio sunt adscripti, nec ullum obtinent beneficium residentiam exigens, possint invito Episcopo e diœcesi discedere, et alibi commorari.

Fateor tot me difficultatibus, in expendenda illa quæstione, irretitum fuisse, ut a qualibet solutione abstinendum, lectoremque ad doctiores remittendum existimaverim. Quanta autem sit quæstionis gravitas, facile perspici potest. Nam si admittenda sit sententia *affirmativa*, id est, posse dictos clericos invito Episcopo diœcesim suam deserere, sequitur, verbi gratia quoad hodiernum Galliæ clerum, posse presbyteros omnes præter canonicos et beneficium parochiale obtinentes, e suis respective diœcesibus migrare, quin obstare possint proprii eorum Episcopi. Non enim servatur in Galliis Tridentina præscriptio singulos qui ad ordines promoventur, alicujus ecclesiæ servitio adscribendi. Unde dicti presbyteri de iis sunt qui nec dicto servitio sunt adscripti, nec ullum obtinent beneficium residentiam exigens. Sequitur insuper cogi non posse dictos presbyteros ad obeunda ecclesiastica munia quæ ipsis respectivi eorum Episcopi committere vellent : quia si jus habeant a diœcesi discedendi, hoc ipso jus habent munia hæc in diœcesi non obeundi. Sequitur tandem eosdem presbyteros, si præfata munia jam acceptaverint, posse invito Episcopo ea dimittere. Nam, cum non adfuerit obligatio acceptandi, censendi sunt acceptasse libere, et salva facultate ea dimittendi.

Aliunde autem sententiam *negativam*, id est, quod dicti clerici nequeant sine consensu Episcopi diœcesim deserere, excludere videtur communior canonistarum doctrina, necnon declarationes S. Congregationis Concilii, quæ ante viciniora tempora prodierunt. Dicimus quæ *ante viciniora tempora* prodiere: quia recentiores quædam ejusmodi decisiones mihi

videntur *negativæ* potius sententiæ favere. Quibus prænotatis, auctoritates quæ pro et contra allegari posse videntur, subjiciamus.

I.

Auctoritates pro sententia affirmativa, seu quæ tenet posse dictos clericos invito Episcopo diœcesim suam deserere.

I. *Quid teneat Schmalzgrueber.*— « Cum communi (sententia) « dicendum, quod Episcopi teneantur per se loquendo hujus- « modi clericis dare litteras commendatitias, si has ex pere- « grinationis, aut etiam domicilii vel diœcesis mutandæ causa « petant. »

Subjuugit idem auctor ab illa generali regula excipiendos esse « illos clericos, qui ob criminis conscientiam vel suspicio- « nem, aut aliam similem causam volunt discedere. Nam his « non *commendatitias,* sed *testimoniales* dumtaxat debet con- « cedere, quibus quidem testatur de susceptis ordinibus, et « carentia impedimenti canonici quod ipsos a celebratione di- « vinorum removeat; non vero de probitate vitæ et morum « integritate : ne hujusmodi commendatione decepti ecclesia- « rum Prælati et alii beneficiorum collatores, ipsos, cum « forte indigni sint, ad beneficia, præsertim curata, promo- « veant, cum fidelium scandalo et animarum periculo. »

II. Eamdem doctrinam tradit Barbosa hisce verbis : « Nec « sunt denegandæ (commendatitiæ litteræ) ab Episcopo sacer- « dotibus et clericis qui non habent beneficia in titulum resi- « dentiam requirentia, prout etiam decisum refert Armen- « darus... Et iterum in S. Congregatione Cardinalium nego- « tiis Episcoporum et Regularium præposita, decretum fuit « illos non posse revocare subditos ecclesiasticos alibi degen- « tes, nec eos cogere ; sed teneri litteras eis dare extra volen- « tibus morari, si ratione beneficii non adstringerentur in sua « diœcesi residere. Dicit ita in causa propria obtinuisse Cam-

« panilla... Sic etiam in facti contingentia respondisse asserit « Aloysius Riccius (in *Praxi fori eccles.*, decis. 598 et resol. « 524). Ubi ampliat ad clericum obtinentem simplex benefi- « cium, qui etiam non poterit cogi residere in diœcesi ubi « illud habet, sed poterit ire quo vellet, et ita dicit in Rota « decisum.. » (Barbosa, *de Officio et potest. Episcopi*, parte 2, allegatione 21, n. 5.)

III. Consonat Monacellus : « De honestate requiritur licen- « tia (pro discedendo e diœcesi) non autem de necessitate. « Nam litteræ hujusmodi commendatitiæ pro discessu a diœ- « cesi, iis qui non habent officium, beneficium aut aliam obli- « gationem personalem, servitium et residentiam exigentia, « nunquam sunt denegandæ... Nisi tamen ageretur de ordi- « natis ob necessitatem ecclesiæ : nam isti locum inconsulto « Episcopo deserere non possunt. » (*Formularium legale*, t. 1, tit. 4, formula 6, n. 1.)

IV. Idem tanquam omnino certum tradit Pirhing : « Epi- « scopus vero, inquit, non potest denegare litteras commen- « datitias aut testimoniales presbyteris aliisque clericis, si « intra vel extra diœcesim peregrinari, vel omnino discedere « velint, nisi habeant in titulum beneficia requirentia resi- « dentiam, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii..; quam- « vis olim, cum essent pauciores clerici, et omnes intitulati, « non poterant discedere ab ecclesia sua, præsertim in lon- « ginquum, sine jussu Episcopi, vel facultate ab eodem « obtenta; ut constat ex capite *si qui vero* (23 causæ 7, q. 1) « desumpto ex Concilio Nicæno, canone 16; et ex Concilio « Laodicensi canone 41. » (Pirhing, ad titulum de *clericis peregrinis*, n. 3.)

V. « Has autem commendatitias litteras, inquit Castropa- « laus, obligatus est Episcopus sacerdoti, justam causam ha- « benti recedendi a diœcesi, concedere ; uti colligitur ex « Tridentino, sessione 23, capite 16. Nam cum ipse sacerdos « obligetur prædictas litteras deferre, consequenter obligan- « dus est Episcopus eas illi concedere. Alias in potestate Epi-

« scopi constitutum esset, sacerdotem peregrinari volentem « detinere, quod nequaquam facere potest, si beneficio resi- « dentiam exigente non fuerit arctatus, uti decisum referunt « Campanilla.., Barbosa.. » (Tractatu 27, disput. unica, puncto 16, n. 3.)

VI. Apud Ferraris, in recenti editione Cassinensium, verbo *Testimoniales litteræ*, numero 11 : « Atque ita censuit S. Con- « gregatio Concilii die 21 januarii 1574, cum hac tamen limi- « tatione, nisi talis clericus sit adscriptus alicui ecclesiæ in « qua se exerceat; vel habeat beneficium requirens perso- « nale servitium, aut aliter statuto loci ab immemorabili tem- « pore prohibeatur. Idem censuit... eadem S. Congregatio « Concilii, in *Terracinensi*, 19 februarii 1628; et in *Arimi-* « *nensi*, cujus verba sunt ista : *Clericus, qui certo loco non est* « *adscriptus, ab Episcopo suo invitus retineri non potest, ne a* « *sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat : adscriptus* « *vero retineri potest invitus* : die 5 decembris 1574.

« Itaque, si sint adscripti servitio alicujus ecclesiæ, non po- « terunt discedere absque licentia sui Episcopi, juxta Conci- « lium Tridentinum (sess. 23, c. 16); ubi decernitur quod « tales non debent locum deserere, inconsulto Episcopo, id « est, sine consensu Episcopi... Quod si deseruerint, sacro- « rum exercitium est eis interdicendum, ad præscriptum « sexti canonis Concilii Chalcedonensis, qui... a Tridentina « Synodo innovatur, dicto capite 16. Sic in terminis Pigna- « tellus (tomo 3, consult. 56, n. 3).

« Limita etiam quando necessaria esset persona clerici « absentis ad utilitatem alicujus ecclesiæ in diœcesi : quo « casu assignari debet illi congrua sustentatio... Tunc enim « non solum potest Episcopus ei denegare dimissorias, sed « etiam illum cogere ad redeundum, per sequestrationem « patrimonii.. (Pignatellus, ibidem, n. citato).

« Hinc, hujusmodi limitationibus salvis, licet clerici habeant « beneficium simplex, possunt tamen Ordinarii eos hortari, « *non cogere*, ad frequentandam ecclesiam et chorum; nisi

« aliunde essent obligati, puta ex fundatione, vel consuetu-
« dine... Multoque minus prohibere potest eis (Episcopus) sub
« pœna suspensionis ipso facto incurrenda, ne exeant e loco
« sine licentia.. (Pignatellus, loco citato). »

VII. Quid teneat Fagnanus, jam superiori paragrapho exposuimus. Docet nempe clericos, qui nullius ecclesiæ servitio sunt adscripti, nec habent beneficium residentiam exigens, non posse ab Episcopo invitos in diœcesi detineri.

Imo nec ob simplicem illam adscriptionem posse cogi clericum ad remanendum in diœcesi, sic docuit Antonius de Martinis (lib. 1, *Resolutionum*, cap. 107) : « Si clericus qui habet
« simplicem adscriptionem ecclesiæ alicui, consulto Episcopo
« abiret, discessus licentiam ab eo quærendo, Concilio (Tri-
« dentino) satisfaceret : nec dicatur, quod in hoc casu Epi-
« scopus licentiam denegaret, cum id de jure peragere non
« possit, ut censuit S. Congregatio. »

VIII. Præter memoratas a citatis auctoribus Sacræ Congregationis Concilii declarationes, ad rem etiam facit causa *Segnensis* 13 septembris 1749 (*Thesauri* tomo 19, p. 83). — Prohibuerat Segnensis Episcopus sub pœna suspensionis, ne absque ipsius licentia ullus clericus e diœcesi discederet. Contra illud decretum ad S. Congregationem Concilii recurrerunt plures civitatis episcopalis presbyteri. Contendebat Episcopus hosce presbyteros adscriptos fuisse ecclesiæ cathedrali, « a qua, aiebat, portionem ceræ accipiunt in funeribus « et anniversariis. » Ipsi vero contra episcopalis edicti valorem objiciebant :

« Esse maxime dubium, an possit Episcopus eos clericos et
« sacerdotes, qui nullum habent beneficium nullumque onus
« residentiæ, cogere ut *veniam petant* discedendi, negantibus
« iis, quos plenis manibus dedit Anacletus Reiffenstuel (tit.
« *de clericis non residentibus*, n. 9), et Pignatellus (consulta-
« tione 56, n. 2 et 3 tomi 3); qui plura referunt hujus tribu-
« nalis (nempe S. Congregationis Concilii) responsa :

« *Omnes* vero *convenire*, ut sine justa causa venia hæc ab

« Episcopo negari nequeat : monere etiam Episcopum posse, « non vero *compellere* simplices sacerdotes, ut ad cathedralem « ecclesiam veniant eique serviant; cum servitium præstare « non teneantur, si nullum accipiunt stipendium...:

« Ceram quidem percipere ; sed ratione præsentiæ et « laboris quem ferunt in anniversariis et funeribus, quibus « volentes lubentesque intersunt ; nil accepturi si non « intersint vel non vocentur :

« Cessasse obligationem serviendi ecclesiæ, cum sacerdotio « honestati fuerunt. Adscribuntur enim ecclesiæ, ut ei serviant « in singulis ordinibus, donec ad sacerdotium perveniant ; « quod assecuti, servitium præstare non tenentur :

« Neque ex necessitate aut utilitate ecclesiæ cogi posse « simplices presbyteros, ut sine ullo stipendio eidem præstent « servitium, quod definitum fuisse ab hoc sacro tribunali « tradit Pignatellus. »

Propositum est dubium hocce modo : *An decretum Episcopi, quo prohibetur ne clerici discedant a diœcesi sine licentia ejusdem Episcopi, in scriptis habenda, sub pœna suspensionis, substineatur ? — Et quatenus affirmative, an liceat dicto Episcopo sine justa causa discessum denegare ?* Sacra autem Congregatio, die 22 novembris 1749 respondit : *Affirmative ad primam partem in casu de quo agitur : negative ad secundam et amplius.*

II.

Auctoritates pro sententia negativa, nimirum quæ tenet dictos clericos haud posse absque consensu Episcopi diœcesim suam deserere.

I. In causa *Nucerina, residentiæ*, 5 septembris 1818, agebatur de sæculari sacerdote Gervasio Aleandri, qui professoris theologiæ munus explebat in diœcesi sua Nucerina, in qua ad titulum patrimonii fuerat ordinatus. Is nullius particularis ecclesiæ servitio fuerat adscriptus. Ob exiguum, et (pro pa-

rentum suorum præsertim indigentia) insufficiens salarium, transire voluit ad diœcesim Tudertinam, in qua ipsi offerebatur rectoris seminarii et professoris rhetoricæ munus. In id consentire recusavit Nucerinus Antistes, et die 13 septembris 1816 vetuit, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ne a diœcesi discederet. Recursum ad Sedem Apostolicam instituit Gervasius, et causa S. Congregationi Concilii commissa est. Interea die 28 octobris 1816 ad Tudertinum seminarium se contulit Gervasius. Postridie ipsi a Nucerino Episcopo expeditum est novum præceptum non discedendi a diœcesi, sub pœnis ipso facto incurrendis. Fuit causa hæc in S. Congregatione Concilii vehementer disputata. Proposita sunt dubia hæc : 1° *An præceptum Episcopi Nucerini dierum* 13 *septembris et* 29 *octobris* 1816 *sit observandum?*—2° *An constet de irregularitate incursa a presbytero Gervasio Aleandri, seu potius sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate, pro cautela tantum?* Die autem 19 septembris 1818 Sacra Congregatio respondit : *Ad I affirmative, dummodo Episcopus provideat Aleandrum congrua pars diœcesi* (1) *substentatione. — Ad II affirmative ad primam partem, et consulendum Sanctissimo pro absolutione et dispensatione elargienda post reditum ad diœcesim et petitam veniam ab Episcopo.*

Ex ista decisione sic argui posse videtur : jus Episcopi Nucerini dictum presbyterum in diœcesi invitum retinendi, non proveniebat ex eo quod presbyter ille beneficium haberet residentiam exigens, neque ex eo quod alicujus particularis ecclesiæ servitio fuisset adscriptus, prout ex tota causæ hujus expositione colligendum videtur : ergo existimavit S. Congregatio invitos detineri posse ab Episcopo clericos, qui nec sunt alicujus ecclesiæ servitio adscripti, nec ullum habent beneficium residentiam exigens.

(1) Ita habetur in nova editione *Thesauri resolutionum* anni 1843, tomo 78, pag. 261 ; quæ editio mendis scatet, et quam solam præ manibus habeo. Pro istis vocibus *pars diœcesi*, forsan legendum *in diœcesi*.

II. Huic etiam doctrinæ patrocinari videtur Sacræ Congregationis Concilii decisio in causa *Reatina* (26 januarii 1833, in *Thesauro*, tomo dicti anni, pag. 29), cujus hæc summa est: Gaspar Britius (Brizi) in sua diœcesi Reatina tonsuram receperat. Postea societatem presbyterorum missionis (vulgo Lazaristarum) Romæ ingressus est; ibique sacris ordinibus ad titulum patrimonii fuit initiatus. Postmodum dictam congregationem deseruit; ipsique in patriam suam reverso commissum est erudiendæ juventutis cujusdam loci munus; pro quo exstabat fundatio, sub hac lege, quod deputatio hujusce publici magistri ad consiliarios municipales pertineret. Dicti autem municipales annuam summam scutatorum octoginta, ad id a fundatore destinatam, assignaverant, adjecta obligatione duorum sacrorum in singulas hebdomadas. Hoc munere jam a quinque annis functus erat Britius, cum vacare contigit archipresbyteralem parochiam Montis Boni, in diœcesi Sabinensi. Concurrentibus sese adjunxit Britius, examinis aleam feliciter subiit, electus est, et per Apostolicas Litteras dicti archipresbyteratus possessionem cœpit; moxque ipsum Eminentissimus Cardinalis, Sabinensis Episcopus, vicarii foranei munere auxit. At reclamavit Reatinus Antistes, contendens haud posse Britium e Reatina diœcesi discedere; et causa ad S. Congregationem Concilii perlata est.

Pro parte Britii allegabatur: 1° cum nullius ecclesiæ servitio in Reatina diœcesi fuisse adscriptum. Ejusmodi siquidem adscriptio non facta fuerat, cum tonsuram recepit a Reatino Antistite. Sed neque facta fuit cum Romæ sacris initiatus est, dum scilicet in congregatione Lazaristarum versaretur. Fuit nempe tunc ordinatus ad titulum patrimonii *simpliciter*, et non *pro necessitate aut utilitate* ullius ecclesiæ diœcesis suæ. 2° Allegabatur, Britium nullo detineri beneficio residentiam exigente. Siquidem supradictum magistri munus, cum onere aliquot legatarum missarum, utpote per consiliarios municipales ad nutum revocabile, non erat beneficium perpetuum; sed merum officium quod potuit Britius libere dimittere. Hinc

3°, pluribus adductis auctoritatibus concludebatur Britium « iis clericis accensendum esse qui sui juris sunt, ac libere « pro libitu possunt a diœcesi discedere. » Decisum quippe fuisse a S. Congregatione Concilii, in *Amerina*, 5 decembris 1574, *clericum, qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat.* Et in *Ferrariensi*, 12 junii 1604 : *Teneri illum, antequam vadat ad residentiam, petere ab Episcopo proprio licentiam, quam ipse denegare non potest.*

His tamen non obstantibus, decisum est in favorem Reatini Episcopi. Proposito enim dubio : *An et quomodo sacerdos Gaspar Brizi cogi possit ut in diœcesim Reatinam revertatur,* responsum est : *Affirmative, dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur.*

III. In causa *Amerina,* 14 decembris 1822 (*Thesauri* tom. 82, p. 278), agitur de presbytero Hippolyto Fossati, cathedralis Amerinæ beneficiato. Is sese Romam contulerat, illo utens vacationis tempore quod capitulorum beneficiatis sacri canones concedunt ; atque ibi chorali beneficio suo renuntiaverat. Hanc resignationem Dataria Apostolica acceptavit. Sed dum illud renuntiationis negotium ageretur, elapsum est trimestre absentiæ, quod dicto presbytero Amerinus Antistes concesserat. Petiit Hippolytus a S. Congregatione Concilii facultatem ulterius Romæ consistendi, allegato quod morbo laboraret. Requisitus pro informatione Amerinus Præsul respondit, allegatum morbum non esse justam causam moras Romæ protrahendi, utpote qui poterat æque bene in patria curari : unde ita subjungebat : « Oro vos tandem, Eminentissimi Patres, « animo attendere velitis ad magnam inopiam sacerdotum « hujus Amerinæ civitatis, quæ vos impellat ad indicendum « remeatum sacerdotis Fossati ad suam diœcesim ; qui saltem « huic civitati utilis erit sacrum faciendo præsertim in diebus « festivis. »

Causam S. Congregationi sic proposuit relator : « Quæstio « igitur in eo versatur, utrum sacerdos Fossati, qui jam le-

« gitime dimisit residentiale beneficium, Romæ diu morari « possit invito Episcopo. »

Ad dubium : *An et ad quod tempus sit oratori concedendum Indultum absentiæ:* Sacra Congregatio die 25 januarii 1823 respondit : *affirmative, donec convalescat.* Videtur decisio hæc supponere, remansisse quoad presbyterum Fossati obligationem degendi in diœcesi sua, quamvis jam nullum ibi haberet beneficium residentiam exigens.

III.

Subnectuntur nonnullæ ad quæstionem adnotationes.

1° Excogitabit forsan quis sententiam quamdam mediam, nimirum : non posse dictos clericos diœcesim invito Episcopo deserere, si fuerint ob ejusdem *diœcesis necessitatem aut utilitatem* ordinati : secus posse. At cum, ex Tridentinis sanctionibus, nullos ordinare debeant Episcopi, nisi quos diœcesibus suis necessarios aut utiles existimaverint, presbyteri omnes de jure censendi erunt ob dictam *necessitatem aut utilitatem* ordinati. Ergo vix unquam locus erit applicandæ primæ sententiæ, quod nempe clerici, qui nec sunt alicujus ecclesiæ servitio adscripti, nec ullum habent beneficium residentiam exigens, nequeant inviti ab Episcopo in diœcesi retineri. Quæ tamen sententia, attentis supra deductis auctoritatibus, difficile intelligi posse videtur de quibusdam dumtaxat fere chimericis casibus.

2° Aliunde tamen recentiores S. Congregationis Concilii decisiones, mihi videntur innuere, hanc esse hodie dictæ Congregationis mentem, ut possit Episcopus clericos in sua diœcesi retinere, quamvis nullius ecclesiæ servitio fuerint adscripti, et nullum habeant residentiale beneficium; dummodo tamen de convenienti sustentatione (per aliquod, verbi gratia, munus ecclesiasticum) ipsis provideat.

3° Hodie in Gallia, ut diximus, non solent ordinandi alicujus ecclesiæ servitio adscribi; et pauci sunt qui residentiale beneficium obtineant. Hinc de cæteris, (sive nullum, sive aliquod ecclesiasticum munus obeant) moveri potest quæstio, an jus sit Episcopo invitos eos in diœcesi retinendi? Juxta memoratas recentiores decisiones, videretur respondendum affirmative, dummodo Episcopus de convenienti sustentatione eis provideat. Sed (ut dixi) quæstionem hanc doctioribus enucleandam relinquo.

Nota. — *Quomodo inter se differant dimissoriæ, testimoniales, et commendatitiæ litteræ?* — 1° « Proprie loquendo litteræ *di-* « *missoriæ* sunt quæ ab Episcopo subditis suis dantur, ut ab « alieno Episcopo ordinentur, vel etiam per quas clerici a ju- « risdictione sui Episcopi liberi dimittuntur. » (Pirhing, in titulum 22, libri 1 Decretalium, n. 1.)

2° « Litteræ *commendatitiæ* et *testimoniales* nonnihil habent « discriminis; siquidem hæ fidem faciunt de susceptis ordini- « bus et carentia impedimenti canonici, quod clericos a cele- « bratione divinorum removeat; non vero de probitate vitæ « et morum integritate. E contra *commendatitiæ* litteræ sunt « quæ clericis peregrinantibus conceduntur, sine quibus in « aliena diœcesi non sunt admittendi ad sacra peragenda...; « quæque non sunt tantum de legitima ordinatione et caren- « tia impedimenti, celebrationi obstantis, sed etiam de mori- « bus et doctrina testimonium locorum Ordinariis præbent. « Unde litteræ commendatitiæ per se plus sane important « quam simpliciter testimoniales. » (Ferraris, editio Cassinensis, a Migne reproducta, verbo *testimoniales litteræ*, n. 1.)

3° Nonnunquam *testimonialium* litterarum nomine intelliguntur commendatitiæ, imo et dimissoriales: sed tunc eæ voces non usurpantur in stricto sensu.

CAPUT XXV.

AN POSSIT EPISCOPUS ADIGERE PRESBYTEROS QUI NEC SUNT ADSCRIPTI SERVITIO ALICUJUS ECCLESIÆ, NEC ULLUM MUNUS ECCLESIASTICUM GERUNT, UT INTERSINT ET INSERVIANT MISSIS SOLEMNIBUS ET ALIIS SACRIS FUNCTIONIBUS?

Practica est illa quæstio quoad illos presbyteros, qui in Gallia vocantur *habituati*. Resolvenda autem est negative, excepto casu quo vigeret in contrarium consuetudo immemorabilis. Constat sequentibus auctoritatibus.

Sacra Congregatio Concilii, in Amerina 15 januarii 1639 (libro 16 Decretorum, pag. 137) rescripsit : « Ab Episcopo non « potuisse sacerdotes et alios clericos, nulla vel tantum sim« plicia beneficia obtinentes, etiam diœcesani Synodi aucto« ritate compelli, ut dominicis et aliis diebus festis ad eccle« siam cathedralem accederent, et missis majoribus et aliis « divinis officiis intersint : sed si aliquis adesset in ordinatione « servitio dictæ ecclesiæ cathedralis adscriptus, qui locum « inconsulto Episcopo desereret, interdicendum erit tantum« modo sacrorum exercitium, juxta caput 16, sessionis 23. » Illam decisionem citat Monacellus (parte 2, titulo 15, form. 4, adnotatione 4), et postea sic adnotat : « Si vero ob parvum « numerum canonicorum et deficientiam mansionariorum, « servitium ecclesiæ cathedralis detrimentum pateretur, « tunc erit recurrendum ad Sacram Congregationem Concilii ; « quæ solet indulgere ut possint cogi presbyteri qui habent « beneficia vel capellanias in cathedrali, ad inserviendum « missis solemnibus pro diacono et subdiacono ; assignata ipsis « aliqua emolumentorum portione. » Et adducit in confirmationem quamdam dictæ Congregationis decisionem.

Sic iterum habet Monacellus (parte 1, tit. 2, form. 4, adnot. 32 et 33) : « Simplices sacerdotes, non habentes officium ne-

« que beneficium in ecclesia cathedrali, non possunt per Epi-
« scopum cogi ad eidem et canonicis inserviendum in fun-
« ctionibus ecclesiasticis.., ut pluries declaravit Sacra Con-
« gregatio Concilii. » (Et ibi plures citat decisiones.)

« Nisi tamen adesset consuetudo immemorabilis in contra-
« rium legitime probata; vel ageretur de clericis servitio
« ecclesiæ adscriptis. » Ibi alias adducit S. Congregationis declarationes.

CAPUT XXVI.

DE POTESTATE ET OFFICIO EPISCOPI RELATIVE AD SACERDOTES EXTRANEOS.

Dicemus : 1° quatenus possit aut teneatur Episcopus impedire ne missam ejusmodi sacerdotes celebrent : 2° exquiremus an possit Episcopus exigere ut ii sacerdotes recedant, et ad propriam diœcesim redeant.

§ I.

An et quatenus teneatur aut possit Episcopus presbyteris extraneis missam celebrandi facultatem denegare aut concedere.

Propositio Iª. — *Non tantum potest, sed debet Episcopus prohibere, ne in sua diœcesi ad celebrandam missam admittantur presbyteri peregrini, qui commendatitias sui Ordinarii litteras non habent, necnon vagi et ignoti.* — Nam 1° ita sanxerunt Tridentini Patres : « Nullus præterea clericus peregrinus sine
« commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad
« divina celebranda et sacramenta administranda admitta-
« tur. » (Sess. 23, c. 16, *de Ref.)* « Singuli (Episcopi) in suis
« diœcesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti

« missas celebrare liceat. » (Sess. 22, decreto de observandis et evitandis in sacrificio missæ.)

2° Hæc præcipiendo, novam disciplinam non induxit Tridentina Synodus, sed potius jam ab antiquo statutam confirmavit. Etenim Decretali *tuæ, de Clericis peregrinis,* Innocentius III, Patriarchæ Hierosolymitano, de hac ipsa quæstione sciscitanti, respondit in hunc modum : « Tuæ fraternitatis « discretio postulavit per Sedem Apostolicam edoceri, utrum « clericos, qui ad partes Hierosolymitanas sine commendatitiis « litteris veniunt, permittere debeas celebrare divina. Re« spondemus, quod nisi legitime tibi constiterit, sive per lit« teras, sive per testes, de illorum ordinatione canonica, qui « penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis ple« bibus celebrare : sed si forsitan eorum aliqui secreto ex « devotione celebrare voluerint, poteris sustinere. »

Et jam ab antiquo Chalcedonensis Synodus, canone 13, sic statuerat : « Externos clericos et ignotos in alia civitate sine « proprii Episcopi commendatitiis litteris nusquam ullo modo « ministrare. »

3° Posita conclusio extra omnem controversiam est apud doctores catholicos; prout videre est, verbi gratia, in eorum commentariis ad titulum *de Clericis peregrinis,* qui est 22 libri primi Decretalium.

Propositio IIa — *Potest Episcopus prohibere, ne rectores ecclesiarum prædictos extraneos ad celebrandam missam admittant, nisi munitos licentia, quam ipse vel vicarius generalis in scriptis dederit.* — Posset Episcopus quoad ejusmodi presbyteros statuere dumtaxat hoc modo : *Ecclesiarum et oratoriorum rectores ad celebrandam missam nullos peregrinos presbyteros admittant, præterquam munitos commendatitiis proprii ordinarii litteris.* Sic nempe sufficienter satisfaceret Tridentinæ injunctioni supra transcriptæ Nihil enim aliud Episcopo injungitur, quam ut absque dictis litteris commendatitiis ejusmodi extraneos ad celebrandam missam ipse non admittat, et *interdicat* ne ab aliis admittantur. Ubi autem dicto modo

statutum esset, non tenerentur extranei sacerdotes Episcopum ejusve vicarium generalem adire, eisque proprii Ordinarii commendatitias litteras exhibere, et celebrandi licentiam in scriptis ab ipsis obtinere. Tenerentur tantum dictas litteras exhibere rectori ecclesiæ in qua celebrare vellent; isque, visis iis litteris, eos ad celebrandum admittere posset.

At potest etiam Episcopus statuere, ut sibi ipsi vel vicario suo generali præfatæ commendatitiæ litteræ exhibeantur, et absque licentia a se vel vicario generali in scriptis concessa, nullus peregrinus ullibi ad celebrandum admittatur. Habet enim Episcopus potestatem legislativam, ac statuere potest ea, quæ utilia sibi videntur, dummodo juri communi seu universali non adversantia. Porro valde utile multis in diœcesibus esse potest, ut cura illa commendatitias litteras ab extraneis presbyteris exhibendas inspiciendi, ac eos ad celebrandum admittendi, non quibuslibet ecclesiarum et capellarum præpositis relinquatur, sed ipsimet Episcopo ac vicario generali reservetur. Præterea, in citato decreto Tridentinæ Synodi *de Observandis et evitandis in sacrificio missæ*, præter facultates Episcopis expresse concessas, generatim tribuitur potestas, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, quælibet alia decernendi quæ ad consulendum debitæ erga sanctosanctum Eucharistiæ sacramentum reverentiæ conferre existimaverint. Non ergo dubium est quin valeant quoad extraneos presbyteros dicto modo statuere. Et revera ita quamplurimi Episcopi, et multæ etiam provinciales Synodi, post Concilium Tridentinum celebratæ, disposuerunt.

Quam præterea potestatem Episcopis competere docent unanimiter doctores catholici. Inter quos sic Schmalzgrueber (ad titulum 22 *de Clericis peregrinis*, libri 1 Decretalium) : « Clerici peregrini et ignoti, ut ad divina celebranda et sacra« menta administranda admittantur, instructi esse debent « litteris *commendatitiis*, quæ non tantum de legitima ordina« tione et de carentia impedimenti celebrationi obstantis, sed « etiam de moribus et doctrina testimonium locorum Ordi-

« nariis præbeant... Estque hoc ita verum, ut Episcopus suæ « diœcesis Prælatos, etiam exemptos, et regulares, sub pœna « excommunicationis possit compellere, ne ejusmodi clericos « peregrinos ad divina mysteria celebranda admittant, donec « ipse litteras illorum testimoniales inspexerit; ut, aliis cita« tis, notat P. Wiestner. »

Propositio III^a. — *Etiam regularibus exemptis prohibere potest Episcopus, ne ad missas celebrandas admittant peregrinos sive sæculares, sive regulares diversi ordinis, antequam ipse vel vicarius generalis eis licentiam dederit : at si regularis advena ejusdem sit ordinis, missam celebrare poterit in conventu sui ordinis, absque dicta Episcopi licentia.* — Constat prior pars propositionis, ex eo quod Tridentina Synodus quoad id Episcopos constituerit Sedis Apostolicæ delegatos; ita ut regulares etiam exempti, in hac re eis subjiciantur. Atque ita tenent doctores communiter. « Episcopus, ait Wiestner, suæ diœcesis Præla« tis, etiam regularibus, sub excommunicatione prohibere « potest, ne sacerdotes sæculares, aut etiam alterius (non sui) « ordinis regulares peregrinos, ad missas in ecclesiis suis « celebrandas admittant, priusquam ipse, inspectis eorum « litteris commendatitiis, id permiserit; etiamsi Prælati illi, « eorumque ecclesiæ sint exemptæ... Ita, cum Riccio et aliis « doctoribus, Barbosa..., Palao..., Layman. » (Ad tit. 22 « libri 1 Decretalium.)

Pro posteriore propositionis parte, (quod nempe religiosus advena in ecclesia sui ordinis celebrare possit absque prævia Episcopi licentia) stat Benedicti XIV auctoritas. Sic enim habet Constitutione *quam grave*, 2 augusti 1757, § 12: « Licet « non oporteat Episcopum sollicitum esse de regularibus, qui « in propriis ecclesiis missas celebrare intendunt, *cum ejus « rei cura reservata sit eorum superioribus regularibus*, si quis « tamen sæcularis sacerdos...» Equidem objici potest Constitutio ejusdem Pontificis, quæ incipit *Apostolicum*, 30 maii 1753, in qua sic legere est : « Porro hujusmodi præscriptum « regulares etiam respicit, quoties extra diœcesim versan

« tur, in qua ad sacros ordines promoti fuere; proindeque « susceptum ordinem exercere minime possunt, *præsertim in « ecclesiis quæ ad propriam sodalitatem non spectant,* nisi prius « Episcopis aut vicariis generalibus vel foraneis superiorum « suorum documenta proferant, quibus et obtenti ordinis « testimonium, et libertas ab omni canonico impedimento « irregularitatis vel suspensionis perspecta sit. » Dicendo *præsertim,* etc., videtur includere etiam casum religiosi advenæ qui in ecclesia *sui ordinis* celebrare vult. Sed vel benigne interpretanda sunt verba hæc, vel dicendum Constitutionem hanc quoad hoc correctam fuisse per Constitutionem *quam grave,* supra citatam, utpote posteriorem.

Jam vidimus quid hac de re sentiat Wiestner. Eamdem doctrinam exprimit Leurenius (*Forum ecclesiast.,* ad titulum *de Clericis peregrinis,* quæst. 646) : « Quin etiam Episcopus « Prælatis suæ diœcesis, etiam regularibus sub excommuni- « catione prohibere potest, ne sacerdotes sæculares, aut etiam « *alterius (non sui)* ordinis regulares peregrinos ad missas in « ecclesiis suis celebrandas admittant, nisi prius ipse, inspe- « ctis eorum litteris commendatitiis, id permiserit; etiamsi « Prælati illi eorumque ecclesiæ essent exemptæ, cum id « agat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. » Consonat Layman (ad titulum 22 libri 1 Decretalium): « Addit Barbosa « quod Episcopus prohibere etiam possit ne presbyteri pere- « grini celebrare permittantur in ecclesiis regularium, nisi « ipse prius litteras eorum viderit et examinarit. Id vero in- « telligi debet de presbyteris sæcularibus, vel etiam regula- « ribus *si alterius ordinis sint,* et si Episcopus vel vicarius ejus « præsens sit. »

« Reliquum est (ait Ferraris, v. *sacerdotium,* n. 152) ut « discutiatur, an Episcopus prohibere valeat, ne sacerdotes « regulares peregrini celebrent in ecclesiis regularium? Ob- « tinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat si sacer- « dotes illi peregrini in loco illo habeant ecclesias sui ordi- « nis : possit vero prohibere, si ecclesias inibi sui ordinis

« minime habeant. Ita definisse S. Congregationem de Pro- « paganda Fide, coram Sanctissimo habitam die 18 julii 1626, « refert Romaguerra. »

PROPOSITIO IVa. — *Si presbyter peregrinus commendatitias litteras amiserit, et per testes aut alio modo sufficienter probet se esse sacerdotem commendabilem, potest Episcopus ad celebrandam missam eum admittere : at solum juramentum non supplet commendatitias litteras.* — « Sacerdos peregrinus qui litteras « commendatitias non habet (quia, verbi gratia, ea in via ami- « sit) si aliis legitimis documentis ostendat se ordinatum esse, « celebrare permittendus est, si fraudis aut vitæ flagitiosæ « nulla suspicio subsit. » (Layman, ad caput *tuæ, de Clericis peregrinis.*) Deficientibus vero etiam similibus argumentis, non sufficit solum juramentum ad quod sese offerret talis presbyter; prout expresse declaravit Innocentius III (cap. *inter, de Clericis peregrinis*). Vide Leurenium (*Forum ecclesiasticum*, ad titulum *de Clericis peregrinis*, q. 650).

PROPOSITIO Va. — *Si sacerdos peregrinus non habeat litteras commendatitias, et ideo ad celebrationem missæ non admittatur, tenent doctores eum nihilominus posse secreto celebrare, dummodo absit scandalum.* — Id inter alios docet Layman (ad titulum *de Clericis peregrinis*, cap. 3): « Si sacerdos peregrinus, inquit, « a missarum celebratione repellatur quia formatas non ha- « bet, vel suspectas habet (amoto v. g. sigillo), is potest ni- « hilominus secreto celebrare; cum suspensus vel irregularis « non sit. Ita Innocentius in capite 1 hujus tituli, Navarrus..., « Barbosa... Et Episcopus interdum dissimulare potest, nisi « probabilis fraudis suspicio adsit : tunc vero interdicere illi « debet ne privatim etiam celebret, et transgredientem pu- « nire : idque colligitur Concilio Tridentino, sessione 22, in « decreto de observandis in celebratione missæ. »

Idem tradit Castropalao : « Ipse autem sacerdos peregrinus, « qui nec commendatitias litteras defert, nec probat se ido- « neum esse, si tamen vere sit, poterit (scandalo cessante) « celebrare : quia nullo jure interdicitur. » (Tractatu 27,

disputatione unica, puncto 16, n. 2.) Et ita tenent doctores communiter.

Propositio VI^a. — *Obligatio Episcopi non admittendi ad celebrandam missam peregrinum sacerdotem commendatitiis litteris destitutum, intelligenda est de peregrino ignoto, non autem de extraneis bene notis.* — De hac quæstione sic Schmalzgrueber: « Quinam hic veniant nomine *peregrini?* Respondeo : ii qui « vagi et ignoti sunt, ex mente Tridentini, sessione 23, « capite 13, ibi : *incertis vagentur sedibus*. Nam ii qui noti « sunt, et fere etiam qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad « sacrificium missæ celebrandum passim admitti solent, quin « hujusmodi probationes, aut commendatitiæ vel testimoniales litteræ ab ipsis exhibeantur aut exigantur, ut docet « praxis quotidiana. » (Ad titulum *de Clericis peregrinis*, n. 3.)

« De cætero, inquit Leurenius, cum Tridentinum vetans « admitti peregrinos sine habitis et ostensis dictis litteris, « utatur conjunctim terminis illis *vagi et ignoti*, ii qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad celebrandas missas admitti « passim solent absque eo quod istiusmodi probationes aut « commendatitiæ vel testimoniales litteræ ab ipsis exibeantur aut exigantur, ut observat Wiestner..., cum Zypœo..., « et sic habet praxis quotidiana. » (Ad titulum *de Clericis peregrinis*, sub finem.)

« Tertio dico, quod si clericus est notus, non indiget litte« ris commendatitiis sui Episcopi... Item non indiget illis, « si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum suscipiendum fue« runt paulo ante datæ ; quia Episcopus approbans ad presby« teratum, satis videtur approbare mores..., secus si ma« gnum intervallum interfuit... Ultimo dico, talis non eget « dictis litteris ad hoc ut secrete possit admitti ad celebran« dum..., quia tunc nullum est periculum, nisi ipsi cele« branti. » (Sanchez, *Consilia moralia*, l. 7, cap. 1. dub. 47, n. 3 et 4.)

« Cæterum, ait Ferraris, si sacerdos aliquis exterus per « longum tempus in loco aliquo celebraverit, ejusque mores

« jam sint noti, non est cogendus litteras commendatitias « sui Ordinarii ostendere, ut relata resolutione S. Congre- « gationis, Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, « firmant Fermosinus..., Barbosa... » (Verbo *sacerdotium*, n. 150.)

Propositio VII^a. — *Nequit Episcopus extraneos sacerdotes arcere a celebranda missa, ob solam rationem quod extranei sint.* — Quæstio hic movetur de iis exteris sacerdotibus qui commendatitias Ordinarii sui litteras habent, nec sunt ullatenus suspecti. Quæritur an liceat Episcopo impedire ne missam celebrent, ob eam *solam* rationem quod sint extranei. Esse id in Episcopi potestate quidam nuper sustinebat. Quod nempe talibus missæ celebrationem concedat Episcopus, *meram gratiam* esse contendebat : quod autem deneget, *injuriam* non esse. Sed falsa est opinio hæc et prorsus rejicienda. Etenim,

1° Docet Layman presbyterum extraneum, qui litteras commendatitias non habet, sed per testes aliave documenta idonea probat se esse sacerdotem moribus commendabilem, ad celebrandam missam admitti debere : « Sacerdos peregrinus, « qui litteras formatas aut commendatitias non habet, si aliis « legitimis documentis ostendat se ordinatum esse, *celebrare « permittendus est,* si fraudis aut vitæ flagitiosæ nulla suspicio « subsit. » Ergo a fortiori existimat eum a celebranda missa prohiberi non posse, qui commendatitias litteras habet, quique nullatenus suspectus est.

2° Juxta communem doctorum sententiam, sub propositione 5 expositam, sacerdos exterus qui nec commandatitias litteras, nec æquivalentes probationes exhibere potest, licet ab Episcopo admittendus non sit ad celebrandam missam, jus tamen habet eam celebrandi *secreto* dummodo id fieri possit absque scandalo.

De quo hanc doctores rationem dant, *quia nullo jure interdicitur..., cum suspensus vel irregularis non sit.* Ergo aperte supponunt doctores jus habere presbyteros extraneos missam celebrandi, nisi adsit *aliqua justa causa* id eis prohibendi.

3° Equidem plures justæ causæ a jure assignantur, ob quas possit vel etiam teneatur Episcopus missæ celebrationem eis prohibere. Et præter assignatas, si quæ aliæ sint, poterit aut etiam debebit Episcopus celebrationem hanc impedire; quum illimitata potestas ei data sit ad præcavendam quamlibet erga sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum irreverentiam. Ast ubi nulla adest *justa causa*, nequaquam censenda est ipsi concessa potestas presbyteris exteris missæ celebrationem prohibendi. Nam talis potestas non esset in ædificationem, sed in destructionem. Privaret enim Deum gloria, Ecclesiam militantem gratiis, animas in purgatorio existentes juvamine, illos ipsos presbyteros inæstimabili spirituali fructu. Porro id si faceret Episcopus ex *sola ratione quod sint extranei*, faceret sine *justa causa*. Nam quod sacerdos sit in aliena diœcesi, non est *per se* delictum; siquidem (ut supra capite 24 probatum est) jus habent presbyteri, qui residere in propria diœcesi, ratione beneficii aut officii non tenentur, ab illa recedendi et in aliena sive ad tempus, sive etiam permanenter commorandi; et a fortiori jus illud habent accedente licentia et litteris commendatitiis sui Ordinarii. Si ergo legitime versentur in aliena diœcesi, et requisitas a jure commendatitias litteras habeant, nec ex ulla circumstantia suspecti sint, nulla omnino aderit *justa causa* eos a missarum celebratione arcendi.

4° Hinc tot inter canonistas, qui titulum *de clericis peregrinis* commentariis explanarunt, quique varios casus expendunt, in quibus possit aut debeat Episcopus peregrinis presbyteris missæ celebrationem interdicere, nullum inveni qui quæstionem illam moveat, an id agere possit Episcopus *ex sola ratione quod extranei sint :* adeo pro indubitato habuerunt, id nequaquam Episcopo licere.

Nota.—Ex dictis satis perspiciet lector quam aperte erraverit Ducasse *(de la Juridiction ecclésiastique,* ch. 7, sect. 6, n. 3). Postquam nempe adnotavit ille auctor ad tempus limitatum ab Episcopo dari posse presbyteris exteris celebrandi facultatem, sic addit : « Le temps de cette permission étant expiré,

« il est certain que l'Ordinaire peut non-seulement leur in-
« terdire la célébration de la messe, mais encore leur ordon-
« ner sur les peines de droit de se retirer du diocèse. La
« raison qu'en donne Févret, est que par les saints décrets
« les prêtres sont obligés de servir dans leurs diocèses, quand
« ils ne sont pas pourvus de bénéfices ailleurs : ainsi, en
« ordonnant à des prêtres étrangers de se retirer hors du
« diocèse, ce n'est pas les bannir, mais les renvoyer ailleurs:
« et c'est ce que le même auteur confirme par un arrêt du
« parlement de Paris. Il pouvait y ajouter l'article 24 de
« l'ordonnance d'Orléans, et le 27 de celle de Blois, qui en-
« joignent à tous prêtres de se retirer dans leurs diocèses et
« paroisses, excepté ceux qui ont des bénéfices ou biens suf-
« fisans pour les entretenir selon leur état, ou qui sont habi-
« tués et servent actuellement dans des églises. »

Obligatio clericorum residendi in propria diœcesi, revera exstitit prioribus Ecclesiæ sæculis ; quando nempe nullus ordinari poterat quin simul alicui ecclesiæ intitularetur seu incardinaretur, id est, ejus servitio addiceretur. Sed a multis jam sæculis disciplina hæc mutata est; et certum est ad residentiam in diœcesi non teneri clericos, qui ibi beneficium aut officium residentiam exigens non habent. Qui autem in contrarium adducunt proscripta Fevreti opera, et parlamentorum decreta, palam faciunt quam misere ipsi fuerint in transversum acti.

Et notetur hujusce opinationis incohærentia. Illi enim presbyteri extranei, quibus concedi posse ad tempus facultatem celebrandi asserit Ducasse, vel habent commendatitias Episcopi sui litteras, vel non : si non habeant, neque ad tempus eis concedi potest facultas hæc, cum idipsum prohibuerit Tridentina Synodus : si commendatitias litteras, ac proinde facultatem degendi extra diœcesim ipsis concesserint proprii Episcopi, hoc faciendo peccasse istos Episcopos concludendum esset; siquidem juxta Ducasse et ipsius theologum Févret, *par les saints décrets les prêtres sont obligés de servir dans leurs*

diocèses, quand ils ne sont pas pourvus de bénéfices ailleurs.

Cæterum legitima est et quandoque valde utilis praxis datam facultatem concedendi ad tempus limitatum, etiam iis qui commendatitiis litteris sunt muniti; dummodo ita intelligatur, ut elapso termino iterum dari debeat facultas, si nulla justa causa denegandi intervenerit. Ratio est, quia ex eo quod presbyter hic et nunc sit revera commendabilis, non sequitur quod talis erit post sex menses. Hinc quando presbyteri extranei, licet commendatitiis muniti, non sunt apprime noti, prudenter (in magnis præsertim civitatibus) ipsis imponitur, ut debeant sexto aut etiam tertio quoquo mense novam facultatem obtinere. In quo tamen prudentis Episcopi est, sicut nimiam facilitatem, ita rigorem nimium devitare.

§ II.

An possit Episcopus exteris sacerdotibus injungere, ut ab ipsius diœcesi abeant, et renuentes a celebratione missæ arcere, pœnisque plectere.

Propositio Iª. — *Presbyteri qui nec ullius ecclesiæ servitio sunt adscripti, nec ullum beneficium aut officium habent, vi cujus teneantur in sua diœcesi residere, jus habent ab ea migrandi, saltem accedente proprii Episcopi licentia.* — Sequitur ex dictis supra, capite 24.

Propositio IIª. — *Presbyteri qui jus habent e sua diœcesi migrandi, hoc ipso jus habent degendi in aliena.* — Nam idem est jus habere migrandi e propria diœcesi, et jus habere degendi in aliena.

Propositio IIIª. — *Presbyteros qui jus habent commorandi in aliena diœcesi nequit hujus diœcesis Episcopus obligare ad recedendum.* — Pugnat enim in terminis quod jus habeant in illa diœcesi degendi, et quod teneantur ab ea recedere.

Propositio IVª. — *Presbyteros qui jus habent degendi in aliena diœcesi, nequit hujus diœcesis Episcopus a celebratione missæ ar-*

cere, si habeant commendatitias litteras, nec ex ulla circumstantia suspecti sint. — Constat ex præcedenti paragrapho.

PROPOSITIO V^a^. — *Si quis exterus presbyter non habeat commendatitias litteras, etsi possit Episcopus prohibere ne missam celebret, non tamen videtur posse prohibere, absque justa causa, ne in diœcesi degat, eumve punire ex hoc solo quod discedere renuat.* — « Potest dubitari, inquit Barbosa, an Episcopus « sine causa possit expellere alienum clericum commorantem « in ejus diœcesi sine litteris sui Episcopi, qui non vult « exercere ordines, sed tanquam advena ibi commorari; vel « possit ei ingressum prohibere in ejus diœcesi. In qua quæ- « stione negative, non data justa causa, respondet Marcus « Antonius. » *(De Officio et potestate Episcopi,* parte 2, alleg. 21, n. 3.)

Idem tenet Castropalaus: « Nec expellere potest (Episcopus) « a sua diœcesi absque aliqua justa causa sacerdotem dimis- « sorias non deferentem, si sacra celebrare non intendat. » (Tractatu 27, disput. unica, puncto 16, n. 3.)

Item M. Ant. Genuensis (*praxis Archiepiscopalis curiæ Neapolitanæ*, cap. 48, n. 3) : « An Episcopus sine causa possit « expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi, « sine litteris sui Episcopi, qui non vult exercere ordines, sed « tanquam advena ibi commorari, vel possit ei ingressum « prohibere in ejus diœcesim ?... Dicendum, ut sine causa « non possit etiam denegare aditum ad ejus diœcesim ; et hæc « est verior opinio. Quæ probatur, primo ex jure gentium... « Apud omnes nationes habetur inhumanum sine aliqua spe- « ciali causa hospites et peregrinos non recipere : e contrario « autem humanum et officiosum bene se habere erga pere- « grinos, nisi male facerent. »

CAPUT XXVII.

DE POTESTATE ET OFFICIO EPISCOPI QUOAD INDULGENTIAS.

QUÆSTIO I^a. — *An et quasnam indulgentias concedere possint Episcopi?* — 1° In dedicatione ecclesiæ, possunt unius anni indulgentiam concedere : in aliis casibus indulgentiam 40 dierum tantum (vide apud Ferraris, v. *indulgentia*, art. 2, n. 7).

2° Potestas hæc, « etsi jurisdictionis et non ordinis sit, est « tamen jurisdictionis cujusdam extraordinariæ, soli dignitati « Episcopali annexæ. » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 2, c. 9, n. 7.)

3° « Jus indulgentias elargiendi *plenarie* residet in *solo* « Romano Pontifice...; atque a Summo Pontifice profluit in « Episcopos, ut docet Bellarminus, in tractatu *de Indul-* « *gentiis*, l. 1, c. 11, controv. tom. 2. » (Benedictus XIV, loco cit.)

4° Dictas indulgentias concedere possunt Episcopi confirmati, licet nondum consecrati (Ferraris, loco cit.).

5° Eas concedere possunt dumtaxat pro vivis, non autem pro defunctis : et personis diœcesis suæ (etiam exemptis) non alterius diœcesis (ibid.).

6° Hanc suam potestatem delegare possunt Episcopi etiam non sacerdotibus, dummodo sint clerici (ibid.).

7° Dictam potestatem amittit Episcopus, si cadat in excommunicationem cum denuntiatione, id est, si evadat excommunicatus vitandus (ibid.).

8° Indulgentias concedere nequeunt coadjutores Episcoporum, neque Episcopi titulares seu in partibus infidelium, neque vicarii generales; nisi specialem ad id delegationem recipiant ab Episcopo loci ordinario (ibid.). Item nequit vicarius capitularis sede vacante indulgentias concedere (Petra, ad Const. 4 Callixti III, sect. 2, n. 101).

9° Item *de Jure ordinario* indulgentias concedere nequeunt Prælati Episcopis inferiores; verbi gratia, Abbates aliive jurisdictionem quasi-episcopalem habentes, generales et provinciales religiosorum ordinum. Ast eam facultatem habere possunt ex Pontificio privilegio (ibid.).

10° Archiepiscopus indulgentias concedere potest, non tantum in sua diœcesi, sed etiam in aliis provinciæ suæ diœcesibus, etiam extra visitationem (ibid. n. 16).

QUÆSTIO IIª. — *Quodnam sit jus Episcopi, quoad Pontificias indulgentias recognoscendas et in sua diœcesi publicandas.* — 1° A Tridentina Synodo (sess. 21, c. 9) decretum est in hunc modum : « Indulgentias vero... deinceps per Ordinarios loco« rum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus po« pulo publicandas esse decernit. »

2° Vi hujus textus ad Episcopos privative spectat recognoscere Brevia indulgentiarum, quæ de novo per Papam conceduntur; atque eas publicare. « Nec aliquis (ait Ferraris, « verbo *indulgentia,* art. 4, n. 31) sine eorum licentia vel « auctoritate potest illa Brevia seu illas indulgentias publicare, « non obstante quacumque exemptione, et prætensa consue« tudine in contrarium, etiamsi pro regularium ecclesiis con« cedantur ; ut a Sacra Congregatione Concilii declaratum « fuit, apud Monacelli, tomo 2, tit. 16, formula 6, n. 8. » Cardinalis Petra (tom. 5 ; ad Const. 4 Callixti III, sect. 2, n. 96) plures allegat decisiones, quibus *soli* Episcopo indulgentias publicandi jus asseritur.

CAPUT XXVIII.

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD MISSARUM STIPENDIA ET ONERA.

QUÆSTIO Iª. — *An et quatenus ad Episcopum pertineat stipendium seu eleemosynam pro missa taxare?* — I. Ad Episcopum spectat eleemosynam seu stipendium missarum taxare : et

huic taxæ stare tenentur etiam regulares (vide S. Ligorium, l. 6, n. 319 et seq.). Certum autem est non posse sacerdotem stipendium taxam excedens exigere.

II. Nequit prohibere Episcopus ne accipiatur a sacerdote eleemosyna pinguior taxata, si sponte offeratur (vide S. Ligorium, l. 6, n. 320).

III. An possit Episcopus prohibere ne acceptetur stipendium minus taxato, controvertitur : probabilius potest. De quo sic adnotatur in causa *Alexanensi*, 12 januarii 1743 (*Thesauri*, tomo 12, pag. 8) : « Num vero Episcopus statuere « possit, ne sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna ta- « xata, disputant doctores; quorum aliqui sententiam nega- « tivam tenent...; alii vero affirmativam tuentur... Hæc « autem posterior sententia magis probatur ab hac Sacra « Congregatione ; in cujus regestis hæc habentur, sub titulo, « *S. Severini missarum*, 16 julii 1697 : *Episcopus narrat sacro-* « *sanctum missæ sacrificium quodammodo vilescere, dum sacer-* « *dotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemo-* « *synæ dimidii julii pro qualibet missa : unde supplicat declarari :* « *an ipse possit statuere eleemosynam manualem unius integri* « *julii pro qualibet missa, imponendo pœnam celebrantibus pro* « *minori quantitate ? — Sacra Congregatio respondit : affirma-* « *tive quoad eleemosynam manualem.* »

QUÆSTIO II[a]. — *An Episcopis hodie competat potestas onera missarum reducendi ?* — Respondendum negative : « Fecerant « quidem Tridentini Patres potestatem Episcopis, ut in Sy- « nodo diœcesana re diligenter perspecta *possint pro sua con-* « *scientia statuere circa missarum onera quidquid magis viderint* « *expedire,* quando vel tam magnus earum numerus imposi- « tus sit, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscri- « ptis nequeat satisfieri, vel eleemosyna hujusmodi adeo « tenuis sit, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri « subjicere (sess. 24, c. 4). At huic Tridentino decreto dero- « gandum censuit Urbanus VIII (Constitutione *cum sæpe,* « 21 januarii 1625), mandavitque adeundam esse Apostoli-

« cam Sedem, cujus est facultates in id causæ impertiri..; « irritumque edixit et inane quidquid de piis oueribus adver- « sus sancitas ea Constitutione regulas fuisset ab Episcopis « decretum. Hæc Urbani Poutificis jussa Inuocentius XII alia « Constitutione confirmavit... » (*Thesaurus resolutionum*, tomo anni 1833, pag. 416; in causa *Hieracensi*, 7 septembris 1833.)

Textum Constitutionis *cum sæpe*, Urbani VIII, reperies apud Giraldi (*Expositio juris Pontificii*, tomo 3, parte 2, sect. 67). Vide etiam Benedictum XIV (*de Synodo diœces.*, l. 13, c. 25, n. 15 et seq.), necuon S. Ligorium (l. 6, n. 331).

Ejusmodi reductioues, fieri solent a S. Congregatione Concilii justis de causis. Et qnæuam sint justæ illæ causæ, vide in *Thesauro resolutionum*, tomo anui 1844, pag. 385.

QUÆSTIO III^a. — *An et quatenus necessaria sit Episcopi licentia ut suscipi valeant perpetua missarum onera ?* — Si agatur de sæcularibus, necessaria ipsis est licentia iu scriptis data ab Episcopo vel ejus vicario geuerali : si agatur de regularibus, necessaria est licentia superioris generalis vel provincialis. Constat Decreto *cum sæpe* S. Congregationis Concilii, Urbani VIII auctoritate edito. Sic enim, in illa Coustitutione, § 8, statuitur : « S. Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, « societatibus et congregationibus; necuou omnibus et singu- « lis ecclesiarum ac piorum locorum tam sæcularium quam « regularium superioribus, vel aliis ad quos pertinet, distri- « cte prohibet, ne in posterum ouera perpetua suscipiant « missarum celebrandarum : sæculares quidem sine Episcopi « vel ejus geueralis vicarii; regulares vero sine generalis vel « proviucialis couscusu et licentia, in scriptis et gratis conce- « deuda. Alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis trans- « gressor exstiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo « ipso : regularis vero pœnam privationis omnium officiorum « quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de « cætero obtinenda, vocisque activæ et passivæ, absque alia « declaratione incurrat. » Hanc Urbaui VIII Constitutiouem

reperies apud Giraldi (*Expositio juris Pontificii*, parte 2, sectione 67, tomo 3).

CAPUT XXIX.

QUID STATUERE POSSIT EPISCOPUS QUOAD PRÆCEPTUM CONFITENDI PROPRIO SACERDOTI IN PASCHATE, ET QUOAD CONFESSIONEM IN MORTIS ARTICULO.

I. Sic decrevit canone 21, Concilium œcumenicum Lateranense sub Innocentio III : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti.*

II. Ex dictis verbis *proprio sacerdoti*, ortus error, quo asserebatur, per proprium sacerdotem intelligendum esse *solum* parochum, exclusis omnibus aliis presbyteris ad audiendas confessiones approbatis, immo (ut pauci quidam delirarunt) ipso etiam Episcopo et Romano Pontifice.

III. Non posse confessionis annuæ præcepto satisfieri per confessionem Episcopo vel Romano Pontifici factam, non minus absonum quam erroneum est (vide Benedictum XIV, *de Synodo*, l. 11, c. 14).

IV. Item posse fieri alteri quam parocho, et absque parochi licentia, annuam confessionem qua satisfiat citato canoni *utriusque sexus*, necnon confessionem in mortis articulo, fuit variis Romanorum Pontificum Constitutionibus definitum (vide Benedictum XIV, citato loco). Potest nempe utraque hæc confessio absque ulla parochi licentia, fieri cuilibet ex presbyteris ad audiendas confessiones approbatis. Hinc cum quidam Midensis Episcopus in Synodali constitutione declarasset, unumquemque teneri tempore paschali, atque in mortis articulo, sua peccata confiteri proprio parocho, vel alteri sacerdoti ab eodem parocho delegato, constitutio hæc a S. Congregatione Concilii expuncta est (Benedictus XIV, citato capite).

« Unde fideles (inquit S. Ligorius, l. 6, n. 564), libere se « possunt confiteri cuicumque confessario approbato. Ita « communiter..; idque fuse probat Benedictus XIV (notif. 18, « n. 9). Et hoc etiam tempore paschali, et invito parocho... « Illud enim quod dicitur in capite *omnis (de Pœnit. et remiss.)*, « quod fideles debeant confiteri semel in anno *proprio sacer-* « *doti*, intelligendum (ut ait ibi Glossa, et Faguanus.., ac « Cabassutius..) de omni sacerdote, qui ab Ordinario est « approbatus. Et hoc, saltem ex præsenti universali consue- « tudine, hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixe- « rint. »

V. Cum ergo ex universali jure legitime intellecto, necnon ex generali inducta consuetudine, jus habeant fideles utramque dictam confessionem faciendi cuilibet ex approbatis confessariis, potestatem suam prætergrederetur Episcopus, qui hoc jus eis adimere tentaret, quique decerneret, ut nonnisi parocho, aut alteri a parocho licentiam habenti, in paschate ac mortis articulo confiterentur. Atque id decisum est a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 3 aprilis 1584, in hunc modum : *Decretum Episcopi, in quo habetur, quod nullus confessarius etiam ab Ordinario approbatus possit tempore paschali confessiones alicujus audire sine licentia proprii curati, nullomodo est observandum ; cum satis valide faciat pœnitens, deferendo parocho fidem confessionis auditæ a persona approbata.* (Hanc decisionem refert S. Ligorius, l. 6, n. 564.)

VI. At bene potest Episcopus parochis etiam sub pœna prohibere, ne contra præfatum fidelium jus quidquam attentent. Non desunt enim adhuc hodie parochi in Gallia, qui parochianos suos quotannis, etiam e suggestu, monere pergant de prætensa illa obligatione proprio parocho, tum in paschate tum in mortis articulo confitendi; quique licentiam impertiantur aliis ab Episcopo approbatis confessariis (quasi hæc eorum licentia necessaria foret) confessiones illas faciendi. Is sane abusus, cum nihil aliud esse videatur, quam pertinax erroris toties profligati continuatio, provide ac opportune,

meo quidem judicio, diœcesanæ aut provincialis Synodi statuto resecaretur.

CAPUT XXX.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD TAXAS CANCELLARIÆ EPISCOPALIS.

Dicemus 1° de taxa Innocentiana: 2° an taxa illa vim legis universalis habeat : 3° concludemus quodnam sit jus et officium Episcopi circa taxas cancellariæ suæ.

§ I.

De taxa Innocentiana.

Editum est Innocentii XI auctoritate Decretum, italice conscriptum, quodque per extensum refert Ferraris (verbo *taxa*), quo declaratur, an et quale emolumentum exigi aut acceptari possit, tum pro variis cancellariæ episcopalis actibus et scripturis, tum pro aliis præstandis ecclesiasticis officiis. Vocari solet hoc Decretum *taxa Innocentiana*. De qua sequentes quæstiones expendendæ veniunt :

Quæstio Iᵃ. — *Quid statuerit taxa Innocentiana quoad ea quæ sacram ordinationem respiciunt.* — 1° Potest ordinans recipere oblationem candelæ seu cerei (ut habetur in Pontificali), ejus qualitatis et ponderis quæ ab Ordinario statuta fuerint.

2° Nihil aliud exigi, aut etiam sponte oblatum recipi potest, ab Episcopo, aut ab ipsius vicario generali, aliisve officialibus, sive pro ipsa tonsuræ et ordinum collatione, sive pro concessa facultate ordines recipiendi ab alio Episcopo, sive pro litteris quibus fides fit de receptis ordinibus, aut similibus qui ordinationem respiciunt actibus. Ab ea tamen generali regula excipiendus est cancellarius episcopalis, ut sequitur.

3° De cancellario seu notario episcopalis curiæ, sic decrevit Tridentina Synodus : *Notarii vero in iis tantum locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo : nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit.* (Sess. 21, cap. 1.) Id magis determinatur in taxa Innocentiana. Statuitur nempe exigi non posse a cancellario, pro singulis litteris dimissorialibus, aut collatos ordines testantibus, nisi decimam scuti romani partem. Pro actis vero quibus fides fit de sufficienti ad recipiendum subdiaconatus ordinem patrimonio aut beneficio, exigere potest pro majori vel minori impensa opera ; nunquam ultra scutum aureum.

Quæstio IIª — *Quid statuat taxa Innocentiana in materia beneficiali?* — 1° Pro collatione beneficiorum quæ ab Episcopo vel ordinario alio collatore conferuntur, atque item pro mittendo beneficiario in possessionem, nihil exigere aut recipere possunt Episcopus aut ejus officiales, excepto cancellario. 2° Cancellarius pro conficiendis instrumentis, sive collationis, sive captæ possessionis, exigere potest certam quamdam mercedem, quæ in Decreto Innocentii XI determinatur.

Quæstio IIIª. — *Quid in taxa Innocentiana occurrat dispositum, quoad erectiones benedictionesve ecclesiarum, beneficiorum, et hujusmodi?* — 1° Pro novis fundationibus et erectionibus beneficiorum, capellaniarum, confraternitatum, et congregationum, necnon pro fundationibus, benedictionibus, consecrationibus, visitatione et approbatione ecclesiarum et oratoriorum, nihil omnino emolumenti percipere potest Episcopus, ejusve vicarius generalis aut alii officiales vel familiares, excepto cancellario. 2° Cancellarius exigere potest mercedem labori impenso congruam, ita tamen ut scutum aureum non excedat.

QUÆSTIO IV^a. — *Quæ sit taxa Innocentiana quoad ea quæ matrimonium respiciunt?* — 1° Pro executione dispensationum Apostolicarum, pro testimonio de statu libero, pro dispensatione publicationum, pro licentia contrahendi domi, vel tempore vetito, vel coram non parocho, et hujusmodi, nihil emolumenti percipere potest Episcopus, aut ejus vicarius generalis, aliive officiales aut familiares, excepto cancellario. 2° Cancellarius pro executione dispensationum tres decimas partes scuti romani, pro testimonio de statu libero decimam partem scuti romani, et sic cum proportione de aliis, exigere potest.

QUÆSTIO V^a. — *Quid disponat taxa Innocentiana quoad monialium conventus?* — 1° Pro admissione ad habitum, professione, approbatione circa modum deponendi dotem, admissione puellarum educandarum, renuntiationibus quibus novitiæ sese bonis suis abdicant, electione superiorissæ, variis licentiis, et generaliter pro quibuslibet actis quæ earumdem monialium regimen respiciunt, nihil emolumenti exigere aut etiam sponte oblatum acceptare potest Episcopus, ejusve vicarius generalis, aut alii officiales; exceptis tamen comestibilibus, quæ infra tres dies consumi valeant ab eo cui ea moniales dono dant; quæ comestibilia nullatenus exigi valent, sed tantum acceptari, si a monialibus sponte offerantur. 2° Cancellarius autem, pro scripturis seu instrumentis conficiendis quando novitiæ suis bonis renuntiant, aut pro aliis similibus, congruam mercedem exigere potest, quæ tamen dimidium scutum romanum pro singulis ejusmodi actis excedere non debet. 3° Intelligenda sunt prædicta de iis etiam conventibus quæ conservatoria vocantur, in quibus nempe degunt piæ fœminæ monialium more, licet vota solemnia, aut status religiosi essentiam non habeant.

QUÆSTIO VI^a. — *Quid statuat Innocentiana taxa in iis quæ sacramentorum administrationem respiciunt?* — 1° Pro administratione baptismi, confirmationis, pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæ unctionis, necnon pro licentia eadem sacramenta

administrandi, et pro examine et approbatione ad illam administrationem prærequisitis, nihil emolumenti exigere aut etiam sponte oblatum acceptare potest Episcopus, aut ejus vicarius generalis, aliive officiales. 2° Prohibere debent Episcopi ne quidquam pro iisdem exigatur aut recipiatur a parochis et confessariis aliisve ministris. 3° Nec ipsi cancellario pro supradictis licet aliquid exigere aut recipere. 4° Item nihil emolumenti exigi potest pro benedictione quæ puerperis impertiri solet, quando prima vice post partum ecclesiam ingrediuntur.

Quæstio VIIª. — *Quid in taxa Innocentiana statutum sit pro licentia prædicandi, et aliis nonnullis.* — Nihil emolumenti exigere aut recipere potest Episcopus, nec ejus vicarius generalis, aut cancellarius aliive officiales, pro licentia prædicandi, pro licentia servilibus operibus vacandi diebus festis, pro revisione computorum quoad loca pia, pro recognitione, approbatione et publicatione reliquiarum, indulgentiarum, et concessionum altaris privilegiati; pro licentia quæstandi, pro attestatione paupertatis, pro facultate iis concedenda qui residere tenentur, quando abesse volunt; pro executione Brevium Sacræ Pœnitentiariæ. Hæc summa est præcipuorum in Decreto Innocentii XI quod taxam Innocentianam vocant, contentorum.

Nota. — Quoad emolumenta quæ cancellarius exigere possit pro sua opera in *causis contentiosis,* noluit dicta taxa Innocentius XI determinare; sed reliquit determinanda ex legitimis singularum episcopalium curiarum consuetudinibus.

§ II.

An et quo sensu Innocentiana taxa vim legis universalis hodiedum habeat.

« Controversia fuit (inquit Cardinalis Petra tomo 1, Proœ-
« mio, § 3, n. 31) in S. Congregatione Concilii anno 1699,
« inter capitulum ecclesiæ Tarraconensis et Archiepiscopum,

« utrum taxa Innocentiana, tam laudabiliter a S. M. Inno-
« centii XI jussu edita, obligaret etiam extra Italiam. » Negabat Archiepiscopus, tum ex aliis rationibus, tum præcipue quod Decretum illud italice conscriptum fuisset. Affirmabat capitulum, ex ea potissimum ratione quod S. Congregatio Concilii per circulares litteras ad quoscumque Ordinarios directas, dictam taxam observari præcepisset.

« Sub die 2 maii 1699 propositum fuit infra scriptum du-
« bium : *An taxa Innocentiana servanda sit in omnibus curiis,*
« *etiam extra Italiam ?* S. Congregatio rescripsit ad dominum
« secretarium ut exhibeatur taxa Tarraconensis. Et sic noluit
« decidere expresse dubium. » (Card. Petra, loco citato.) Idem relatum reperies in causa *Vasionensi* 6 februarii 1734 (*Thesauri* tomo 6, pag. 237, editionis romanæ 1741).

Postea tamen eadem Sacra Congregatio dictam taxam obligatoriam declaravit etiam extra Italiæ fines. Unde Ferraris absolute concludit, ubique eam esse servandam. Quibus prænotatis, sit,

PROPOSITIO I^a^. — *Videtur Innocentiana taxa etiam extra Italiam obligare seu vim legis universalis habere.* — Nam 1°, die 8 octobris 1678 Sacra Congregatio Concilii *censuit præmissam taxam seu declarationes typis dandas esse, et per litteras circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in cancellaria, in loco omnibus patenti retineri faciant, easdem adamussim observent et faciant observari* (sunt ipsa verba Sacræ Congregationis, relata apud Ferraris, verbo *taxa*). Porro Sacra Congregatio sic ad omnes Ordinarios dictam taxam transmittendo, et ejus observantiam præcipiendo, hoc ipso obligatoriam ubique eam reddidit.

2° « Taxa Innocentiana non est nisi reassumptum ordina-
« tionum sacrorum canonum et Sacrarum Congregationum.» (Ferraris, loco cit.) Porro collectio ordinationum quæ ubique obligant, est ipsamet ubique obligatoria.

3° Obligare dictam taxam etiam extra Italiam, colligitur ex Sacræ Congregationis Concilii decisionibus : « Taxa Innocen-

« tiana, inquit Ferraris (loco cit., n. 12) servanda est in om-
« nibus curiis, etiam extra Italiam. Unde Sacra Congregatio
« Concilii (in *Vasionensi, Taxarum Synodalium* quæ præscriptæ
« erant contra dictam taxam Innocentianam), ad dubium, *an*
« *taxæ præscriptæ in Synodo diæcesana Vasionensi sint observandæ*
« *et executioni mandandæ in casu,* sub die 6 februarii 1734,
« respondit : *Negative et amplius...* Taxa Innocentiana est
« omnino servanda. Propositis enim inter alia duobus sequen-
« tibus dubiis : 12° *An constet de inobservantia taxæ Innocen-*
« *tianæ in curia episcopali Alexanensi quoad collationem benefi-*
« *ciorum, ordinum, et executionem dispensationum matrimonia-*
« *lium? Et quatenus affirmative :* 13° *An et quas pœnas incurrerint*
« *Episcopus ejusque officiales in casu?* Sacra Congregatio (in
« Alexanensi, die 1 septembris 1742) respondit : *Ad* 12 *et* 13
« *Episcopus sedulo invigilet ut taxa Innocentiana omnino servetur;*
« *et quoad præteritum consulat conscientiæ suæ.* »

Propositio IIa. — *Quamvis Innocentiana taxa hodiedum ad litteram obliget, in quantum præscribit certis in casibus nihil emolumenti exigi aut recipi posse, non tamen hodie videtur obligare quoad determinatam pecuniæ summam, quam decernit posse a cancellario certis in casibus exigi.* — Pecuniæ scilicet valor varia est pro variis temporibus; ita ut verbi gratia, quod olim uno scuto romano emebatur, hodie nonnisi uno cum dimidio aut duobus emi possit. Et ideo quod congrue statutum fuit ab Innocentio XI, jam forte æquum multis in locis non foret. Unde videtur id hodie a prudenti Ordinariorum arbitrio pendere ; ita tamen ut si nimiam taxam decernant, detur recursus ad Sacram Congregationem Concilii.

§ III.

Concluditur quodnam sit jus et officium Episcopi quoad taxas cancellariæ suæ.

I. Cancellariæ episcopalis exercitium non debet vendi neque locari. Id pluries decisum a S. Congregatione Episco-

porum et Regularium vide apud Ferraris (verbo *cancellaria*, n. 7). Debet nempe Episcopus exercitium illud ministris ab ipso deputatis committere.

II. Cancellario suum constituendum est salarium fixum : nec debet ipse quidquam de emolumeutis e taxa provenientibus sibi assumere. Vide ibidem, n. 8.

III. Cancellarius qui ultra legem seu taxam exigit, concussionis reum se facit et tenetur ad restitutionem (ibidem, n. 19).

IV. Ad Episcopum pertinet cancellariæ suæ taxam edicere. Nam ex eo quod taxa illa Decreto Innocentii XI statuta sit, sequitur tantum debere Episcopum juxta illud Decretum taxam suam determinare, non autem quod nequeat ipse ullum edictum hac de re facere. Præsertim cum taxa Innocentiana non determinetur cum moneta uniuscujusque diœcesis, sed id ab Ordiuario determinandum relinquat. Et præterea praxis generalis est ut a singulis Episcopis quoad suas cancellarias ejusmodi taxa statuatur. Valde autem expedit ut statutum illud fiat in diœcesana Synodo. Et debet appendi in loco patenti cancellariæ, ut quisque videre possit num aliquid ultra taxam ab eo solvendum exigatur.

V. Nequit Episcopus in sua taxa aliqnid solvendum exigere, aut permittere ut aliquid sponte oblatum recipiatur, in iis casibus in quibus taxa Innocentiana decernit nihil exigi, aut etiam sponte oblatum recipi posse. Sequitur ex hypothesi quod taxa Innocentiana pro lege universali habenda sit. Id tamen intelligendum videtur de jure communi, et salvis contrariis consuetudinibus legitime præscriptis; si tamen alicubi ejusmodi exstent consuetudines, quæ vere contra jus commune præscripserint.

VI. Nequit Episcopus cancellariæ emolumenta ad suos aut suorum usus convertere. Aliquando tamen, ratione paupertatis, auctoritate Pontificia concessum est ut Episcopus iis emolumentis uti posset. De quo sic Ferraris (v. *cancellaria*, n. 9) : « Sacra Congregatio aliquando concessit Ordinario uti

« emolumentis cancellariæ pro solvenda pensione...; vel pro « suis necessitatibus. » Episcopus qui, absque Indulto Pontificio cancellariæ emolumenta sibi absumeret, proculdubio furtum patraret, et teneretur ad restitutionem. Hinc post solutum cancellario et aliis cancellariæ ministris salarium suum, ac deductis insuper expensis pro ipsa cancellaria factis, si quid ex emolumentis remaneat, id causis piis est expendendum, utpote quod neque ad Episcopum, neque ad ullum alium jure pertineat.

VII. Quid æquum sit taxare pro copia processuum sive actorum, colligere potest Episcopus ex pluries decisis a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium. Determinavit nempe solvendam esse vigesimam partem scuti romani pro quadraginta lineis, quarum unaquæque 20 litteris constet (vide apud Ferraris, verbo *cancellaria*, n. 16).

VIII. Nequit vicarius generalis pro executione dispensationum matrimonialium quidquam remunerationis aut stipendii recipere, etiam si in diœcesi vigeret consuetudo contraria ab immemorabili tempore. Ita colligendum venit ex decisione S. Congregationis Concilii, in causa sic inscripta, *dubia super executione dispensationum matrimonialium*, 16 decembris 1786 (in *Thesauro resolut.*, tomo 55, pag. 255, edit. Romæ 1786). Cujus causæ hæc summa est : quidam vicarius generalis, juxta *immemorabilem* diœcesis (imo et cæterarum omnium ejusdem regionis diœceseon) consuetudinem, levem aliquam remunerationem pro executione dispensationum matrimonialium per quatuor annos receperat, nimirum : *Pro subscriptione commissionis et sigillo, obolos octo : similem quantitatem ratione mandati de separando et sigilli : ratione vero sententiæ definitivæ julios duos monetæ romanæ.* In ejusmodi autem Pontificiis dispensationibus apponi solet clausula, ne is, cui executio committitur, quidquam *muneris aut præmii, etiam sponte oblati*, recipere præsumat. Equidem nonnulli auctores, inter quos Sanchez (*de Matrimonio*, l. 8, disp. 35, n. 10), tenuerunt, per dictas clausulas prohiberi solummodo *præmia* seu *munera*; non autem

justum *stipendium* pro impenso labore. Sed opinionem illam excludunt verba hæc, *etiam sponte oblati,* quibus a fortiori prohibentur remunerationes quæ non sponte offerrentur, sed titulo justitiæ seu stipendii exigerentur. Præterea ejusmodi opinionem rejecit *communior* doctorum sententia; et contra ipsam stant plures S. Congregationis Concilii declarationes.

Hinc conscientiæ suæ anxietatibus actus præfatus vicarius generalis S. Congregationem adiit; et proposita sunt hæcce dubia :

1° *An liceat vicario generali aliquid muneris sive stipendii, etiam modicum, accipere pro subscriptione et sigillo, sive alia qualibet de causa et titulo, in executione Litterarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis.*

2° *An, quibus et quomodo sit locus restitutioni.*

S. Congregatio, die 20 januarii 1787, respondit : *Ad primum, negative. — Ad secundum, ad dominum secretarium cum Sanctissimo, pro absolutione ad cautelam, et condonatione.*

CAPUT XXXI.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI QUOAD CONFRATERNITATES.

Confraternitates dicuntur fidelium societates, a religiosis ordinibus ac congregationibus diversæ, et ad exercenda pia opera, auctoritate ecclesiastica institutæ. « Laicorum societa- « tes (ait Monacellus, tit. 6, form. 11, n. 2), ad hoc in Eccle- « sia catholica fuerunt institutæ, ut in vinculo fraternæ dile- « ctionis opera pietatis, misericordiæ et charitatis exerceant; « non ut in suum commodum quidquam convertant, sed ad « æmulandum charismata meliora. » Dicemus : 1° de canonica confraternitatum erectione et alieni archiconfraternitati aggregatione : 2° de Episcoporum auctoritate in confraternitates : 3° plures alias solvemus juris quæstiones, quæ hujusmodi confraternitates respiciunt.

§ I.

De canonico modo confraternitates erigendi, et eas alicui archiconfraternitati aggregandi.

Quæstio Iª. — *Quid statuerit Clemens VIII?* — **Præcipuas de confraternitatibus juris dispositiones exhibet Constitutio** *quæcumque* **Clementis VIII 7 decembris 1604. Ejus textum reperies apud Ferraris (v.** *confraternitates*, **art. 1, sub initium). Ibidem autem summa eorum quæ in illa Constitutione statuuntur ita describitur :**

« 1° Statuit quod unica tantum confraternitas ejusdem « instituti et generis, possit in ecclesiis tam sæcularium quam « regularium institui et aggregari.

« 2° Quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum litteris « testimonialibus ejusdem.

« 3° Quod instituentes vel aggregantes confraternitatem, « eidem expresse et in specie communicent privilegia, indul« gentias, etc., ordini instituenti vel aggreganti nominatim « concessa; non vero ea, quibus per privilegium communica« tionis gaudet.

« 4° Quod statuta confraternitatum examinentur et appro« bentur ab Ordinario loci, et corrigi possint.

« 5° Quod in aggregandis et instituendis confraternitatibus, « servetur formula ab eodem Pontifice approbata.

« 6° Quod gratiæ et indulgentiæ confraternitati commu« nicatæ, prævia cognititione Ordinarii dumtaxat promul« gentur.

« 7° Quod confraternitas eleemosynas et alia charitatis « subsidia excipiat juxta formam per Ordinarium præscriben« dam.

« 8° Quod dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in uti« litatem Ecclesiæ aliosque pios usus erogentur.

« 9° Quod confessarii confraternitatum sint ab Ordinario
« approbati.

« 10° Quod si sint regulares, a propriis etiam Prælatis
« approbentur; et absolvant confratres juxta privilegia eis-
« dem concessa; dummodo (privilegia illa) sint in usu, nec
« Concilio Tridentino cæterisque Pontificum Constitutionibus
« adversentur.

« 11° Quod confratres non possint absolvi a casibus infra
« scriptis : *primo*, contentis in litteris Bullæ *cœnæ* : *secundo*,
« violationis immunitatis ecclesiasticæ : *tertio*, violationis clau-
« suræ monasteriorum monialium, si ingressus fuerit sine
« urgenti causa et absque superioris licentia, vel cum istius
« abusu : *quarto*, injectionis manus violentæ in clericum :
« *quinto*, singularis certaminis seu duelli : *sexto*, et ab aliis
« Sedi Apostolicæ et Ordinario loci respective reservatis et
« pro tempore reservandis : *septimo*, necnon a quavis excom-
« municatione ab homine lata : *octavo*, neque ab irregularita-
« tibus valeant dispensari.

« 12° Quod litteræ erectionis et aggregationis gratis den-
« tur. »

QUÆSTIO II^a. — *Ad quosnam pertineat confraternitates erigere, vel jam erectas aggregare alicui archiconfraternitati?* — 1° Eas erigere potest in sua diœcesi Episcopus, *auctoritate ordinaria.* 2° Eas etiam erigere possunt generales religiosorum ordinum *ex privilegio.* Ejusmodi quippe privilegium omnibus fere religionibus concessit seu confirmavit Paulus V. 3° Aggregatio confraternitatis alicui archiconfraternitati, ad habendas easdem indulgentias et alias spirituales gratias, per officiales illius archiconfraternitatis peragitur.

QUÆSTIO III^a. — *Quanam formula uti valeat Episcopus in erigenda aliqua confraternitate?* — Ejusmodi formulam sic tradit Monacellus (*Formularium legale*, tit. 6, formula 11) : « N. Epi-
« scopus N. — In nomine Illius qui charitas est. Cum nuper
« Nobis innotuerit, nonnullos eximiæ probitatis viros hujus
« loci N., pie considerantes, quod major pars carceratorum,

« nedum amicis qui illorum expeditionem et alimenta procu-
« rent, verum etiam notis sæpe carent : et quod cadavera
« pauperum defunctorum, præsertim extra civitatem, vel diu
« insepulta remanent, vel sine lumine ad ecclesiam deferun-
« tur, non sine dedecore religionis christianæ : cupientes
« prædictis necessitatibus et charitatis operibus providere,
« societatem sub titulo *charitatis,* in ecclesia N., quæ panes
« aliaque edulia saltem bis in hebdomada dictis pauperibus
« carceratis, necnon eos visitare et ut celeriter expediantur
« procurare, necnon cadavera pauperum defunctorum erecta
« cruce ac luminaribus, saltem uno presbytero una cum so-
« dalibus associante, ac sepulturam propriis expensis sub-
« ministrare et respective deferre debeat, inire decrevisse :

« Nos gratias Deo agentes, quod tam saluberrima charitatis
« opera in hac civitate cœperint exerceri, desiderantesque
« quod perpetuo frequententur, confratrum propositum vere
« pium laudantes, eorum petitioni libenti animo inclinati,
« prædictam institutionem et societatem, cum usu saccorum
« coloris.., ex certa nostra scientia, sub titulo *charitatis,* au-
« ctoritate nostra ordinaria approbamus, et in dicta ecclesia,
« sine præjudicio jurium ecclesiæ parochialis, perpetuo eri-
« gimus et instituimus : cum facultate statuta et ordinationes
« pro felici regimine dictorum piorum operum, a Nobis tamen
« et successoribus nostris approbanda, condendi ; eleemosy-
« nas et charitatis subsidia, in præfatos usus convertenda, in
« civitate quærendi, colligendi et administrandi ; et Nobis ac
« successoribus nostris de illis ac aliis redditibus rationem
« reddendi (remotis tamen ab ecclesia capsulis et pelvibus);
« congregationes convocandi ; resolutiones capiendi ; officia-
« les a Nobis et successoribus nostris confirmandos, eligendi ;
« sepulturam, pro confratribus tantum qui eam sibi ipsis ele-
« gerint, justis de causis animum nostrum moventibus, con-
« struendi, salvis juribus parochi et quartæ sibi debitæ. Et ita
« erigimus et approbamus, omni, etc. Datum..—N..., Episco-
« pus N...—N... cancellarius episcopalis. »

Ejusmodi formulam, utpote a jure non determinatam nec injunctam, aliis si maluerit terminis concinnare poterit Episcopus. At contrarium dicendum de duabus sequentibus formulis, quibus uti debent generales ordinum, quando confraternitatem erigunt aut aggregant; quia Sedis Apostolicæ auctoritate injunctum est, ut iis et non aliis, utantur.

QUÆSTIO IV^a^. — *Quanam formula uti debeant generales ordinum, in erigendis confraternitatibus?* — In supra memorata Constitutione *quæcumque*, § 6, ita præscripsit Clemens VIII, quoad dictos generales ordinum : *Formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent.* Est autem formula hæc tenoris sequentis :

« Nos N..., ordinis N... generalis — Religio nostra, cum « inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, « facultatem habeat sæcularium confraternitates sub invoca- « tione N... erigendi, eisque spirituales gratias privilegia et « indulgentias communicandi; in hujusmodi confraternita- « tibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promoven- « dam expedire animadvertit, liberalem se præbere consue- « vit. Nos igitur, qui generalem totius ordinis nostri curam « gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum « participatione Christi fideles ad devotionem et pietatem « magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus « concessa, confraternitatem N., in ecclesia N., loci N., diœ- « cesis N., de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem confrater- « nitatis institutum pietatem ac religionem, litteris patentibus « Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia « similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hacte- « nus erecta non fuerit, per præsentes nostras litteras erigi- « mus et instituimus; illisque et pro tempore existentibus « utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus « indulgentias, privilegia et speciales gratias sigillatim infe- « rius descriptas, nostræ confraternitati nominatim expresse « concessas per Breve Sanctissimi Domini nostri Pauli Pa- « pæ V, tenoris sequentis (*et ibi inseritur tenor concessionis*

« *Pauli V*). Quibus omnibus indulgentiis et spiritualibus gra-
« tiis descriptis, confraternitatem ipsam nunc erectam, ejus-
« que confratres potiri et gaudere decernimus, juxta felicis
« recordationis Clementis Papæ VIII Constitutionem sequen-
« tem *(et ibi inseritur tenor Constitutionis* quæcumque *Clemen-*
« *tis VIII)*. In quorum testimonium has litteras fieri, et per
« nostrum secretarium subscribi et publicari mandavimus,
« sigilloque officii nostri muniri. Datum... »

Quæstio V^a. — *Quænam formula sit adhibenda ab officialibus archiconfraternitatis, quando confraternitatem jam erectam suæ archiconfraternitati aggregant.* — Formula hæc debet esse tenoris sequentis : « Dilectis Nobis in Christo confratribus
« societatis N..., in ecclesia N..., auctoritate N... erectæ,
« salutem in Domino sempiternam. — Nos..., qui juxta of-
« ficii nostri debitum, fidelium salutem, pietatisque ac reli-
« gionis progressum procurare debemus, libenter nostræ
« archiconfraternitati alias ejusdem instituti confraternitates
« adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgen-
« gentias, facultates ac alias spirituales gratias et Indulta,
« juxta facultatem Nobis a Summis Pontificibus concessam
« impertimur. Qua de re, cum dominus N..., ejusdem con-
« fraternitatis procurator, aggregationem hujusmodi et indul-
« gentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos, pro-
« tector, prior et custodes prædicti, totam ipsam archicon-
« fraternitatem repræsentantes, felicis recordationis Clemen-
« tis Papæ VIII Constitutioni super hujusmodi aggregationum
« et cœlestis Ecclesiæ thesauri communicationum modera-
« tione editæ inhærentes, his nostris litteris, solo Dei amore,
« ac pietatis religionisque christianæ augendæ zelo ducti,
« confraternitatem prædictam, canonice ut superius erectam,
« attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac litteris
« testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas ac religio
« commendatur, nostræ archiconfraternitati (dummodo per
« Nos similis gratia prius alteri, in dicto loco N..., concessa,
« et tempore hujusmodi concessionis alii archiconfraternitati

« aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis « concessam, adjungimus et aggregamus; atque illi ejusque « confratribus indulgentias et spirituales gratias infra sigilla- « tim descriptas, nostræ archiconfraternitati Litteris Ponti- « ficiis nominatim expresse et præcise concessas largimur et « communicamus *(ibi inseritur tenor concessionis Pauli V)*. Qui- « bus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus supra si- « gillatim descriptis, prædicta confraternitas ejusque confra- « tres uti, potiri et gaudere possint, juxta Constitutionem « felicis rec. Clementis Papæ VIII, tenoris sequentis *(et ibi in- « seritur tenor Constitutionis Clementis VIII.)* Volentes et de- « cernentes præsentibus litteris nostris eamdem fidem adhi- « beri, quæ præinsertis litteris originalibns adhiberetur, si « essent exhibitæ vel ostensæ. In quorum omnium et singu- « lorum fidem et testimonium has litteras nostras exinde « fieri, et per nostræ archiconfraternitatis secretarium sub- « scribi et publicari mandavimus, et sigillorum ipsius pro- « tectoris et archiconfraternitatis appensione muniri. Da- « tum... »

QUÆSTIO VI[a]. — *An erecta una confraternitate, prohibitio erigendi aliam ejusdem instituti in eodem loco et citra distantiam trium milliariorum, aliquas exceptiones patiatur?* — 1° Certa est dicta prohibitio (vide apud Ferraris, v. *confraternitas*, art. 1, n. 29). Unde, verbi gratia, si erecta sit confraternitas sancti Rosarii in una parochia civitatis, nequit in ulla alia ejusdem civitatis ecclesia, nec etiam citra trium milliariorum distantiam, altera sancti Rosarii confraternitas erigi.

2° Ab ea tamen generali regula excipiuntur sanctissimi sacramenti, et doctrinæ christianæ confraternitates. Istæ enim possunt plures in eadem civitate, erigi: ita ut, verbi gratia, singulæ ejusdem loci parochiæ suam habere valeant.

3° Etiam quoad alias, accedente Ordinarii consensu, facile dispensari solet, ut erigi valeant, non servata dicta trium milliariorum distantia (Ferraris, loco cit., n. 29 et seq.).

QUÆSTIO VII[a]. — *An regulares qui privilegium habent confra-*

ternitates in suis ecclesiis erigendi, eas erigere valeant cum usu saccorum (l'habit des pénitents), sine licentia Ordinarii? — Respondendum negative (vide Ferraris, loco citato, n. 37; et Monacellum, titulo 6, formula XI, n. 4).

QUÆSTIO VIII[a]. — *An confraternitates laicorum in monialium ecclesiis erigi possint?* — Negative (Ferraris, ibid., n. 38).

§ II.

De Episcoporum in confraternitates auctoritate.

QUÆSTIO I[a] — *An archiconfraternitas possit confraternitati quam sibi aggregat impertiri statuta et privilegia sua?* — Potest impertiri indulgentias et gratias spirituales, non autem sua privilegia. Debent nempe, non obstante aggregatione, servari pacta et statuta in limine erectionis, Ordinarii auctoritate apposita. Unde ut archiconfraternitas sua statuta impertiri possit confraternitati aggregatæ, necesse est ut Ordinarius statuta hæc quoad confraternitatem approbet (vide apud Ferraris, v. *confraternitas*, art. 1, n. 41 et seq.). Hinc aggregatio nihil detrahit jurisdictioni quam habebat Ordinarius in confraternitatem, antequam esset aggregata.

QUÆSTIO II[a]. — *An et qualenus Episcopus confraternitates visitare possit?* — 1° Exstat celebris hac de re declaratio S. Congregationis Concilii (in *Nucerina paganorum* 23 junii 1719) tenoris hujusmodi : « Sacra Congregatio..., inhærendo decla-
« rationibus jam factis, censuit, confraternitates laicorum in
« ecclesiis regularium exemptorum institutas, subesse juris-
« dictioni et visitationi Episcopi; illasque ab eo visitari posse,
« necnon illarum capellas in iisdem ecclesiis regularium exi-
« stentes, in his tamen quæ confraternitatum administratio-
« nem respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus
« manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse vi-
« sitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cul-

« tum et ornamenta altaris seu capellæ, onera missarum « atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa « ea omnia quæ ad obligationem eorumdem confratrum rela- « tionem habent. » De illa decisione sic adnotatur apud Ferraris (v. *confraternitas*, art. 3, n. 39) : « Hæc autem resolutio, « licet in casu particulari edita sit, tamen (ut monet Bene- « dictus XIV, institutione ecclesiastica 105, n. 88) tanquam « lex generalis probata deinde fuit. »

2° Confraternitatum administratores compelli possunt ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis.

3° Potest Episcopus exigere ut libros administrationis afferant ad palatium episcopale, si sint in loco residentiæ Episcopi, seu ad domum in quo est Episcopus dum visitationem peragit.

4° Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere soleant, adhuc Episcopo eam reddere tenentur (vide hæc probata apud Ferraris, v. *confraternitas*, art. 3).

QUÆSTIO III^a^. — *An Episcopus per edicta pœnalia cogere possit confraternitates laicorum, quæ sacco utuntur, ut intersint solitis processionibus?* — Controvertitur. Vide Monacellum (titulo 6, formula XI, n. 5 et seq.). Si adsit consuetudo, et confraternitates illæ speciale privilegium exemptionis non habeant, compelli eas posse probat Ferraris (loco cit., n. 14 et seq.).

QUÆSTIO IV^a^.— *An et quatenus Episcopus possit per seipsum vel per suum delegatum confraternitatum congregationibus interesse?* — 1° Eis intervenire potest, sive per seipsum, sive per delegatum, etiam quando fiunt electiones officialium, et etiamsi congregatio fiat in regularium ecclesia seu oratorio, eo quod ibi confraternitas sit erecta; dummodo tamen *non faciat novitates.* 2° Non tamen votum habet (vide apud Ferraris, v. *confraternitas*, art. 3, n. 16 et seq.).

QUÆSTIO V^a^. — *An possit Episcopus prohibere ne, in diebus festis, celebretur missa in oratoriis confratrum ante missam parochialem?* — Affirmative (ibid., n. 22).

QUÆSTIO VI[a]. — *An et quatenus possit Episcopus se ingerere in administratione bonorum ad dictas laicorum confraternitates pertinentium?* — 1° Nequit Episcopus illam administrationem sibi assumere, sed debet eam relinquere confratribus; nisi in casu quo bona dilapidarent. 2° Jus habet confirmandi electos œconomos et administratores, atque ab eis exigendi juramentum de fideliter administrando, necuon ut sibi administrationis rationem reddant. 3° Nequit Episcopus, prohibere ne confraternitates laicorum extraordinarias expensas, viginti scutorum summam excedentes, absque ipsius licentia faciant (vide apud Ferraris, v. *confraternitas,* art. 3, n. 23 et seq.).

QUÆSTIO VII[a]. — *Quid possit Episcopus circa varia exercitia confraternitatum?* — 1° Nequit prohibere nec restringere exercitia *solita;* verbi gratia, consuetam flagellationem secreto et sine lumine; quod confratres societatis mortis incedant capite caputio cooperto, et hujusmodi. 2° At exercitia *insolita* prohibere potest, si talia ea esse existimet quæ offensionem aut scandalum excitare possint (Ferraris, ibid. 29 et seq.).

QUÆSTIO VIII[a]. — *An possint confratres, absque Episcopi licentia, sese congregare ubi et quando voluerint?*—Respondendum affirmative. Hinc non valeret decretum Episcopi, quo statueret ne in congregationem confratres conveniant absque præsentia aut licentia sui delegati, sub pœna nullitatis agendorum. Equidem interesse potest delegatus Episcopi; et, si veniat, excludi a confratribus nequit : at possunt congregationem habere absque ipsius præsentia aut licentia (Ferraris, ibid. n. 33 et seq.).

QUÆSTIO IX[a]. — *An capellani confraternitatum amoveri sine causa possint ab Episcopo, reluctantibus confratribus?* — Negative (ibid., n. 36).

QUÆSTIO X[a]. — *An confratres possint quæstuare absque licentia Episcopi?* — Negative, etiam in propria ecclesia (ibid., n. 37).

QUÆSTIO XI[a]. — *An possit Episcopus laicorum confraternitatum statuta prout opportunum existimaverit condere, corrigere,*

innovare? —Affirmative. Constat § 5 supramemorotæ Constitutionis *quæcumque*, Clementis VIII. Et hoc procedit etiamsi confraternitas alicui archiconfraternitati fuerit aggregata. Ab illa tamen generali conclusione excipienda esse statuta Sedis Apostolicæ auctoritate confirmata, necnon statuta in vim contractus condita, vide apud Ferraris, verbo *confraternitas*, in fine ultimi articuli.

QUÆSTIO XII[a]. — *An possit Episcopus confratres expellere aut novos admittere?* — Id inter alia disputatum est in causa *Balneoregiensi* 14 januarii et 26 augusti 1796 (*Thesauri*, tomo 38). Exstabat in quodam oppido Balneoregiensis diœcesis confraternitas quædam laicorum, *de Misericordia* dicta. Hujusce autem diœcesis Episcopus inter alias circa præfatam confraternitatem dispositiones, plures ex sodalibus ex albo confratrum deleverat, et novos addiderat. Id Episcopo non licuisse confratres coram S. Congregatione Concilii contenderunt; sustinentes « reintegrandos esse confratres ab albo expunctos, repellendosque alios ab Episcopo admissos; quia nulla eidem potestas sit ejiciendi sodales in legitima possessione existentes, novosque subrogandi, quod unice confratribus competit. Maxime quia ex nova admissione sborta sunt scandala... »

Causæ autem relator hac de re sic adnotat (loco cit., p. 9) : « Quoad remotionem sodalium ab albo confratrum, tradunt doctores, quod si defectuosi reperti fuerint, præmittendæ sint monitiones, nec statim a catalogo delendi; addentes, quod, pendente controversia super alicujus remotione, manuteneri is debeat in sua possessione interessendi cum cæteris, suffragium ferendi, aliaque omnia peragendi, quæ confratribus competunt. »

Ad dubium, *an sint reintegrandi confratres ultimo loco deleti ab Episcopo, et respective delendi novi confratres ab Episcopo electi*, respondit S. Congregatio, die 16 septembris 1799 : *Affirmative.*

§ III.

Aliæ nonnullæ juris quæstiones quæ confraternitates respiciunt.

QUÆSTIO I^a. — *Quomodo sese habeant, relative ad parochos, laicorum confraternitates, earumque capellani et officiales, circa jura parochialia, functiones et præeminentias? Remissive.* — Quæstionem illam vide in meo tractatu *de Parocho*, parte 4, cap. 11.

QUÆSTIO II^a. — *An confraternitates laicorum, ex ecclesiis in quibus erectæ sunt possint libere discedere et expelli?* — 1° Libere discedere possunt (vide apud Ferraris, verbo *confraternitas*, art. 1, n. 39 et 56). Licet nempe confraternitatibus sese transferre de una in alteram ecclesiam : quæ tamen translatio fieri nequit nisi de cousensu majoris partis confratrum collegialiter præstito. 2° Item licitum est regularibus a suis ecclesiis dimittere seu expellere eas confraternitates, quarum erectio ad superiores regulares non pertinet (vide loco citato). 3° « At « non levis quæstio est, an idipsum obtineat, si agatur de « confraternitatibus illis, quarum erectio ad superiores regu« larium vigore Apostolici privilegii spectat. Ratio dubitandi « inde oritur, quod confraternitates hujus generis sunt mem« bra ecclesiarum, in quibus sunt erectæ. (Ferraris, v. *confraternitas*, art. 1, n. 58.) 4° « In casu vero permissæ transla« tionis confraternitatis de una ad aliam ecclesiam, intelligitur « quoque permissa translatio bonorum ad easdem confrater« nitates spectantium. » (Ibid., n. 61.)

QUÆSTIO III^a. — *An et quatenus confraternitates ad funera possint accedere?* — De hac quæstione sic habet Monacellus (tit. 6, formula XI, n. 8) : « Ad processiones quæ fiunt occa« sione funeris, accedere non possunt, nisi invitatæ... Pluries « declaravit S. Congregatio Episcoporum, apud Pignatellum, « consultatione 73, n. 17, tomo 8. At si demum invitatæ sint,

« nec cadavera deferre (possunt) ad sepulturam, quatenus « hæredum defunctorum, a quorum libera voluntate et arbi- « trio pendet, beneplacitum non concurrat. »

Equidem Ferraris contrarium tradere videtur (verbo *confraternitas*, art. 3, n. 28) : « Nulla confraternitas impediri « debet ne accedat ad funera, modo sine jurium parochialium « præjudicio : S. Congregatio Episcoporum et Regularium, in « *Camerinensi*, 26 augusti 1616. » Ast apud eumdem Ferraris sic legere est, ibidem, articulo 6, n. 26 : « Confrater- « nitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi « specialiter et expresse vocentur. Sacra Congregatio Rituum, « in *Bononiensi*, 9 decembris 1617. »

CAPUT XXXII.

DE POTESTATE EPISCOPI VICARIOS AD ADJUVANDOS PAROCHOS CONSTITUENDI, ET CONGRUAM EISDEM ASSIGNANDI.

QUÆSTIO I^a. — *An possit Episcopus parochum cogere ut sibi unum aut plures vicarios assumat?* — Respondendum affirmative. Quoties nempe judicat Episcopus, parochum imparem esse recte administrandis sacramentis ac celebrando divino cultui, potest ac debet eum adigere ad sibi adjungendos tot sacerdotes, quot ad id muneris necessarii erunt. Constat capite 4 sessionis 21 Tridentinæ Synodi, in quo sic decernitur : « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in om- « nibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus « populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit suffi- « cere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino « peragendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet, sibi « tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad « sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. » Et notetur ad Episcopum, non autem ad parochum pertinere judicium, an necessarii sint necne vicarii. Hinc quando Epi-

scopus parocho præcipit ut sibi unum aut plures vicarios assumat, utitur jure suo. Estque id extra controversiam apud doctores. Si tamen parochus existimet necessarium non esse vicarium aut vicariorum numerum qui ipsi imponitur, poterit a gravamine ad superiorem auctoritatem appellare.

QUÆSTIO II^a. — *An vicarius a parocho assumptus debeat ab Episcopo approbari?* — Respondendum affirmative. Vide meum tractatum *de Parocho* (parte 4, cap. 2, § 2, pag. 446; et pag. 649 et seq.).

QUÆSTIO III^a. — *An possit de jure communi Episcopus vicarium ipsemet eligere?* — 1° Vicarii electio, de jure communi non pertinet ad Episcopum, sed ad parochum; ejusdem autem vicarii approbatio pertinet ad Episcopum. 2° Si parochus, intra præfixum ipsi ab Episcopo terminum, negligat sibi vicarium assumere, potest Episcopus auctoritate propria illum eligere ac deputare. Vide meum tractatum *de Parocho* (pag. 646 et seq.).

QUÆSTIO IV^a. — *An hodie in Gallia possint Episcopi propria auctoritate vicarios deputare, ita ut eorum electio parochis non relinquatur?* — Etsi vicarios eligere ad parochos de jure communi pertineat, ob speciales tamen circumstantias in quibus versantur hodie Galliarum ecclesiæ, videtur ejusmodi vicariorum electio seu nominatio in ea regione non jam ad parochos, sed ad Episcopos pertinere. Rationes vide in meo tractatu *de Parocho* (pag. 659).

QUÆSTIO V^a. — *An possit Episcopus congruam vicario assignare de fructibus seu redditibus parochiæ?* — Respondendum affirmative. Constat, tum aliis multis auctoritatibus, tum hisce verbis Innocentii XIII : « Quoties itaque... oportuerit ex « aliqua justa causa provideri per coadjutores parochorum « aut per vicarios temporarios, curæ erit Episcopis, *pro data « sibi a Tridentina Synodo potestate,* partem fructuum prædictis coadjutoribus aut vicariis assignandam determinare, « in ea quantitate quæ pro suo prudenti arbitrio et conscien« tia conveniens videbitur. » (Const. *Apostolici ministerii,* § 13.)

QUÆSTIO VI^a. — *An possit Episcopus vicariorum congruam assignare super oblationibus, quæ ex sacramentorum administratione et ex funeralibus proveniunt?* — De hac quæstione haud pridem disceptatum est, occasione decreti Reverendissimi Affre, Parisiensis Archiepiscopi; quo statuebatur ut de dictis oblationibus (exceptis funeralibus et panis benedicti oblatione) massa communis conficeretur, inter parochum et vicarios certo modo distribuenda. Recurrerunt parochi Parisienses ad Sedem Apostolicam. Videri potest, causa illa, diei 9 septembris 1848, per summaria precum S. Congregationi Concilii proposita, necnon decretum Parisiensis Antistitis, cum variis hac de re disceptationibus, in collectione *Mélanges théologiques* (3e série 1849-1850, pag. 173 et seq.). Sacræ Congregationis decisio non fuit publicata.

Decretum Parisiensis Episcopi irritum declaravit minister cultuum; contra quam potestatis laicæ interventionem, fortiter reclamatum est. Quo prænotato, ut intelligatur in quo stet quæstionis difficultas, hæc attendenda sunt:

I. Emolumenta ex funeralibus et sacramentorum administratione provenientia, de jure communi ad parochum pertinent; unde et *emolumenta stolæ* solent nuncupari. Id tanquam omnino certum hic supponimus, utpote a doctoribus communiter admissum.

II. Probabilius saltem est, dicta emolumenta, ex funeralibus et sacramentorum administratione provenientia, non esse habenda tanquam fructus beneficii parochialis, seu non esse computanda in parochi *congrua*. Equidem contrarium tenuerunt doctores nonnulli; verbi gratia, Cardinalis de Luca *(de Parochiis*, discursu 18, n. 12): qui auctores fundantur Constitutione S. Pii V *ad exequendam,* anni 1567; ubi congrua intelligitur, computatis omnibus, *etiam incertis*, emolumentis et aliis obventionibus percipi solitis. At, prout bene notatur in causa *Brictinoriensi* 18 augusti 1787 (*Thesauri* tomo 56, p. 151 et 152, edit. Romæ 1787), huic opinioni « *communis* « doctorum et Sacræ hujus Congregationis obstat distinctio,

« quod scilicet in congruam imputentur *incerta emolumenta* « quæ *moralem* habent *certitudinem*, non autem *eventualia* quæ « a sacramentorum administratione obveniunt, quæque de- « pendent a labore personali, ut sunt eleemosynæ altaris et « funerum (Benedictus XIV quæstione canonica 255, § *fun-* « *damenta;* Barbosa...; Pirhing...; et Sacra hæc Congregatio « in *Assisiensi* congruæ, 9 septembris 1786). »

Ratio est, prout adnotatur in causa *Assisiensi*, 9 septembris 1786, § *eamque* (*Thesauri*, tomo 55, pag. 212), quia ejusmodi congrua, utpote ad vitæ sustentationem data, independens esse debet ab eventualibus; « ita ut recenseantur quidem in « eam emolumenta *incerta*, quæ alias *certa* sunt, vel *moralem* « habent *certitudinem*, non autem incerta (sacramentorum, « puta, administratione obvenientia) quæ sunt *eventualia*, nul- « lamque certitudinem præ se ferunt : veluti, sancti Pii V « Constitutionem distinguendo, latius explicat Rota...; et Sacra « Congregatio in *Papiensi*, 6 martii 1723, in qua rescriptum « fuit : *Faciendum esse augmentum usque ad scuta* 40 *monetæ* « *romanæ, non computatis incertis :* prout in *Thesauro resolutio-* « *num*, tomo 2, pagina 282 et 287. »

Idem sic clarius exprimitur in causa *Eugubina* (16 augusti 1783, *Thesauri* tomo 52, pag. 187, edit. Romæ 1783) : « In « constituenda quantitate congruæ, ea solum emolumenta « calculari debent, quæ licet sint incerta, habent tamen « quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, « aliorumque fructuum, et aliarum obventionum quæ sunt « *incertæ ratione summæ :* non tamen emolumenta *omnino in-* « *certa*, ut sunt emolumenta altaris, funerum et similium ; « sicuti definivit S. Congregatio in *Iserniensi*... »

III. Certum est vicarii congruam posse ab Episcopo assignari super *fructibus parochialis beneficii*. Nam capite 5 sessionis 7 ita decrevit Tridentina Synodus : « Ipsi Ordinarii, « etiam per idoneorum vicariorum deputationem et *congruæ* « *portionis fructuum* assignationem, omnino provideant, ut « animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa

« debitis obsequiis minime defraudentur. » Decretum illud generale est quoad vicarios in beneficiis curatis constituendos; ac proinde comprehendit etiam vicarios illos de quibus agimus, quos nempe sibi adjungere debent parochi, quando per se solos impares sunt ministrandis sacramentis, et divino cultui convenienter celebrando.

Idem præterea constat ex verbis Innocentii XIII, sub præcedenti quæstione adductis : « Curæ erit Episcopis, pro data « sibi a Tridentina Synodo potestate, *partem fructuum* præ« dictis coadjutoribus aut vicariis assignandam determi« nare. »

IV. Nullibi in jure facultas Episcopo tribuitur aliter dictis vicariis congruam assignandi, quam *ex beneficii parochialis fructibus*.

V. Hinc oritur difficultas, an possit Episcopus eam congruam assignare *super emolumentis ex funeralibus et sacramentorum administratione provenientibus?*

Pro sententia *negativa* facit ratio hæc : non censendus est Episcopus posse vicarii congruam assignare aliter, quam *ex beneficii parochialis fructibus;* siquidem nullibi jus ipsi facultatem tribuit congruam illam aliter assignandi : atqui præfata emolumenta, probabilius saltem, non sunt *de fructibus parochialis beneficii*, seu computanda non veniunt in parochi *congrua:* ergo nequit Episcopus vicarii congruam ex dictis emolumentis desumendam decernere.

VI. At neque pro *affirmativa* sententia desunt rationes gravissimæ.

1° Ex capite 4 sessionis 21 Tridentinæ Synodi, potest Episcopus, quando parochi impares sunt sacramentis ministrandis et cultui divino, eos cogere, ut sibi tot sacerdotes adjungant, quot ad id muneris sufficiant. Aliunde tenetur de jure communi, qui sibi vicarium seu adjutorem assumit, justum ei salarium solvere. Ergo si nequeat parochus justum illud salarium solvere de fructibus parochialis beneficii, possit vero facile de præfatis emolumentis seu oblationibus (qui casus in

parochis Parisiensibus verificatur), tenebitur profecto ex hisce emolumentis justam vicario mercedem tribuere. Unde hoc ipso quod possit Episcopus parochum in dicto casu cogere ad assumendum sibi vicarium, potest et eum indirecte cogere ad solvendam congruam ex præfatis emolumentis. Et quænam sit justa merces determinare, ad Episcopum pertinet. Hinc si præfatus Parisiensis Antistes, taxasset dumtaxat vicariorum numerum, et solvendum eis a parocho salarium, nihil de prædictis oblationibus disponendo, jure suo usus fuisset ; et tamen debuissent Parisienses parochi vicariorum congruam ex dictis oblationibus solvere, cum (ex hypothesi) nequeant eam solvere ex proventibus parochialis beneficii, et facile e contra solvere eam possint ex dictis oblationibus, quæ summam viginti millium francorum in quibusdam parochiis superant.

2° Idem colligi potest ex mente Tridentini Concilii. Nam capite 6 sessionis 21, quoad parochias quibus præsunt rectores *imperiti,* decernit ut Episcopi « coadjutores aut vicarios pro « tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro suffi- « cienti victu assignare, *vel aliter providere possint.* » Hæc ultima verba, utpote *quolibet modo* providendi facultatem Episcopis tribuentia, includunt etiam facultatem assignandi vicariorum salarium super præfatis oblationibus. Equidem ibi agitur tantum de vicariis qui dantur parochis *imperitis :* at non minor ratio est ut dentur etiam parochis, sustinendo muneri suo, ob numerosiorem populum, imparibus. Unde mens fuit Tridentini Concilii ut, si non posset horum etiam vicariorum congrua de fructibus parochialis beneficii assignari, alio quocumque justo modo providere posset Episcopus.

VII. His pro et contra expositis, solvendam quæstionem doctioribus relinquo.

CAPUT XXXIII.

QUID STATUERE VALEAT EPISCOPUS QUOAD FORMAM HABITUS CLERICALIS.

1° Clericalis habitus formam jus commune non determinavit. Hinc adnotabant quidam Spoletanæ diœcesis presbyteri (in *Spoletana* 14 januarii 1764; *Thesauri* tomo 33, editionis repetitæ Romæ 1843), « decentem esse debere vestem clerica« lem, sed non adhuc in jure statutum, cujusmodi esse de« beat; nisi quod recipi debeat ac retineri ea, quam ex loci « qualitate communis usus probavit. Covarruvias, *Practicæ* « *quæstiones*, capite 31; et alii. » Et in causa *Nucerina*, 20 decembris 1817 (*Thesauri* tomo 72, p. 350, edit. 1843). Item adnotatur : « Qui sit dicendus amictus seu vestis ordini « clericali conveniens, difficile est generatim definire; cum « pro temporum locorumque varietate... varium esse et im« mutari posse indubitatum sit. »

2° Ad Episcopum pertinet clericalis habitus formam determinare. Nam ex capite 6 sessionis 14 Tridentinæ Synodi, tenentur clerici deferre « honestum habitum clericalem, illo« rum ordini ac dignitati congruentem, *et juxta ipsius Episcopi* « *ordinationem et mandatum*. » Verba hæc, *juxta Episcopi ordinationem*, palam faciunt Episcopo tributam fuisse potestatem determinandi, qualis formæ habitum deferre debeant diœcesis suæ clerici.

3° Etsi ad Episcopum pertineat clericalem habitum determinare, nequit tamen pro libitu, seu absque rationabili causa, novam clericalis habitus formam injungere. Nam quando lex ecclesiastica Episcopi arbitrio aliquid determinandum relinquit, intelligitur, non de arbitrio cœco et nocivo, sed de arbitrio prudenti et ratione regulato. Proinde, si nulla omnino adsit rationabilis causa ad immutandum clericalem habitum, in

aliqua diœcesi jam inductum, perperam Episcopus mutationem præscriberet; et clerus ad Sedem Apostolicam recurrens, facile ejusmodi episcopalis statuti annullationem obtineret. Quod a fortiori contingeret, si nova præscripta forma notabile quoad clerum gravamen, aliave incommoda, secum traheret; prout eveniret, verbi gratia, si quis hodie Galliæ Episcopus juberet ut clerici nonnisi sericis vestibus coloris flavi induerentur. Hinc ut ad practica quædam deveniamus.

4° Injungere potest Episcopus regulariter loquendo vestis *talaris*, nigri coloris, usum. Cum enim vestis hæc (utpote ad pedes usque protracta, et a summa usque ad infimam partem omnino clausa, et insuper quia generalioris usus est, atque omnino clericos a laicis distinguit) viros ecclesiasticos plurimum deceat, sufficientem ex hoc ipso rationem habebit Episcopus ad eam præscribendam, et de medio tollendas breviores alias vestes. Hinc, in citata causa *Spoletana*, 14 januarii 1764, frustra recurrerunt clerici contra episcopale statutum, vestem talarem injungens, et breviorem (la soutanelle) proscribens. In favorem episcopalis edicti Sacra Congregatio Concilii pronuntiavit. Diximus tamen *regulariter loquendo;* quia contingere potest ut in aliquibus regionibus (prout hodie in Anglia et similibus) talaris vestis prudenter indui nequeat. At demptis hisce exceptionalibus regionibus, timendum Episcopis non est, ne ipsorum præceptum de *talari veste* deferenda a Sacris Congregationibus infirmetur. Quod sic adnotatur in causa *Bisacciensi*, 1 martii 1738 (*Thesauri* tomo 9, seu anni 1738, pag. 48) : « Quod autem attinet ad decimum « dubium, in quo prælaudatum capitulum impugnat edictum « ab Episcopo promulgatum, super delatione habitus quem « *talarem* vocant, cum Tridentini Patres (sess. 14, c. 6), in« hærendo veteri sacrorum canonum disciplinæ.., præcepe« rint ab ecclesiasticis personis deferri debere habitum « *eorum ordini et dignitati congruentem, juxta Episcopi ordina« tionem ac mandatum,* Sacra Congregatio, consentanee ad « Conciliarem hanc sanctionem, consuevit rata habere Epi-

« scoporum decreta seu edicta, quibus talaris vestis gestatio « fuerat clericis injuncta. » Et ibi citantur septem decisiones Sacræ Congregationis Concilii, quibus confirmantur episcopalia decreta, vestis talaris gestationem præscribentia; moderatis tamen rigidioribus pœnis, queis nonnulli Episcopi ejusmodi edictum munierant. Nonnullas alias ejusmodi decisiones vide in causa *Salernitana*, 27 septembris 1732 (*Thesauri* t. 5, p. 392).

Hocce jus Episcoporum talaris vestis gestationem injungendi, tanquam omnino certum habet Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 11, c. 8, n. 1) : « In nonnullis Synodis, « inquit, aut Episcoporum edictis, jussi sunt clerici, sive in « sacris constituti, sive ecclesiasticum beneficium possidentes, « veste uti oblonga nigri coloris, quam talarem appellamus, « adjecta pœna in contumaces. Adversum has sanctiones, quas « nimio rigore conspersas dictitabant, provocarunt ecclesia- « stici ad Sacram Congregationem Concilii; sed semper pro- « vocantes succubuere... » Etiam in dicta causa *Nucerina*, 20 decembris 1817, decisum est pro valore episcopalis edicti, quo injungebatur vestis talaris delatio.

5° Potest Episcopus ea quæ prælatitiæ dignitati propria sunt (verbi gratia caudam in veste talari) clericis non Prælatis vetare. Talis quippe prohibitio rationabili ac justa causa nititur, ut patet.

6° Contrarium dicendum videtur de ornamento illo, quod vocant *rabat*, cujus in plerisque Galliæ diœcesibus a longo jam tempore generaliter usus invaluit. Cum enim ex se nil nisi decentiæ consonum habeat, et clericos a laicis discernat, nulla videtur allegari posse rationabilis causa, ad immutandum hac in re generalem diœcesis observantiam. Accedit quod ejusmodi antiquæ ac generales observantiæ, non sine aliquo cleri, id ægre plerumque ferentis, gravamine, de medio tolli queant. Præterea si possit Episcopus dictum *rabatum* proscribere, non est cur nequeat successor illud iterum revocare ac præscribere. Quæ sane frequentes habitus muta-

tiones, absque ulla rationabili causa (ut supponitur) inductæ, in injustum cleri gravamen cederent.

Et quod de præfato ornamento diximus, applicandum venit certis quibusdam petasi formis, per se decentibus et clericos a laicis discernentibus, queis totus alicujus diœcesis clerus a longo tempore uti consuevit. Edictum quippe episcopale, novam formam præscribens, rationabili causa non niteretur.

7° Ratione inducendæ uniformitatis, potest Episcopus circa habitum ea præscribere vel prohibere, quæ alias immutanda non forent, si generali usu in diœcesi vigerent. Nam hæc ipsa diversitas, in uuius ejusdemque diœcesis clero, ecclesiastici ordinis decori aliquatenus adversatur. Hinc bene poterit Episcopus, vel ex hac sola removendæ a clericali habitu varietatis ratione, præfatum (verbi gratia) *rabatum* prohibere, si pauci eo utantur; vel e contra illud omnibus injungere, si pauci sint qui illud non deferant.

8° Potest Episcopus clericos per suspensionis etiam pœnam, imo per privationem officiorum et beneficiorum, si semel correpti non obtemperaverint, adigere ad servandas suas circa clericalem habitum ordinationes; prout constat capite 6 sessionis 14 Tridentinæ Synodi.

Cavendum tamen ipsi est a nimio in hisce pœnis decernendis rigore ; præsertimque a censuris *ipso facto* incurrendis. Eas enim Sacra Congregatio Concilii non approbat, et moderari solet. Quod sic adnotavit relator in causa *Spoletana*, 14 januarii 1764 : « Sacra Congregatio nunquam reprobavit Episcopo« rum decreta de hac veste (talari) de qua agitur... Pœnas « tamen vel delevit, vel immutavit nonnunquam, et persæpe « moderata est : ut in *Hortana*, 8 julii 1690 : in *Rubensi ha« bitus talaris,* 8 augusti 1708 ; in qua ad dubium : *An edi« ctum super delatione habitus talaris in ecclesiis, illarum in« gressu vel egressu substineatur :* Responsum fuit, *substineri « moderatis pœnis arbitrio Eminentissimi Præfecti*. Qui mentem « Sacræ Congregationis esse declaravit, ab edicto Episcopi

« delendas esse contra inobedientes, videlicet quoad sacer-
« dotes, pœnas suspensionis ipso facto incurrendæ, quoad
« clericos pœnam quod non possint promoveri ad ordines
« sacros, nec admitti ad beneficia, quamvis de jure patro-
« natus...; et loco prædictarum pœnarum mulctandos esse
« in quinque libris ceræ albæ laboratæ, et in subsidium pœna
« suspensionis et interdicti ferendæ sententiæ. » (*Thesauri resolutionum* tomo 33, pagina 14, editionis Romæ repetitæ 1843.)

CAPUT XXXIV.

DE PRÆROGATIVA EPISCOPORUM QUOAD PRÆCEDENTIAM ET HONORIFICA.

§ I.

De Episcopis relative ad non Episcopos.

1° Episcopus, etiamsi nondum sit consecratus, sed tantum electus et confirmatus, præcedit ubique protonotariis Apostolicis. Vide probatum apud Ferraris (v. *Episcopus*, art. 4, n. 1).

2° Episcopus *in partibus*, qui retinet canonicatum seu dignitatem in aliqua cathedrali, præcedere debet omnibus aliis dignitatibus et canonicis, etiam ipso antiquioribus. Ita pluries decisum a S. Congregatione Rituum; vide apud Ferraris (loco cit., n. 2).

3° « Episcopus debet habere pacis osculum ante præsidem
« et consiliarios regios et omnes alios... Et quod Episcopus
« præcedere debeat quoscumque etiam principes sæculares
« in sua ecclesia et diœcesi, late et solide probat Pignatelli
« (tom. 1, consult. 7, per totum), adducens plura jura, Con-
« cilia, et præsertim Concilium Tridentinum sessione 25, ca-

« pite 17, et varia Sacrarum Congregationum Decreta.» (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 4, n. 7 et 8.)

4° « Episcopus in ecclesia debet in sublimiori loco sedere.» (Ferraris, ibid., n. 9.)

5° « Episcopus in omnibus suæ diœcesis ecclesiis, quantum-« vis exemptis et privilegiatis, est honorandus; eique in « choro, in capitulo, in processionibus, ac aliis actibus pu-« blicis, primus locus et prima sedes, quam ipse elegerit, « danda est. S. Congregatio Rituum in *Tullensi* 7 decembris « 1613. » (Ferraris, ibid., n. 10.)

6° « Episcopus debet habere sedem pulchriorem et majo-« rem quam gubernator civitatis; non tamen coloris rubei. « S. Congregatio Rituum in *Perusina* 3 octobris 1615. » (Ferraris, ibid., n. 11.)

7° « Episcopi sedes debet esse fixa et immobilis. S. Congre-« gatio Rituum in *Colimbriensi* 23 maii 1603. » (Ferraris, ibid., n. 12.)

8° « Episcopi sedes semper est ornanda. » (Ferraris, loco cit., ex S. Congregatione Rituum.)

9° « Episcopi sedes apud parietem contra altare consti-« tuenda et locanda est cum decenti ornamento; et apud se-« dem Episcopi, hinc inde, sedes seu stalla pro dignitatibus « et canonicis poni debent. S. Congregatio Rituum, in *Trajana*, « 9 octobris 1606. Potest tamen Episcopus sibi sedem in ec-« clesia extra chorum ubicumque voluerit parare,, dummodo « etiam pro canonicis locus paretur. S. Congregatio Rituum « in *Granatensi*, 9 maii 1606. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 4, n. 14 et 15.)

10° Quando Episcopus accedit ad ecclesiam exemptam, in qua Abbas, mitræ prærogativa fruens, sedem habet, paranda est sedes Episcopi in cornu dextro chori sive ecclesiæ, ita ut uno gradu eminentior sit quam sedes Abbatis, et convenienter ornata. Sedes autem Abbatis poni debet in sinistro cornu, esseque uno gradu humilior, necnon absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori. Ita pluribus S. Congregationis Rituum

declarationibus decisum, vide apud Ferraris (v. *Episcopus*, art. 4, n. 17).

11° « Episcopus tantum, et non alius, dum private cele« brat, potest accipere paramenta in ipso altari, et duos ha« bere ministros superpelliceis indutos, præter alium mini« strum clericum sive laicum, communi veste indutum. « S. Congregatio Rituum in *Cremonensi*, 7 julii 1608. » (Ferraris, loco citato, n. 18.)

12° « Episcopus potest de jure in omnibus ecclesiis suæ « diœcesis, quantumvis exemptis et privilegiatis, missas et « divina officia, cum assistentia suorum canonicorum etiam « in Pontificalibus celebrare, et in cis habere circulos; contra« dictores per censuras cogendo. » Ita, ex S. Congregatione Rituum, Ferraris, loco citato, n. 19.

13° « Episcopus extra suam cathedralem, etiam in ecclesiis « exemptis et Sedi Apostolicæ immediate subjectis, intra fines « tamen suæ diœcesis existentibus, dum ibi celebrat, aut « missæ seu vesperis solemnibus quacumque ex causa inte« rest, potest sibi assumere suos canonicos, et ibi habere « cum eis circulum ad gloriam; et ad ipsum pertinet confes« sionem facere cum sacerdote, incensum ponere et benedi« cere, ac benedictionem post vesperas vel post missam « dare. » (Ferraris, ex S. Congregatione Rituum, loco citato, n. 20.)

14° « Regulares tenentur in propriis ecclesiis erigere balda« chinum Episcopo volenti ibi functiones Pontificales exercere. « S. Congregatio Episcoporum et Regularium 16 jun. 1603, « et expresso mandato Clementis VIII. Et pœnis ac censuris ad « id (vel statim ac impediunt quin Episcopus ipse illud attol« lere faciat) compelli possunt. » (Ferraris, ibidem, n. 21.)

15° Si ecclesia regularium exemptorum sit parochialis, potest Episcopus in ea exercere jurisdictionales actus, verbi gratia, prædicare, chrisma facere, confirmationem ministrare, ordines conferre, degradare, etc. An autem id facere possit etiamsi ecclesia non sit parochialis, communius negant do-

ctores (vide apud Ferraris, v. *Episcopus*, art. 4, n. 22, 23 et 24).

16° Prædictum jus erigendi baldachinum in exemptis ecclesiis diœceseos, non competit vicario Episcopi, etiam absente Episcopo ; nec etiam coadjutori Episcopi, quamvis sit in Episcopum consecratus (Ferraris, ibid., n. 25 et 26).

17° Episcopi celebranti tenentur assistere quinque personæ juxta formam Pontificalis (ibid., n. 29).

18° Prima dignitas, quocumque nomine vocetur, tenetur Episcopo celebranti assistere (ibid., n. 30).

19° « Episcopns volens exercere Pontificalia extra eccle« siam cathedralem potest secum aliquos de capitulo du« cere, qui sibi assistant et ministrent. » (Ferraris, ibidem, n. 31.)

20° Quando Episcopus in ecclesia collegiata vel parochiali pontificaliter celebrat, si præsens sit cathedrale capitulum, ad cathedrales canonicos pertinet ei assistere, non ad canonicos collegiatæ, aut ad clerum ecclesiæ parochialis (vide apud Ferraris, ibid., n. 32).

21° « Episcopus non debet cum cappa vesperas celebrare.» (Ibid., n. 35.)

22° Episcopus *in partibus*, licet simul jurisdictionem haberet in aliqua ecclesia exempta (verbi gratia, si foret præpositus alicnjus collegiatæ) non posset in ea ecclesia confirmationem ministrare, nec alia Pontificalia exercere, sine licentia diœcesani Episcopi (vide apud Ferraris, ibid., n. 38).

§ II.

De Episcopis ad invicem.

1° « Episcopns prius promotus seu electus ad episcopatum « debet præcedere alteri Episcopo post ipsum promoto vel « electo, etiamsi sit ipso diguior et illustrior. » (Ferraris, v. *Episcopus*, art. 4, n. 3.)

2° « Episcopus diœcesanus, in sua ecclesia et diœcesi, in « functionibus episcopalibus, præferendus est omnibus Archi-« episcopis et Episcopis, etiam ipso antiquioribus et dignio-« ribus, Metropolitano tantum suo excepto. Sed ex urbanitate « debet honorare in sua diœcesi alios Episcopos advenas et « extraneos. » (Ferraris, ibid., n. 5.)

3° « Præcedentia in Conciliis provincialibus statuenda est « juxta tempus ordinationis, non autem secundum dignitatem « ecclesiarum. » (Ibid., n. 6.)

4° Episcopus exemptus, id est, immediate subjectus Sedi Apostolicæ et nulli Metropolitano subditus, non præcedit non exemptum, nisi sit in episcopatu antiquior (vide Cardinalem Petra, tomo 1, ad Constitutionem unicam Honorii II, sect. 1, n. 61).

5° Si Episcopus promoveatur ad archiepiscopatum, præcedit Episcopis, ante ipsum ad episcopatum evectis (vide apud Ferraris, v. *Episcopus*, art. 4, sub rubrica *additiones ex aliena manu*).

6° Episcopus qui dimisit episcopatum, in Concilio provinciæ in qua moratur nec interesse, nec decisivum aut etiam consultativum suffragium habere potest, nisi ex unanimi consensu Episcoporum provinciæ. Ex unanimi autem consensu admitti potest, etiam ad votum decisivum. Quod si admittatur, jus sedendi non habet nisi post provinciæ Episcopos, quamvis foret in episcopatu antiquior. Hæc sequi videntur ex declaratione S. Congregationis Concilii, *per summaria precum* expedita, 24 augusti 1850, ad Archiepiscopum Aquensem; quam declarationem reperies in diario l'*Univers* 12 septembris 1850; necnon in publicatione periodica *Correspondance de Rome*, numero seu fasciculo 39, pag. 63, 4 septembris 1850.

7° Idem videtur dicendum de quolibet Episcopo provinciæ extraneo. Si nempe in Concilio provinciali admittatur, jus sedendi non habebit nisi post omnes provinciæ Episcopos, etsi ipsis antiquior in episcopatu foret.

8° Si tamen demissionarius vel extraneus, de quibus supra,

foret Archiepiscopus, in Concilio provinciali admissus sedère deberet ante Episcopos. Nimirum ob dignitatem archiepiscopalem; quam retinet etiam qui archiepiscopatui renuntiavit, quia semel habita nunquam amittitur, ut adnotatur sequenti numero.

9° An Episcopus, qui fuit antea Archiepiscopus, præcedat Episcopos ordinatione antiquiores, in Concilio provinciali? Aliqui negarunt; sed contrarium cum aliis doctoribus tenendum existimat Cardinalis Petra (tomo 1, in Constitutionem unicam Honorii II, sectione 1, n. 62): « Nam Archiepiscopus « (inquit ibi Petra) semper retinet dignitatem. » Imo de stylo Romanæ Curiæ est ut Episcopus qui fuit antea Archiepiscopus hac formula designetur: *Archiepiscopus-Episcopus N...*

10° « Episcopus interveniens nomine Metropolitani præcedit omnes etiam antiquiores. » (Card. Petra, tomo 1, ad Const. Honorii II, sect. 1, n. 63.)

CAPUT XXXV.

QUÆNAM EPISCOPIS INCUMBAT OBLIGATIO CONCIONANDI.

I. *Quid statuerit Tridentina Synodus?* — Sic habetur sessione 5, c. 2 : « Statuit et decrevit eadem Synodus, omnes « Episcopos, Archiepiscopos, Primates et omnes alios ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non « fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. « Si vero contigerit Episcopos et alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii, viros « idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis « officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni. »

Ab eadem Tridentina Synodo (sess. 23, c. 1, *de Ref.*) declaratur, *præcepto divino* teneri Episcopos oves suas *verbi divini prædicatione pascere.*

Item sessione 24, c. 4, sic eadem Episcoporum obligatio exprimitur : « Prædicationis munus, quod Episcoporum præ-« cipuum est, cupiens Sancta Synodus quo frequentius possit « ad fidelium salutem exerceri..,mandat ut in Ecclesia sua ipsi « per se, aut si legitime impediti fuerint per eos quos ad præ-« dicationis munus assument ; in aliis autem ecclesiis per « parochos..., saltem omnibus dominicis et solemnibus die-« bus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimæ et « adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdo-« mada diebus... sacras Scripturas divinamque legem annun-« tient. »

II. *Quid tenendum cum S. Ligorio videatur.* — « Non dubito « (inquit S. Ligorius, l. 3, n. 269) cum Salmanticensibus... « et Barbosa, quin prædictum præceptum obliget tam Epi-« scopos quam parochos graviter et absolute.. Episcopi autem « rarius quidem quam parochi tenentur conciones facere. » Idem auctor, libro 4, n. 127, sic adnotat : « Quoad Episco-« pos, ait Sporer (tomo 3, p. 73, n. 27) quod licet ipsi regu-« lariter, *juxta consuetudinem,* non teneantur per se prædicare « et sacramenta ministrare, debent tamen personaliter invi-« gilare ut per alios id præstent... Dictum est *regulariter ;* « nam puto saltem aliquando Episcopos teneri ad concionan-« dum. » Admittit ergo S. Ligorius, Episcopos non teneri regulariter per seipsos prædicare, sed dumtaxat aliquando; atque ita per universalem consuetudinem moderatas fuisse Tridentini Concilii sanctiones, in quantum aliquid amplius exigere videntur.

CAPUT XXXVI.

NOTANTUR ALIA NONNULLA AD EPISCOPORUM OFFICIUM PERTINENTIA.

I.

De obligatione Episcopi beneficia dignioribus conferendi.

I. Episcopi ad beneficia *curata* digniores eligere tenentur, et quidem sub gravi. Vide probatum a S. Ligorio (l. 4, n. 92), estque id extra controversiam omnem. Unde nequaquam licet Episcopo vacantem parochiam conferre digno, relicto digniore. Sed notetur majorem dignitatem accipiendam esse, non absolute, sed relative ad diœcesis et fidelium utilitatem.

II. Si agatur de beneficiis simplicibus, disputatur an liberum sit Episcopo ea conferre dignis, relictis dignioribus. Communior et probabilior sententia negat. Vide S. Ligorium (l. 4, n. 93).

II.

Obligatio syndicandi vicarium capitularem, id est, exigendi ab ipso rationem administrationis.

« Episcopus potest rationem administrationis officii exigere « a vicario capitulari tempore sedis vacantis constituto; et, « si reus reperiatur, punire; ut declaravit S. Congregatio « Concilii (8 aprilis 1595, ad caput 16 sessionis 24 *de Reformatione*). Immo Episcopus omittens scienter et negligenter « facere syndicatum vicario capitulari, secundum graves « doctores peccat mortaliter; quia Concilium Tridentinum, « dicto capite 16 sessionis 24 *de Reformatione,* non consulit

« aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administra-
« tionis officii a vicario et aliis officialibus capituli, sed ei
« præcipit et imperat illis verbis, *rationem exigat.* » (Ferraris, v. *Episcopus,* art. 6, n. 13 et 14.) Vide etiam Monacellum (parte 3, tit. 1, form. 40, n. 2).

III.

Quoties teneatur Episcopus missam celebrare.

« Quoad autem Episcopos, dicit Habert, ex capite ultimo
« *de Privilegiis* in 6, eos non decere ullam diem transigere sine
« missa, remota rationabili causa ; sed advertendum quod
« textus non loquitur absolute de celebratione, sed vel de
« celebratione, vel de auditione missæ. » (S. Ligorius, l. 6, n. 313.)

CAPUT XXXVII.

DE OFFICIO ET POTESTATE EPISCOPI, QUOAD CONCILIUM PROVINCIALE, QUOAD CANONICOS SEU CAPITULA, QUOAD REGULARES, ET QUOAD JUDICIA ECCLESIASTICA (REMISSIVE).

De singulis hisce materiis speciales edidimus tractatus, qui inscribuntur : *de Capitulis, de Concilio provinciali, de Jure regularium, de Judiciis ecclesiasticis.* In iis facile reperiet lector quæ Episcoporum officium et potestatem quoad materias illas respiciunt.

PARS VI

DE

CELEBRANDA DIOECESANA SYNODO.

Triplici sectione præsentem tractatus partem absolvemus : 1° varias exponemus notiones ac juris dispositiones, quæ diœcesanam synodum respiciunt : 2° celebrandæ synodi ordinem seu practicam formam describemus : 3° formulas subnectemus, quæ in diœcesanæ synodi celebratione adhibendæ occurrunt.

SECTIO I.

Exponuntur variæ notiones ac juris dispositiones quæ diœcesanam Synodum respiciunt.

CAPUT I.

QUID SIT DIŒCESANA SYNODUS, ET QUO NOMINE IPSA NECNON EJUS DECRETA COHONESTARI VALEANT.

I. Definitur a Gavanto diœcesana Synodus, « Congregatio « legitima, quam facit Episcopus cum clericis sibi subditis in « sua diœcesi, de iisque in ea tractat quæ curæ suæ pastorali « incumbunt. Quæ definitio satis aperte patet. » (Gavantus, *Praxis Synodi diœcesanæ*, cap. 1.) « Ab Antonio Paulutio... « Synodus diœcesana hisce fere verbis describitur : *Legitima* « *Congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suæ* « *diœcesis, aliisve qui ad eam accedere tenentur, in qua de his* « *quæ curæ pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est.* » (Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 1, c. 1, n. 4.) Nec discrepant quoad sensum aliæ, quæ apud doctores occurrunt, definitiones. De vocis etymologia diximus in alio tractatu (*du Concile provincial*, pag. 4). Ibidem etiam adnotatum reperies, hac *Synodi* vocabulo designari etiam alias Conciliorum species, id est, Concilium œcumenicum, nationale et provinciale; cum aliquo tamen discrimine, videlicet : quamvis huic triplici Conciliorum speciei conveniat *Synodi* denominatio, non tamen vice versa *Concilii* nomen diœcesanæ Synodo tri-

buendum est : id enim recepto jamdudum stylo ecclesiastico adversatur. Item cum sola et sine addito adhibetur *Synodi* denominatio, diœcesanam Synodum plerumque designat, non œcumenicam aut provincialem.

II. Quantæ autem utilitatis sint diœcesanæ Synodi, luculenter ostendit Benedictus XIV *(de Syn. diœc.*, l. 1, c. 2), adductis quamplurimis, iisque gravissimis, auctoritatibus.

III. Ad nomina quod attinet, quibus tum ipsa, tum ipsius decreta commemorari deceat, imprimis cavendum est, ne *sanctæ Synodi* appellatione designetur. Hæc enim denominatio, ne provinciali etiam Concilio tribuenda est. Equidem si antiquitatis monumenta lustremus, occurrunt identidem provincialibus Conciliis applicatæ hujusmodi locutiones, *sancta Synodus præcipit*, *sancta Synodus statuit*. Ast jam ab anno 1565, rescribebat sanctus Pius V : « Verba hæc, *sancta Synodus*, non « conveniunt Synodo provinciali, sed universali.» (Vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 3, n. 1.) Multo magis dedeceret hisce verbis insigniri diœcesanam Synodum.

Attenta sola vocis etymologia et grammaticali sensu, *canonum* appellatione recte vocari possent diœcesanæ Synodi statuta seu constitutiones. Græca siquidem vox Κάνων regulam significat, et veræ regulæ sunt statuta illa. « At, si communem « vocis acceptionem attendimus, præfatas constitutiones *cano-* « *nes* appellare prohibemur. Usus quippe nunc communiter « et præcipue apud doctores invaluit, ut *canonis* nomine sola « denotentur Constitutiones, quæ universam obstringunt Ec- « clesiam, quales illæ sunt, quæ aut Conciliis generalibus aut « a Summo Pontifice promanant. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 3, n. 3.)

Nonnullis etiam displicuit *constitutionum* nomen ad denotanda diœcesanæ Synodi statuta : ast immerito, prout palam facit laudatus Benedictus XIV (loco cit., n. 5), et confirmat receptus loquendi usus. Quod autem recte adhibeatur *statutorum* vel etiam decretorum Synodalium locutio, extra quæstionem est.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE DIŒCESANAM SYNODUM QUOTANNIS CELEBRANDI.

QUÆSTIO I^a.— *Quænam ante Tridentinum Concilium exstiterit obligatio diœcesanam Synodum celebrandi?* — Olim sicut provinciales, ita et diœcesanas Synodos bis in anno celebrari debuisse tradit et variis documentis firmat Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 1, c. 6). Postea Innocentius III obligationem reduxit ad unicam singulis annis celebrationem, tum quoad provincialem, tum etiam quoad diœcesanam Synodum. En illius Pontificis verba: *Sicut olim a sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani* singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare... *publicaturi ea* (quæ statuerint) *in episcopalibus Synodis, annuatim per singulas diœceses celebrandis* (capite *sicut olim*, 25 *de Accusationibus*). Quamvis autem, a tempore Innocentii III, et aliquanto etiam tempore antea, ut ipsius verba innuunt, licitum fuerit unicam dumtaxat quolibet anno Synodum celebrare, non tamen ubique desiit mos bis eam cogendi, ad antiquioris disciplinæ tramites. Etenim in constitutionibus Synodalibus a Joanne d'Orléans, Tolosano Archiepiscopo, anno 1531 editis, tit. 78, n. 3, sic legitur :

« Antiqua prædecessorum nostrorum insequentes vestigia, « statuimus et ordinamus, duas Synodos quotannis celebran« das. » Has Synodales constitutiones reperies in collectione quæ inscribitur *Jus sacrum ecclesiæ Tolosanæ* (pag. 391, edit. Tolosæ 1679). Quam compilationem cum notis vulgavit Simon de Peyronnet, parochus. Ad citatum autem locum sic adnotat : « Sane mos iste celebrandæ binæ Synodi in anno apud « nos perduravit usque ad aunum 1620, ut perspicuum fit ex « regestis Synodalibus hujus diœcesis; qui utinam nostra

« tempestate postliminio revocetur. Sed quidquid hac de re « sit, saltem semel in anno ab Episcopo cogendam Synodum « diœcesanam manifeste probatur ex...»

Quæstio IIa. — *Quid statuerit Tridentinum Concilium?* — Edixit (sessione 24, capite 2, *de Ref.*) ut Concilia provincialia *quolibet saltem triennio* haberentur; diœcesanæ autem Synodi *quotannis*.

Quæstio IIIa. — *Quasnam pœnas ex jure Tridentino incurrant Episcopi, dictæ obligationi non satisfacientes?* — Sanxerunt Tridentini Patres (loco citato) in hunc modum : « Quod si in « his tam Metropolitani quam Episcopi... negligentes fuerint, « pœnas sacris canonibus sancitas incurrant. » Quænam autem sint pœnæ illæ a sacris canonibus sancitæ, meminit Benedictus XIV, sic redarguendo eos Episcopos, qui ex mera negligentia Synodum celebrare prætermittunt : « Meminisse de« berent se, præter reatum inobedientiæ, pœnam incurrere « suspensionis ab officio, statutam in capite *sicut olim* (de Ac« cusationibus) : *Quisquis autem hoc salutare statutum neglexe« rit adimplere, a sui executione officii suspendatur.* Licet pœna « hujusmodi, ut ipsa indicat vox *suspendatur*, non sit latæ, sed « ferendæ sententiæ. » (*De Synodo diœc.*, l. 1, c. 6, n. 5.)

Quæstio IVa. — *An hodie adhuc obligatoria sit Tridentina lex, diœcesanam Synodum quotannis celebrari præscribens?* — Pro quæstionis gravitate, referemus primo aliquot canonistarum sententiam quæ dictam obligationem notabiliter minuit; tum subjiciemus quid hoc in re senserit Benedictus XIV; tandem quæstionem ipsam pro modulo nostro quoad hodierna tempora, et in particulari quoad Galliam, expendemus.

I. *Aliquot canonistarum sententia, dictam obligationem a Tridentino decreto impositam multum imminuens.* — « Præfatum « præceptum, Synodum quotannis celebrandi, a sacris cano« nibus toties impositum et repetitum, atque a sacro Conci« lio Tridentino denuo restauratum, nimium benigne mode« rantur aliquot jurisperiti. Monacellus (in *Formulario legali*

« *practico*, tit. 5, formula 3, n. 1), opinatur Episcopum, primo « et secundo anno a suscepto suæ ecclesiæ regimine, debere « diœcesim perlustrare, ut serpentia in ea mala inspiciat, ac « tertio anno Synodum cogere, in qua illis coercendis oppor- « tuna opponat repagula. Paxjordanus... non dubitavit gene- « ratim et absque ulla limitatione asserere, satis esse ut quo- « libet triennio diœcesana Synodus habeatur. Episcopus Bra- « schius... existimat non posse quoad hoc præscribi certam « absolutam et universalem regulam ab omnibus ubique custo- « diendam ; quia, ait, in aliquibus diœcesibus necessaria erit « crebrior Synodorum coactio, in aliis minus frequens suffi- « ciet. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 1, c. 6, n. 5.)

II. *Quid senserit Benedictus XIV.* — « Nos vero, quanquam « non negemus, potuisse Tridentini Decretum contraria con- « suetudine nonnihil emolliri et temperari, non idcirco tamen « approbamus effrenem istam licentiam, quam privati do- « ctores sibi usurpant, illud pro libito, etiam contra expressa « ejusdem verba, interpretandi et limitandi : neque illos ex- « cusamus Episcopos, qui, cum nihil sit quod eos impediat, « ex sola socordia et negligentia Synodum facere prætermit- « tunt : eosque magis redarguimus, qui cum plures annos « diœcesim gubernaverint, ne de cogenda quidem Synodo « unquam cogitarunt. Hi enim, cæterique, qui ex mera incu- « ria et inertia præfato Tridentini præcepto non parent, et « sine ulla causa Synodum facere omittunt, meminisse debe- « rent se, præter reatum inobedientiæ, pœnam incurrere su- « spensionis ab officio...; licet pœna hujusmodi...non sit latæ, « sed ferendæ sententiæ. » (*De Synodo diœcesana*, l. 1, c. 6, n. 5.)

III. *Expenditur ipsamet quæstio, videlicet, num hodie sub gravi obliget Tridentinum præceptum de annua diœcesanæ Synodi celebratione.* — 1° Ideo tantum prætendi posset non obligare hodie dictam legem, quia contraria consuetudine legitime contra illam fuisset præscriptum. Etenim certum est ejusmodi legem

Tridentinam nunquam fuisse revocatam. Unde nisi ex desuetudine vigere desierit, adhuc obligatoria censenda est; et quidem sub gravi, cum de gravitate materiæ nullum moveri possit dubium. Imo et sub pœnis a Tridentina Synodo confirmatis, cum neque unquam pœnæ istæ revocatæ fuerint aut immutatæ.

2° Desuetudo proveniens, non ex negligentia, sed ex morali impossibilitate præceptum adimplendi, obligationem non sustulit. Id vide probatum in alio meo tractatu (*du Concile provincial*, première partie, chapitre 8). Hinc si ea de causa omissa sit ab Episcopis annua Synodi celebratio, quod per guberninm, aut aliis ex difficultatibus, eam adunare prohibiti sint, perperam concluderetur ob talem desuetudinem non obligare præceptum, statim ac impedimenta sublata sunt.

3° Etiamsi desuetudo ex negligentia inducta sit, probabiliter obligationem non sustulit. Equidem regulæ generalis instar tenent doctores, præscribi contra legem mere ecclesiasticam, per consuetudinem contrariam, cum possibilis et facilis esset legis observatio. Atvero lex Tridentina de qua agimus ab illa generali regula probabiliter excipienda est. Nam tenent doctores quamplurimi, contra decreta Tridentina non dari præscriptionem, ob clausulam qua Pius IV irritavit contrarias hisce decretis quæ in posterum inducerentur consuetudines; et ita sentiunt Benedictus XIV (institutione 60, n. 7), de Luca, Pignatelli, Pitonius, Rota, aliique auctores gravissimi. Idem nos ex alio capite deduximus : ex eo quod nempe Sedes Apostolica, per suarum Congregationum declarationes et praxim, satis patefaciat se non consentire consuetudinibus, quæ Tridentinis decretis adversantur (vide meum tractatum *de Principiis*, pagina 369 et seq.). Forsan etiam dici posset, legem de celebranda quotannis diœcesana Synodo de iis esse, quarum violatione disciplinæ ecclesiasticæ nervus relaxatur : porro consuetudo quæ talem habet effectum, fatentibus omnibus, corruptela est, et nunquam legitime contra legem præscribere potest.

4° In Gallia, sicut liberum non fuit Episcopis Concilia provincialia statis temporibus celebrare, obstantibus nempe ex parte gubernii difficultatibus plurimis (prout probavi in meo tractatu *du Concile provincial*, pag. 51 et seq.), ita pariter ejusmodi extrinsecis difficultatibus, potius quam eorum negligentiæ tribuendum, quod Synodos diœcesanas regulariter quotannis non habuerint. Unde in ea regione desuetudo, utpote proveniens ex morali quadam impossibilitate legem implendi, non videtur contra Tridentinum præceptum legitime præscripsisse.

5° Hinc, etiamsi nuper in Galliis interrupta non fuisset dicta desuetudo, tuti in conscientia nequaquam mihi viderentur illius regionis Episcopi, qui diœcesanæ et provincialis Synodi celebrationem, nullo canonico impedimento prohibiti, prætermitterent.

6° Ast hodie, ne allegari quidem potest præfata desuetudo. Nuper enim in tota fere illa regione celebratæ feliciter fuerunt et provinciales', et diœcesanæ Synodi; ex quo facto sicut interrupta fuit dicta desuetudo, ita lex totam suam obligandi vim (si forte eam ex ista desuetudine amisisset) certo resumpsit.

Præterea in nuperis illis provincialibus Conciliis expresse Galliæ Episcopi declararunt, recipi a se tum Tridentinas, tum posteriores etiam Pontificias Constitutiones omnes, de universali disciplina decernentes.

Quæstio V^a. — *Num ab annua Synodi celebratione excusetur Episcopus, ex eo quod ipsius diœcesis novis constitutionibus non indigeat?* — « Neque audiendi sunt (ait Benedictus XIV), qui « ad propriam obtegendam ignaviam, se consulto et pruden« ter abstinere dictitant a Synodi coactione, ne novarum « constitutionum in dies accessione, commissæ sibi diœcesis « status perturbetur. Nam imprimis necesse non est ut novæ « constitutiones in Synodo edantur ; sed quandoque expedit « solam urgere executionem illarum quæ jam sancitæ fue« runt... Deinde difficile videtur hoc tempore... aliquam in-

« veniri diœcesim, cui opus non sit ulla nova constitutione, « qua saltem antiquæ leges corroborentur, et quæ morum « corruptela obsoleverunt, revirescant. » *(De Syn. diœc.*, l. 1, c. 6, n. 5.)

QUÆSTIO VI[a]. — *Num ab annua Synodi celebratione excusetur Episcopus, ex eo quod nequeat eam per seipsum celebrare?* — Respondetur negative : quia nempe eam celebrare potest per alium, verbi gratia, per vicarium suum generalem, prout a S. Congregatione Concilii decisum refert Fagnanus (in cap. *sicut olim, de Accus.*, n. 10 et 11).

CAPUT III.

QUO LOCO CELEBRANDA SIT DIŒCESANA SYNODUS.

1° « Indubitatum est, Episcopum, non solum in civitate, « verum etiam in qualibet suæ diœcesis parte posse Synodum « cogere... Expedit tamen, cum nullum obstat impedimen- « tum, ut illam cogat in civitate, quemadmodum declaravit « Sacra Congregatio Concilii (in *Acernensi*, die 17 maii 1636, « lib. 15 Decretorum, p. 355 a tergo) his verbis : *Posse Epi-* « *scopum etiam in dicto oppido diœcesanam Synodum congregare,* « *sed satius esse ut illam apud suam cathedralem celebret.* » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 5, n. 2 et 3.)

2° Ex necessitate posset Episcopus etiam extra diœcesim Synodum congregare, modo tamen consentiret loci Ordinarius (vide apud Ferraris, verbo *Synodus diœcesana*, n. 77).

3° Est universalis consuetudo, ut sessiones Synodales fiant in ecclesia ; et ibi eas haberi supponit *Pontificale Romanum*, et *Cæremoniale Episcoporum*. Non debet proinde diœcesana Synodus extra ecclesiam celebrari, nisi id gravis aliqua ratio exposcat.

4° « Inter ecclesias autem, si fieri possit, eligenda est cathe- « dralis...; quamvis, urgente aliqua rationabili et honesta

« causa, non prohibeatur Episcopus Synodum facere in alia « ecclesia. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 5, n. 6.) Hodie in Gallia seminarii ecclesia ad Synodi celebrationem plerumque anteponitur; et merito. Cum enim clerici qui episcopalem civitatem non incolunt, et ad Synodum vocantur, in seminario soleant hospitio recipi, ne eos per vias et plateas circumcursare necesse sit, in ipsa seminarii ecclesia Synodus celebratur.

Nota. — Quoad casum Episcopi duas diœceses æque principaliter unitas habentis, vide apud Ferraris (verbo *Syn. diœc.*, n. 78).

CAPUT IV.

QUINAM POSSINT, VEL NON POSSINT, DIŒCESANAM SYNODUM CONVOCARE.

1° Episcopus nondum consecratus, si Bullas recepit, potest Synodum convocare (Ferraris, verbo *Synodus diœc.*, n. 7, ubi citantur multi doctores idem tradentes).

2° « Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante « susceptionem Pallii » (Idem, ibid., n. 8.) Id vide etiam apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 6, n. 4).

3° Synodus cleri Romani convocari potest ab Eminentissimo « Cardinale Urbis vicario. » (Ferraris, ibid., n. 9.)

4° Vicarius generalis Episcopi, Synodum diœcesanam congregare nequit nisi speciale ad id mandatum ab Episcopo receperit. Ita doctores communiter. Et fuit decisum a S. Congregatione Concilii: proposita enim hac quæstione: *N... Ordinarius supplicat pro declaratione, an vicarius generalis Episcopi possit, Episcopo absente, Synodum diœcesanam congregare, ita ut constitutiones in ea editæ sint observandæ?* Die 4 decembris 1653, S. Congregatio respondit: *Non potuisse absque speciali mandato Episcopi, ac propterea constitutiones in Synodo ut pro-*

ponitur factas, esse ipso jure nullas (apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 2, c. 8, n. 3).

5° Vicarius capitularis Synodum diœcesanam convocare potest. Æstimat autem Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 2, c. 9, n. 6), non posse ab ipso celebrari Synodum, nisi postquam effluxit *annus a die ultimæ Synodi habitæ ab Episcopo.*

6° « Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores, non possunt congregare Synodum, nisi habeant copulative tria requisita, scilicet : territorium vere separatum cum jurisdictione quasi-episcopali in clerum et populum, et speciale Indultum Apostolicum, cum subsecuta consuetudine. » (Ferraris, loco cit., n. 12.) Id fuse probat Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 1, c. 11.

7° « Si in diœcesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum pertinet congregare Synodum, et facere concursum ; quia Episcopus non habet nisi jurisdictionem ordinis. » (Ferraris, ibid., n. 14.)

8° « Episcopus justo impedimento detentus potest Synodum celebrare per alium. » (Ibid., n. 13.)

CAPUT V.

QUINAM AD SYNODUM VOCARI DEBEANT, ET ADESSE TENEANTUR.

Quæstio Iª. — *De Abbatibus sæcularibus.* — « Abbates sæculares, intra Episcopi diœcesim existentes, teneri episcopali Synodo adesse statuitur in capite *quod super his (de majoritate et ob.)*. Neque ullius exemptionis prætextu possunt se ab hac obligatione unquam solutos existimare : nam Tridentinum (sess. 24, c. 2) illos solos exemptos liberat ab onere accedendi ad Synodum, qui subduntur capitulis generalibus ; quod profecto de Abbatibus sæcularibus nunquam dici poterit. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 1, n. 3.)

QUÆSTIO IIa. — *De Prælatis et parochis regularibus.* — 1° Abbates aliique conventuum superiores, si exempti non sint a jurisdictione Episcopi, tenentur ad diœcesanam Synodum accedere (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 1, n. 7). 2° Si sint exempti, et curam animarum non exerceant, et in eorum religione exstet capitulum generale, cui totius congregationis conventus subjiciantur, non tenentur ad dictam Synodum accedere. Atvero, quamvis exemptionis privilegio gaudeant, si vel curam animarum exerceant, vel generali capitulo non subdantur, Episcopo eos ad Synodum vocanti parere tenentur. Id colligitur ex capite 2 sessionis 24 Tridentini Concilii, in quo sic decernitur: *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subjiciuntur, accedere teneantur. Ratione tamen parochialium aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.* Nec tantum Synodo interesse tenetur regularis curam animarum exercens, etsi exemptus, sed insuper tenetur, quemadmodum et cæteri sæculares parochi, ea omnia servare, quæ in Synodo circa animarum curam et sacramentorum administrationem decreta sunt. Vide meum tractatum *de Jure regularium*, tomo 2, pag. 149.

QUÆSTIO IIIa. — *De Prælatis regularibus curam animarum per alium exercentibus.* — 1° Si Prælatus regularis curam exerceat per cappellanum seu vicarium ad *nutum amovibilem*, non huic cappellano, sed ipsi Prælato incumbit obligatio accedendi ad Synodum. 2° Si vero cura exerceatur per vicarium sæcularem *perpetuum*, ita ut Prælatus regularis nonnisi in habitu curam retineat, non Prælatus, sed vicarius ille perpetuus Synodo interesse debet (vide utrumque probatum a Benedicto XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 1, n. 11).

QUÆSTIO IVa — *De Prælatis nullius.* — 1° Si Prælatus nullius diœcesis habeat ipse potestatem Synodum celebrandi, non tenetur ad Synodum vicinioris Episcopi accedere (vide

Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 1, n. 16). Ut autem dictam potestatem habeat, tria requiruntur, prout superiori capite diximus, videlicet : primo, ut habeat territorium vere separatum, cum jurisdictione in clerum et populum : secundo, ut speciale convocandæ Synodi privilegium ei Sedes Apostolica concesserit : tertio, ut facultas hæc jam ad praxim transierit. 2° Prælatus seu Abbas nullius, privilegio carens celebrandæ diœcesanæ Synodi, tenetur accedere ad Synodum vicinioris Episcopi, si curam animarum exerceat ; non tenetur, si non exerceat. Id pluribus S. S. Congregationum declarationibus firmatum vide apud Ferraris (verbo *Synodus diœces.*, n. 35). Dicitur autem *vicinior* Episcopus, cujus cathedralis territorio nullius proximior est.

Quæstio V^a^. — *De vicario generali Episcopi.* — De iis est qui, vocante Episcopo, tenentur ad Synodum accedere (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 3, n, 2). Atque idem dicendum de vicariis foraneis (ibid., n. 9).

Quæstio VI^a^. — *De canonicis cathedralis ecclesiæ.* — 1° Capitulum cathedralis ecclesiæ debet ad Synodum invitari. Hanc esse communem doctorum sententiam vide apud Benedictum XIV (loco cit., c. 4, n. 2), necnon apud Ferraris (verbo *Synodus diœc.*, n. 24). 2° « Si autem canonici et capi« tulum Synodo interesse recusent, cogi possunt ab Epi« scopo, etiam per censuras ecclesiasticas. » Ita Ferraris, loco citato, id firmans decisione quadam S. Congregationis Concilii.

Quæstio VII^a^. — *De beneficiariis cathedralis ecclesiæ qui non sunt canonici.* — Etiam hi, si ab Episcopo vocentur, tenentur ad Synodum accedere, non quidem tanquam unum corpus constituentes, sed tanquam singuli (Benedictus XIV, loco cit., n. 4).

Quæstio VIII^a^. — *De canonicis collegiatarum ecclesiarum.* — Hos pariter compelli posse ab Episcopo ut Synodo intersint, concludit Benedictus XIV (ibid., n. 5), quamvis nonnulli canonistæ contrarium olim tenuerint.

QUÆSTIO IX^a^. — *De parochis seu curatis.* — « Extra contro« versiam est, quotquot animarum curam gerunt, sive sæcu« lares, sive regulares sint, indubia lege adigi, ad interve« niendum Synodo. » (Benedictus XIV, loco cit., l. 3, c. 5, n. 2.) Idque intelligendum est, sive beneficium curatum sit perpetuum, sive sit manuale ; quia verba Tridentini Concilii (sess. 24, c. 2) non distinguunt. Illi proinde curati qui hodie in Gallia desservientes vocantur, de iis sunt qui vocari debent et accedere tenentur.

QUÆSTIO X^a^. — *De clericis obtinentibus beneficia simplicia.* — Non tenentur Synodo interesse, nisi aliter ex consuetudine observatum fuerit. Ita decisum a S. Congregatione Concilii, vide apud Benedictum XIV (loco cit., c. 6). Tenentur tamen in casu subsequentis quæstionis numero 1 exprimendo.

QUÆSTIO XI^a^. — *De cæteris presbyteris et clericis.* — 1° Potest Episcopus eos ad interessendum Synodo diœcesanæ cogere, *quando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqua re, concernente totum clerum, vel de intimandis decretis factis in Synodo provinciali : hoc autem casu, in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de prædictis erit tractandum* (sunt verba S. Congregationis Concilii, relata a Benedicto XIV, loco citato).

Idem sic adnotatur in causa *Vulturariensi* 19 novembris 1729 (*Thesauri* tomo 4, pag. 367) : « Pro eo quod attinet ad « Synodum, quinam scilicet ad eam accedere teneantur, Sa« crum Concilium (sess. 24, c. 2) ita disposuit : *Synodi quoque « diœcesanæ*, etc. Hinc provenit quod omnes curati, sive sæ« culares, sive regulares (quamvis subdantur superioribus « religiosis), accedere tenentur ad Synodum Episcopi, in cujus « diœcesi existunt... Quo vero ad clerum, communiter tra« ditum est, quod si in Synodo agendum erit de re concer« nente totum clerum, videlicet de reformatione morum ac « de intimandis decretis Concilii provincialis, tunc accedere « teneantur omnes de eodem clero ; ita tamen ut ecclesiis « debita servitia non subtrahantur ; ut firmant Fagnanus...,

« Eminentissimus Petra... Episcopus autem, si super aliquo « ex præmissis acturus erit in Synodo, debeat specificam « mentionem facere in edicto convocatorio ; ut ita declarasse « hanc Sacram Congregationem refert Monacellus. »

2° Item exigere potest Episcopus ut intersint, si talis sit diœcesis consuetudo.

3° Extra duos illos casus, non tenentur prædicti ad Synodum accedere (vide Pirhing, in titulum *de Majoritate et obedientia*, n. 12).

Quæstio XII[a]. — *De laicis*. — 1° Non tenentur nec ab Episcopo cogi possunt ad interessendum diœcesanæ Synodo. Id extra quæstionem est. 2° Nec tenetur Episcopus eos vocare, de quo pariter nullum movetur dubium. 3° An vero Episcopo liberum sit laicos vocare et admittere, affirmat Ferraris : « Laici, inquit, quamvis sit in facultate Episcopi eos invitare, « non tamen possunt de jure prætendere quod teneatur eos « invitare ad Synodum. » (Verbo *Synodus diœc.*, n. 26.) Sed attendenda declaratio S. Congregationis Concilii, quam refert Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 3, c. 9, n. 8) : ad dubium nempe, *an Episcopus possit ad Synodum vocare laicos, si eorum consilio uti velit ;* respondit : *Episcopum non posse*. Nihilominus putat laudatus Benedictus XIV id Episcopo licere, *ex aliqua gravi urgentique causa*.

CAPUT VI.

DE POENIS QUIBUS OBNOXII SUNT NON ACCEDENTES AD SYNODUM, SI DE IIS SINT QUI ACCEDERE TENENTUR. UBI ET DE LEGITIME IMPEDITIS.

1. De jure communi potest Episcopus censuris ecclesiasticis animadvertere in ejusmodi abscutes, nisi absentiam ex legitimo impedimento excusent. Constat capite *quod super his, de Majoritate et obed.* (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 12). Idque valet Episcopus etiam erga regulares exemptos,

quando hi ad Synodum venire tenentur. Potest etiam Episcopus mulctis pecuniariis dictos delinquentes punire : quæ tamen pœna erga regulares adhibenda non est (vide Benedictum XIV, loco citato).

II. Legitimum impedimentum censetur grave periculum, necnon adversa valetudo. Item si parochus sacerdotem non habeat quem sibi in animarum cura substituat, non tantum poterit, sed et debebit a Synodo abesse ; præsertim si parochianos habeat gravi morbo laborantes (vide Benedictum XIV, loco cit., n. 3).

III. « Non idcirco tamen quod quispiam legitimo detinea« tur impedimento, potest sua auctoritate se ab accedendi « obligatione absolvere ; sed causam cur non accedit debet « Episcopo significare, a judicibus ad id deputatis, absoluta « Synodo examinandam. » (Benedictus XIV, ibid., n. 4.)

IV. Legitime impeditus nequaquam potest procuratorem constituere, qui ejus nomine Synodo intersit. Id probatum vide apud Benedictum XIV (ibid., n. 4 et seq.).

CAPUT VII.

DE ORDINE SEDENDI IN SYNODO, ET DECRETO DE NON PRÆJUDICANDO.

I. Præcedentiæ ordinem sic ex Benedicto XIV describit Ferraris (verbo *Synodus diœc.*, n. 115) : « In Synodo diœce« sana primus sedet Episcopus. Postea vicarius generalis, nisi « legitima consuetudo alteri faveat, aut dignitates et canonici « sacris vestibus induti Synodo assistant : secus si vicario con« suetudo faveat, aut ipse etiam habitu prælatitio sit indutus. « Sequuntur dignitates et canonici cathedralis. Inde horum « coadjutores, si tamen canonici capitulariter interveniant : « aliter præferuntur Abbates et Protonotarii non participan« tes induti mantelletta et rochetto. Post canonicos sedent

« beneficiarii et mansionarii ejusdem ecclesiæ. Post hos canonici collegiatarum civitatis, servatis dignitate et antiquitate in præcedentia. Deinde canonici collegiatarum diœceseos, servatis pariter dignitate et antiquitate. Aliquando præcedunt Abbates, videlicet quando habent usum mitræ et baculi. Etiam titulares et commendatarii (sive sæculares sive regulares) præcedunt in Synodo canonicis, capitulariter non intervenientibus : et inter ipsos Abbates præcedit qui dignitatem prior est assecutus. Post canonicos sedent vicarii foranei. Inde plebani sive archipresbyteri rurales. Post hos parochi, nisi usum habeant sedendi cum plebanis : præcedit vero qui primus parœciam obtinuit. Succedunt beneficiarii simplices. Post hos clerici, servata ordinis dignitate : si æqualis sit, servatur ordinationis antiquitas : quæ si par sit, habenda est ratio ætatis. Postea sedent regulares. Ultimi laici, si adsint. Quoad hunc autem sedendi ordinem, est potissimum servanda consuetudo. »

II. « Ad præcavendas tamen et amputandas lites, et cujusque jura illæsa servanda, expedit quod in Synodi initio Episcopus decretum promulget, quo declaretur, ex ordine inibi sedendi nihil detractum iri juri habendi præstantiorem locum. »

CAPUT VIII.

DE INDUMENTIS EPISCOPI, NECNON ALIORUM QUI SYNODO INTERSUNT, ET DE APPARATU ECCLESIÆ, ET COLLOCANDIS SEDILIBUS.

QUÆSTIO I[a]. — *Quisnam esse debeat habitus Episcopi?* — Eum sic describit Benedictus XIV, ex cæremoniali Episcoporum et Gavanto : « Ante Synodum aliquot congregationes pro ejusdem directione fieri solent in ædibus Episcopalibus, quibus Episcopus præsidet indutus habitu prælatitio, rochetto

« scilicet et mozetta. Cum ad ecclesiam accedit, Synodum « incœpturus vel prosecuturus, incedit indutus cappa. Prius- « quam preces recitet, quæ cujusque sessionis initio dicendæ « sunt, præter superpelliceum, amictum et stolam, induit « pluviale rubeum. In solemni supplicatione, quæ cum uni- « verso clero, in Synodi initio et fine, per urbem institui solet, « pergit indutus alba, stola, pluviali rubei coloris, mitram « pretiosam et pastorale baculum deferens: easdemque vestes « in sessionibus Synodalibus retinet.» (*De Syn. diœc.*, l. 3, c. 11, n. 3.)

QUÆSTIO IIª. — *Quid mutandum in descripto habitu, si Episcopus sit regularis?* — Interdicitur rochetti usus iis Episcopis, qui ex aliquo monastico aut mendicantium ordine assumuntur; prout videre est in *Cæremoniali Episcoporum* (l. 1, c. 1, n. 4, et c. 3, n. 4.) Hi ergo in iis congregationibus, quibus præsidere debet sæcularis Episcopus, cum rochetto et mozetta, iis præerunt absque rochetto, id est, cum sola veste talari et mozetta. Debent autem ejusmodi regulares Episcopi in suo habitu, ac proinde in veste talari et mozetta, colorem retinere habitus sui respective ordinis. Quoad formam autem vestium, possunt eadem uti qua sæculares Episcopi (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 11, n. 4).

QUÆSTIO IIIª. — *An Archiepiscopus, vel Episcopus privilegium Pallii habens, possit illud gestare in diœcesana Synodo?* — 1° « Certum imprimis est, neutri licere extra ecclesiam et « extra missarum solemnia Pallium gestare, cum id a jure « universim et generatim sit omnibus interdictum. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 11, n. 5.)

2° Item certum est, non in omnibus missarum solemniis posse adhiberi Pallium ab Archiepiscopo, vel ab Episcopo Pallii usum habente; sed tantum in quibusdam determinatis diebus. Dies autem illos determinatos reperies in *Cæremoniali Episcoporum*, libro 1, capite 16 (vide Benedictum XIV, loco citato).

3° An autem missa solemniter in diœcesana Synodo cele-

branda de iis sit in quibus Pallio uti liceat? Negavit Gavantus, et post ipsum Benedictus XIV, ex ista ratione : « Pallii « usus, pro die de qua agimus, nusquam reperitur... con« cessus. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 11, n. 7.)

Sed tenenda potius videtur contraria sententia, quam sic veram probat Cardinalis Petra :

« Dubitari occurrit an Pallium adhiberi possit in missa Sy« nodi diœcesanæ vel provincialis? Et asseri posset negative, « quia id non exprimitur in litteris facultativis Apostolicis « utendi Pallio. Hinc Gavantus (in *Praxi diœcesanæ Synodi*, « parte 1, cap. 13) dixit : *In missa Synodali Archiepiscopum « sumere omnia pontificalia paramenta, usque ad Pallium exclu« sive, ex Cæremoniali*, l. 1, c. 16. Sed vere consideratis ver« bis *Cæremonialis*, elicitur assertionis Gavanti contrarium ; « quia inter dies, quibus quis uti possit Pallio, ut recenseantur « in dicto *Cæremoniali*, sunt dies principalium festivitatum « ecclesiæ metropolitanæ, ibi : *et in principalioribus festivita« tibus ecclesiæ Metropolitanæ*. Ac in forma traditionis Pallii « supra adducta, ibi : *et aliis principalibus festivitatibus eccle« siæ tuæ*. Et idem innuit Pontificale Romanum (parte 1, « titulo *de Pallio*, in fine), ubi reponit inter dies usus Pallii, « omnes dies festos principales propriæ ecclesiæ metropoli« tanæ vel patriarchalis; et proinde includit diem inchoationis « Synodi diœcesanæ vel provincialis; quæ principalis est « festivitas ecclesiæ cathedralis ; ut habetur ex eodem *Cære« moniali* (lib. 1, c. 31), præscribente, ut die Epiphaniæ pro« nuntietur dies Synodi inter solemniores festivitates anni, cum « dicta die pronuntientur omnes solemniores. Et capite *de « ornatu ecclesiæ*, ut inferius præscribit modum pro die Sy« nodi, quem indicat esse ex solemnioribus : *Ecclesia ornata « festivo solemni ritu, injuncta pulsatione campanarum universæ « civitatis, a meridie diei antecedentis semper continuata, quo« usque sequenti die Episcopus ecclesiam ingressus sit, peracta « solemni processione cum assistentia totius cleri sæcularis et re« gularis, ac confraternitatum omnium*. Cum itaque permissum

« sit uti Pallio, in aliis festis principalibus ecclesiæ propriæ, « ultra expressas; et nequeat dubitari quod ista missa in- « choativa sit talis ex mente ejusdem *Cœremonialis,* tot orna- « tus ac solemnitates requirentis, dicendum est permissum « esse usum Pallii in dicta missa. » (Cardinalis Petra, tomo 5, in Const. 3 Pii II, n. 29 et seq.)

Quæstio IV^a. — *Quisnam esse debeat vicarii generalis habitus?* — « Vicarius Episcopi, si est protonotarius, induat ro- « chettum et mantellettum : si non est, induat habitum quem « per urbem defert, non pluviale. Si vicarius est canonicus, « ad missam et processionem induitur ut canonicus; ad ses- « sionem Synodalem ut vicarius. » (Gavantus, *Praxis Synodi diœcesanæ,* parte 1, c. 13, n. 11.)

Quæstio V^a. — *Quis habitus dignitatum et canonicorum cathedralis?* — Servant habitum quem in choro deferre solent, nisi dum Episcopus solemniter celebrat. Tunc enim vestes sacras assumunt : omnes scilicet dignitates et canonici induunt pluvialia, si facta non sit præbendarum divisio ad normam Decreti Tridentini (sess. 24, c. 12, *de Ref.*). Si vero divisio hæc facta sit, dignitates pluvialia induunt : canonici ex ordine sacerdotali, casulas seu planeta : canonici ex ordine diaconali et subdiaconali, dalmaticas (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 3, c. 11, n. 9).

Quæstio VI^a.— *Quis habitus cæterorum qui Synodo intersunt?* — « Coadjutores canonicorum ecclesiæ cathedralis, et cano- « nici ecclesiarum collegiatarum, vestes adhibent, quas in « choro ferre consueverunt. Vicarii foranei et archipresby- « teri rurales, in aliquibus diœcesibus, aut pluviale aut aliud « ornamentum assumunt, quo a cæteris distinguantur : in aliis « autem nullum obtinent speciale insigne. Rectores quoque « ecclesiarum parochialium alicubi, præter superpelliceum seu « cottam, gestant caputium : alibi stolam. Cæteri de clero « solum induunt superpelliceum. » Ita Benedictus XIV (loco citato, qui cum Gavanto adnotat multum in hac re deferri locorum consuetudini.

QUÆSTIO VII^a. — *Quisnam esse debeat apparatus ecclesiæ in qua celebratur Synodus, et quomodo disponenda sedilia?* — Sic præscribit *Cæremoniale Episcoporum*, l. 1, c. 31 : « Ornabitur « ecclesia, ubi Synodus habenda est, festivo et solemni ritu, « prout in capitulo *de ornatu ecclesiæ* plene dictum est : sedilia « in ea disponentur, in provincialibus quidem capacia pro nu- « mero Episcoporum, Abbatum, aliorumque ecclesiastica « dignitate fulgentium ; item pro canonicis, ac etiam pro lai- « cis, si qui interfuturi sunt. Sedes Metropolitani collocabitur « apud altare, ut in Pontificali habetur ; et ante faciem ipsius « sedilia Episcoporum in gyrum ; deinde conduplicatis sedi- « libus post Episcopos, cæteri proximiores vel remotiores pro « graduum diversitate, ut mox dicetur. In diœcesanis vero, « quia non interveniunt Episcopi, disponentur dignitates et « canonici ecclesiæ cathedralis parati hinc inde a lateribus « Episcopi, vel ante Episcopum, semicirculum facientes. »

Cætera quæ nec a *Pontificali* vel *Cæremoniali*, nec alia juris dispositione determinantur, disponi poterunt, si videbitur, juxta modum a Gavanto indicatum his verbis : « Sedes Epi- « scopi sit alta tribus gradibus tapete contectis ; et hinc inde « sedilia collocentur pro diaconis assistentibus. Paretur etiam « mensa parva cum suo panno violaceo, collocanda facie ante « Episcopum sedentem, pro reliquiis...

« Hinc inde in quadrum sedilia longa pro canonicis præpa- « rentur, vestita panno viridi, alta unico gradu a pavimento. « Quod si adfuturi sint alii majores canonicis, vestiri poterit « prima pars scamni, quod a dextris Episcopi et eidem vici- « nius est, panno nobiliori, puta violaceo, aut alio, ad diffe- « rentiam in eodem scamno a canonicis faciendam...

« In fine sedilium canonicorum, facie versa ad Episcopum, « sedebit vicarius generalis, in sede coriacea domestica, cum « parva mensa strata panno, ut præsto sit accedenti ad eum « clero pro variis causis. In eadem linea sedebunt juxta sini- « stram Episcopi, in scamno nudo, ad mensam aliam simi- « liter vestitam, promotor et secretarius Synodi cum notario

« episcopali. Mensæ tegantur convenienti panno, ad minus « viridi.

« Si Archiepiscopus præest Synodo, collocetur in medio « centro areæ, quæ est inter canonicorum sedilia, ante sedem « episcopalem sessionalem, scabellum commune pro eo qui « gestare debet crucem archiepiscopalem in Synodo, cujus « imago crucifixi respiciet semper Archiepiscopum.

« Pulpitum amovibile pro lectione decretorum collocari « poterit prope mensam, ad quam sedet secretarius Synodi, « ut inde suppeditentur eidem quæ sunt legenda.

« Hinc inde a tergo canonicorum sedilia erunt pro clero « urbano. Alia pro clero foraneo occupabunt navim mediam; « ita tamen ut in medio juxta Episcopum sit transitus omnino « liber et aptior ad eumdem redeundumve, prout est opus. « Nobilior foraneus clerus sedebit in anterioribus scamnis, « reliquus in posterioribus. » (Gavantus, *Praxis Synodi diœc.*, parte 1, cap. 9.)

CAPUT IX.

DE SOLITIS SYNODI MINISTRIS SEU OFFICIALIBUS, ET QUINAM AB EPISCOPO SINT NECESSARIO ADHIBENDI.

Deputandos nonnullos officiales, qui necessaria munia in Synodo expleant, præscribit *cæremoniale Episcoporum* (l. 1, c. 31, n. 18) in hunc modum : *Officiales quoque et ministri necessarii deputandi sunt in hujusmodi Conciliis* (1), *veluti notarii, ostiarii, magistri cæremoniarum et alii, ut habetur in Concilio Toletano IV canone* 4. Quinam officiales deputari possint vel debeant, ad quem pertineat eos eligere ac deputare, et quodnam sit singulorum munus, singillatim hic exponendum venit.

(1) Id est, in Synodo provinciali et diœcesana, prout innuit contextus.

I. *De promotore.* — 1° Promotoris Synodi officium est procurare et requirere, ut emittatur professio fidei ab iis qui eam emittere tenentur; ut vocentur nominatim singuli qui interesse debent, et notentur absentes; ut eligantur examinatores et judices synodales; ut publicentur decreta; ut pœnis contra absentes animadvertatur; ut notarius gesta Synodi in instrumentum publicum redigat. Aliquando unus, aliquando duo deputantur. Nihil enim est quod hac in re arbitrium Episcopi restringat. Procurat autem promotor fieri hæc quæ supra diximus et alia hujusmodi, postulando ab Episcopo ut jubeat idipsum quod postulatur. Instantiæ autem promotoris respondere solet Episcopus : Ita volumus ac decernimus ; et sic obtinet promotor, ut peragatur quod petiit. Ex quo satis introspici potest quanti momenti sit promotoris Synodi munus. Ipsi nempe incumbit præcavere, ne quidquam prætermittatur eorum quæ in Synodo peragenda sunt, et procurare ut opportuno tempore singula proponantur.

2° Promotoris seu promotorum Synodi electio et deputatio ad solum Episcopum pertinet. Quamvis enim Gavantus (*Praxis Synodi*, parte 1, cap. 7) dicat officiales Synodi eligendos esse in prævjis congregationibus, quas Episcopus habet cum suis consultoribus, id tamen nullo jure præscribitur. Cæterum alia multa asserit laudatus auctor, non ex eo quod jure statuantur, sed solum quia utiliter ita fieri solent aut possunt.

3° Item asserit (loco citato) Gavantus, promotores Synodi debere esse juris utriusque doctores. Sed neque hoc ullo jure præscribitur.

4° Quoad modum quo promotores Episcopum seu Archiepiscopum alloqui debent, hæc præfatus auctor adnotat :
« Cum loquuntur cum Episcopo, eum appellare debent titulo
« tantum *reverendissimi*, quia actio est ecclesiastica. Si Archi-
« episcopus vel Cardinalis est, appellent etiam titulo *illustris-*
« *simi*... Major de duobus (promotoribus), amborum nomine
« loquatur, stans a dextris alterius promotoris. Antequam lo-
« quantur, et postquam dixerint, profundam capitis inclinatio-

« nem Episcopo faciant; neque discedant ad locum suum, « donec Episcopus decretum fecerit verbo. Recitent de « folio, clauso in libello aliquo decenti et ornato; quem « ipsemet qui legit teneat; et alta voce, ut alii, saltem vici- « niores, plene audire possint. »

5° Formulas quibus promotor pro variis instantiis uti potest, habes infra, sectione 3.

II. *De secretario Synodi.* — 1° Ad Episcopum pertinet eum eligere ac deputare, sive solum, sive cum socio qui ipsum adjuvet, et eo impedito, vices ejus agat. 2° Ad secretarium spectat curare, ut pridie quam Synodus inchoetur, futuræ sessionis edictum valvis ecclesiæ affigatur : vocare nominatim singulos qui adesse tenentur; quod ante primam sessionem fieri debet : decreta legere, post promotoris instantiam : varias schedulas seu tabellas affigere, in quibus describatur ordo processionis, scrutinii, acclamationum, et alia hujusmodi, de quibus omnes præmoneri expedit. Secretarii potissimum et magistri cœremoniarum partes sunt, ut tota synodalis actio debite peragatur . Quapropter secretario suadet Gavantus ut brevem sibi conficiat indicem, in quo totius actionis et peragendorum series describatur.

III. *De notario Synodi.* — 1° Ad Episcopum pertinet notarium Synodi eligere ac deputare : solet autem ad id muneris eligi cancellarius episcopalis. 2° Ad ipsum spectat Synodi acta conscribere. Solet autem in fine cujuscumque sessionis promotor notarium rogare, ut gesta in instrumentum publicum redigat. Respondet notarius, se facturum ; idque exequitur adhibitis duobus testibus de clero, quorum nomina in actis sunt scribenda. 3° Ad notarium Synodi pariter spectat ut instrumentum publicum conficiat super emissis in Synodo professionibus fidei : pro quo expedit ut libro speciali utatur, in quo scribantur omnia hæc authentica de emissis fidei professionibus testimonia.

IV. *De magistris cœremoniarum.* — Expedit ut duo saltem constituantur, quorum alter Episcopo inserviat, alter promo-

toribus et secretario. Uterque autem procuret recte omnia in Synodo quoad cæremonialia expediri. Proderit autem ut habeat uterque indicem eorum quæ peragenda sunt, cum supra memorato secretarii indice concordem (ita suadet Gavantus, *Praxis Synodi*, parte 1, c. 28).

V. *De judicibus querelarum et excusationum.* — Solent ab Episcopo deputari duo vel tres, una cum vicario generali, ad audiendas et dirimendas controversias seu querelas. Quæ si versentur circa præcedentiam seu ordinem sedendi, breviter absque figura judicii a dictis judicibus dirimuntur, citra præjudicium ambarum partium. Ad eosdem judices spectat recipere libellos supplices pro excusatione absentium ; et de causis absentiæ, an scilicet legitimæ fuerint, post absolutam Synodum pronuntiare.

VI. *De procuratore cleri.* — « Ut quiete sine tumultu agan- « tur omnia, solet alicubi deputari ab Episcopo procurator « cleri, quem adeat clerus, ut ejus nomine cum Episcopo « communi nomine agat in Synodo, si quæ forte decernantur « difficiliora... Quæcumque petierit nomine cleri, petat in « scriptis, secretario dandis. » (Gavantus, loco citato, c. 25.)

VII. *De præfectis disciplinæ et scrutinii.* — Præfecti disciplinæ vocantur graves aliquot presbyteri, ad hoc ab Episcopo deputati, ut procurent observari varia monita, quæ affigi solent circa modum sese gerendi Synodi tempore, verbi gratia, de silentio certis in locis et horis servando, etc. Debent autem, si necesse sit, delinquentes commonere, et nisi resipiscant superiori denuntiare. *Præfectorum* autem *scrutinii* officium est ut singulos de clero scrutentur, id est, interrogent, circa ea quæ ad uniuscujusque munia spectant ; et ad Episcopum quæ notatu digna existimabunt referant. Singulis autem scrutinii præfectis, quo citius rem expediant, certa cleri pars scrutanda assignatur. Formulam interrogationum quæ ab ejusmodi scrutinii præfectis utiliter fieri possunt, exhibet Gavantus (loco cit., parte 4, formula 5).

VIII. Inter Synodi officiales enumerat insuper Gavantus : œconomum pro exigenda cathedratici solutione constitutum : confessarios : concionatores, et ostiarios.

IX. Ex enumeratis officialibus necessario constituendi videntur, notarius, secretarius, promotor et magister cœremoniarum. His enim deficientibus haud posset plerumque Synodus recte et decenter celebrari. Atvero alii præfati officiales, nec necessarii, imo nec ubique et semper utiles censendi sunt. In Gallia, verbi gratia, nullum hodie solvitur Episcopis cathedraticum : unde inutilis prorsus foret œconomi ad exigendam ejusmodi cathedratici solutionem deputatio. Item disciplinæ et scrutinii præfecti, attenta hodierni cleri gallici gravitate et moribus, offensioni potius quam utilitati forsan cederent. Liberum ergo Episcopo atque ejus prudentiæ arbitrio relictum censendum est, ut præter quatuor dictos necessarios officiales, videlicet notarium, secretarium, promotorem et magistrum cœremoniarum, reliquos etiam constituat vel non constituat.

CAPUT X.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS SEU A SYNODO APPROBANDIS.

Quæstio Iª. — *Quinam examinatores a Synodo sint approbandi?* — 1° Si agatur de examine cui subjici debent ordinandi, ad Episcopum solum spectat examinatores eligere et constituere, quin necesse sit eos a Synodo approbari. 2° Idem dicendum quoad examen approbandorum ad confessiones. 3° Atvero si agatur de examinandis iis qui concurrunt ad obtinendas vacantes parochiales ecclesias, ad Episcopum quidem pertinet examinatores proponere; sed necesse est ut a Synodo approbentur. De his solis examinatoribus, qui *synodales* vocantur, sub præsenti capite disserimus.

Quæstio IIª. — *Quot examinatores synodales ab Episcopo*

sint proponendi, et a Synodo approbandi? — 1° Approbandi sunt ad minimum sex. Unde totidem saltem debet Episcopus proponere : et casu quo Synodus aliquos rejiciat, debet alios adhuc proponere, donec senarius approbatorum a Synodo numerus compleatur. 2° Ad peragendum examen sufficiunt tres ex istis approbatis. 3° Proponi ab Episcopo et approbari a Synodo possunt plures; non tamen ultra viginti (vide meum tractatum *de Parocho*, parte 3, sectione 3, cap. 1 et 3).

QUÆSTIO III^a. — *Qua forma fieri debeat a Synodo examinatorum approbatio?* — Fieri potest tum per vota secreta, tum per vota aperta. Ita a S. Congregatione Concilii decisum vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 4, c. 7, n. 3). Mos hodie frequentior est, ut clerum interroget secretarius his verbis : *Placent-ne vobis ?* (Vide Gavantum, *Praxis Synodi*, parte 1, c. 31.) Cæterum necesse est ut major pars eorum qui Synodo intersunt, in illos consentiat : alioquin dici non possent a Synodo approbati, nec proinde forent legitimi.

QUÆSTIO IV^a. — *Quibusnam qualitatibus exornari quis debeat, ut possit in examinatorem proponi et approbari?* — 1° Optat quidem Tridentina Synodus ut ad id muneris eligantur potius doctores aut licentiati in sacra theologia aut jure canonico. At non prohibet ne alii etiam constituantur. 2° Approbari autem possunt sive regulares, sive sæculares (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 7).

QUÆSTIO V^a. — *Casu quo examinatores constituti designentur solo nomine dignitatis vel officii, num approbati censendi sint eorum in eodem officio successores ?* — Responsum fuisse negative a S. Congregatione Concilii, vide apud Benedictum XIV (loco cit., n. 5).

QUÆSTIO VI^a. — *Quodnam juramentum examinatores synodales præstare debeant?* — Ita decrevit Tridentinum Concilium : « Jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se, quacumque « humana affectione postposita, fideliter munus executuros. » Est autem ejusmodi juramentum in ipsa Synodo emittendum, si examinatores illi intersint ; secus, illud præstare debebunt

coram Episcopo aut generali ejus vicario (vide Benedictum XIV, loco cit., n. 6).

QUÆSTIO VII^a.—*Quandiu perduret examinatorum Synodalium potestas seu officium?* — 1° Si legitimo tempore, id est, post annum celebretur nova diœcesana Synodus, expirat officium examinatorum qui in præcedenti Synodo constituti fuerant. Unde facienda est in nova Synodo, eorumdem vel aliorum nova deputatio. 2° Casu quo plures in decursu anni decesserint, ita ut non remaneat senarius numerus, potest Episcopus alios substituendo numerum illum complere, non tamen excedere : at necesse est ut ejusmodi snbstitnti a capitulo approbentur. 3° Si post expletum annum non celebretur alia diœcesana Synodus, et permaneant sex examinatores in ultima Synodo electi, hi sex in suo officio perseveraut. Sin vero post expletum ab ultima Synodo annum, non supersint examinatores sex, in dicta ultima Synodo deputati, tenetur Episcopus, vel Synodum celebrare ad novos examinatores nominandos, vel a Sacra Congregatione Concilii facultatem obtinere examinatores extra Synodum constituendi; quæ quidem facultas concedi solet, quoties omittendam Synodi celebrationem graves suadent rationes (de his vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 7, n. 7).

Nota. — De examinatornm officio, necnon de cæteris circa concursum notionibus, adi meum tractatum *de Parocho*, ubi totam illam materiam fuse expendimus.

CAPUT XI.

DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

1° Decrevit Tridentina Synodus (sess. 25, c. 10 *de Ref.*), ut vel in provinciali, vel in diœcesana Synodo, quatuor aut plures eligerentur, quibus Sedes Apostolica causas in diœcesi ventilandas delegare posset. Ejusmodi viri, in hunc fi-

nem in provinciali vel diœcesana Synodo electi, et quorum nomina ad Sedem Apostolicam transmittuntur, *judicum synodalium* appellatione designari solent.

2° Eos deputare debet Episcopus *in Synodo* diœcesana, nisi jam in provinciali deputaverit : at necesse non est ut a Synodo approbentur. Satis est ut Episcopus Synodi consilium exquirat, quin teneatur illud sequi (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 5, n. 5).

3° « Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, « substituat Ordinarius loci, cum consilio capituli, alium in « ejus locum, usque ad futuram provincialem aut diœcesanam « Synodum. » (Tridentina Synodus, citato Decreto.)

4° Statuerunt autem (citato Decreto) Tridentini Patres, ut in judices synodales deputari non possint nisi ii qui requisitis a Bonifacio VIII (in capite *statum, de Rescriptis,* in 6) qualitatibus exornentur, id est, qui dignitatem, vel personatum, vel canonicatum cathedralis ecclesiæ obtineant.

5° In judicem Synodalem deputari potest vicarius generalis Episcopi, quia est in quasi-dignitate constitutus (vide Gavantum, *Praxis Synodi,* parte 1, c. 32).

6° Etsi mos sit ut judices synodales juramentum præstent, tamen de jure præstare non tenentur (Gavantus, ibid).

7° Necesse non est ut judices synodales doctores sint vel licentiati : id enim nullibi a jure cautum reperitur.

8° Si contingat justa de causa suo tempore non celebrari diœcesanam aut provincialem Synodum, ne interea desint judices synodales, potest Episcopus a S. Congregatione Concilii facultatem obtinere eos extra Synodum deputandi, cum consilio capituli (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.,* l. 4, c. 5, n. 7).

Nota. — *De testibus Synodalibus, et de punctatoribus.* — Testium synodalium officium erat, in assignata sibi quisque diœcesis parte, diligenter investigare quæ correctione ac reformatione indigerent, atque ad Ordinarium, in provinciali vel diœcesana Synodo fideliter referre. Solebant olim in provin-

ciali vel etiam diœcesana Synodo deputari, et juramentum præstare. Atvero jamdudum ejusmodi synodales testes fere ubique desueverunt (vide Benedictum XIV, loco cit., c. 3, n. 8). Unde necesse non est, nec etiam expedire videtur, ut hodie in diœcesanis Synodis institutio hæc reducatur.

Punctatores dicuntur qui in capitulis cathedralibus aut collegiatis absentes notant. Induxit S. Carolus Borromæus ut ejusmodi punctatores de recte explendo munere in Synodo juramentum præstarent : quod institutum in plures diœceses est propagatum. Cæterum ubi consuetudo hæc non viget, nequaquam tenentur punctatores juramentum in Synodo præstare.

CAPUT XII.

DE PROFESSIONE FIDEI IN SYNODO EMITTENDA.

QUÆSTIO I^a^. — *An teneatur vel possit Episcopus professionem Fidei emittere in prima quam celebrat diœcesana Synodo ?* — Non in diœcesana Synodo, sed in prima Synodo *provinciali* tenentur Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchæ professionem Fidei emittere, prout decrevit Tridentinum Concilium (sess. 25, c. 2). Attamen maxime decet ut in hoc religionis actu præstando, etiam in sua diœcesana Synodo cæteris exemplo præeat Episcopus; maxime ubi non solent provincialia Concilia celebrari (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 2).

QUÆSTIO II^a^. — *Quinam clerici teneantur Fidei professionem in diœcesana Synodo emittere ?* — Sic decrevit Tridentina Synodus (sess. 25, c. 2 *de Ref.*) : « Cæteri vero omnes, sive in « præsenti sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et « qui in Synodo diœcesana convenire debent, idem ut supra, « in ea Synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur, fa« ciant et observent. » Jam antea (sess. 24, c. 12) statuerant

Tridentini Patres in hunc modum : « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur « a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, in « manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali « ejus vicario seu officiali, orthodoxæ suæ Fidei publicam « facere professionem; et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se « permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non « solum coram Episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo, idem facere teneantur. » Hisce attentis Decretis, solet proposita quæstio solvi ut sequitur :

1° Nec parochi, seu beneficium curatum obtinentes, nec cathedrales canonici tenentur in Synodo professionem Fidei emittere. Statuitur enim dumtaxat, ut intra duos menses in manibus Episcopi vel ejus vicarii professionem illam emittant; et nullatenus additur eam emitti debere *in Synodo*. Præterea, si emittendam in Synodo professionem hanc voluisset Tridentinum Concilium, non determinasset duorum mensium terminum, a die adeptæ possessionis; sed dixisset, in prima quæ post adeptam possessionem celebrabitur diœcesana Synodo.

2° Dignitates et canonici cathedralis ecclesiæ tenentur professionem Fidei emittere, non solum coram Episcopo, sed et coram capitulo.

3° Cæteri autem beneficiati (verbi gratia, canonici collegiatarum, et alii simplicia beneficia obtinentes), si de iis sint qui de jure vel consuetudine Synodo diœcesanæ interesse debent, tenentur professionem Fidei emittere, in prima quæ celebratur post adeptum beneficium diœcesana Synodo. Unde hi non tenentur dictam professionem *intra duos menses* emittere; sed primam illam Synodum expectare possunt.

4° Modo dicti beneficiati, si de jure aut consuetudine Synodo interesse non teneantur, nec adstricti censendi sunt ad emittendam professionem Fidei; quia tunc sub Decreto Tridentino non comprehenduntur.

5° Quamvis, ut dictum est, beneficia curata obtinentes et cathedrales canonici non teneantur professionem Fidei in Synodo emittere, id tamen facere possunt, si diœcesanam Synodum celebrari contingat intra duos menses, adeptam beneficii sui possessionem proxime sequentes.

QUÆSTIO IIIª. — *Quanam formula emitti debeat Fidei professio?* — Etsi formulam Tridentina Synodus non determinaverit, ast eam postea determinavit Pius IV. Estque formula a dicto Pontifice edita, in emittenda professione Fidei omnino adhibenda (vide Benedictum XIV, *de Synodo diœc.*, l. 5, c. 2, n. 7). Non tamen necesse est ut singuli Pianam formulam separatim recitent; quod quandoque nimis longum foret: sed satis est ut a secretario alta voce legatur Piana formula, singulis singula post ipsum simul repetentibus, usque ad verba hæc : *Ego idem N., spondeo, voveo ac juro* : *sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.* Hæc nempe ultima verba recitabunt bini vel terni, coram Episcopo genuflexi, et extensa super libro Evangeliorum dextera manu (vide Benedictum XIV, loco cit., n. 8).

Alio etiam modo id peragi commode potest. Satis nempe erit ut Piana formula a solo secretario recitetur; et postea singuli breviorem hanc pronuntient : *Ego N.., recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo ac juro, ut in decretis et formula professionis Fidei ex Bulla modo lectis, singula singulis referendo : sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia* (hanc formulam tradit Gavantus, *Praxis Synodi*, parte 4, l. 5).

Nota. — Pii IV formulam habes in *Pontificali Romano*, sub rubrica *Ordo ad Synodum.*

QUÆSTIO IVª. — *Quibus pœnis obnoxii sint qui professionem Fidei emittere negligunt?* — De canonicis et dignitatibus cathedralis ecclesiæ, necnon de obtinentibus curata beneficia, sancivit Tridentina Synodus (sess. 24, c. 12 *de Ref.*) : *Alioquin prædicti omnes provisi ut supra fructus non faciant suos, nec eis possessio suffragetur.* Unde hi, si intra duos menses a die ade-

ptæ possessionis professionem Fidei non emittant, jam non faciunt fructus suos.

De beneficiatis cæteris, qui tenentur Synodo interesse, et in ea professionem Fidei emittere, decrevit præfatum Concilium Tridentinum (sess. 25, c. 2 *de Ref.)*: *Alias secundum formam sacrorum canonum puniantur*. Unde hi, si in prima post adeptum beneficium Synodo professionem non emittant, non quidem amissionem fructuum ipso facto incurrunt, quum id non fuerit statutum; sed contra ipsos judicialiter procedi potest et debita pœna animadverti.

CAPUT XIII.

DE NUMERO SESSIONUM, ET DE CONGREGATIONIBUS GENERALIBUS ET PARTICULARIBUS.

QUÆSTIO Iª. — *Quot sessiones haberi debeant?* — Ex Pontificali, solet Synodus celebrari tribus sessionibus et totidem diebus. Sed liberum est Episcopo plures aut pauciores adhibere. « Non tamen placere potest, ait Gavantus, ea Synodus, « quæ per duas horas mane celebratur, ubi multus est clerus: « saltem per totum diem detineatur ille cum majori fructu. » (*Praxis Synodi diœcesanæ* parte 1, cap. 10.) Qui duabus horis Synodum expediret, a mente et scopo Tridentini præcepti procul dubio aberraret.

QUÆSTIO IIª. — *Quid sint congregationes, tum generales, tum particulares, et an necessario habendæ sint?* — 1° Pontificale et Cœremoniale non loquuntur nisi de solemnibus sessionibus. Ipse etiam Gavantus, etsi suadeat ut ante Synodum congregationes in suo palatio Episcopus habeat cum suis consiliariis ad præparanda et discutienda statuta, nullam tamen ejusmodi congregationem haberi supponit postquam inchoata est Synodus. Hinc colligere est, quaslibet coadunationes a sessionibus

distinctas, utpote præter jus, haud esse necessario in Synodo habendas.

2° Inducitur tamen hodie in Gallia usus, et meo quidem judicio utilissimus, ut præter solemnes sessiones, in quibus statuta promulgantur, habeantur sub congregationum nomine aliæ adunationes, tum generales seu totius Synodi, tum particulares, quæ et commissiones vocantur, et aliquibus dumtaxat constant Synodi membris. Congregationibus particularibus committitur, ut unaquæque deliberet de quæstione aliqua, puta num opportuna foret hæc vel illa episcopalis dispositio, sensumque suum aperiat. In congregationibus generalibus, exquirit Episcopus, si ita ipsi videbitur, sensum totius Synodi: in iisdem præterea salutaria monita et hortationes ad clerum suum universum dirigit, statutorumve mox promulgandorum necessitatem aut utilitatem aperit : hæc certe in dictis congregationibus majori cum fructu et facilius expediri possunt, quam in solemnibus sessionibus.

3° Ut ergo necessaria a facultativis hac in re sedulo distinguamus, dicendum est : *primo*, necessarias non esse in celebranda Synodo congregationes ullas, a sessionibus distinctas, sive ante, sive post inchoatam Synodum : *secundo*, necessariam esse unam saltem sessionem : hanc autem in rigore juris sufficere, ad præcepti Tridentini impletionem, dummodo tamen mane per convenieus tempus habita, et dein interrupta, post meridiem continuetur, ita ut totum moraliter diem occupet; ne alias ludere potius cum præcepto Tridentino, quam illud serio adimplere videatur Episcopus : *tertio*, necessarium item esse, ut Episcopus, antequam statuta in Synodo promulget, circa ea consilium a capitulo petierit, et consilium illud capitulariter datum fuerit. Quod si capitulum recusaret consilium dare, nempe « si canonici et dignitates « nollent coram Episcopo die ipsis indicta congregari, tunc « sufficeret requisitio facta per edictum affixum in loco capituli, seu ad valvas sacristiæ aut ecclesiæ cathedralis, « protestando in eodem edicto quod sic habeantur pro requi-

« sitis, et ad celebrationem Synodi velle procedere; quod in « tali casu sufficeret ad ejus validitatem, prout declaravit « Sacra Congregatio Concilii, in *Ostunensi*, 15 decembris « 1626. » (Ferraris, verbo *Synodus diœces.*, n. 22): *quarto*, liberum esse Episcopo ut plures sessiones quam tres habeat : item ut congregationes in suo episcopio habeat ante Synodum cum sibi bene visis consiliariis : item ut, incœpta Synodo, ejusmodi congregationes, tum generales, tum particulares instituat.

CAPUT XIV.

DE PROCESSIONE, MISSA, ALLOCUTIONIBUS, SERMONIBUS, ET ACCLAMATIONIBUS.

QUÆSTIO I^a^. — *Num peragenda sit solemnis processio sive supplicatio per urbem; an vero sufficiat ut clerus Episcopum associet, dum ad ecclesiam pergit et se domum recipit?* — 1° Si attendantur sola Pontificalis verba, sufficere dicenda foret dicta simplex associatio Episcopi a clero. Sic nempe in Pontificali habetur : « Prima die Synodi, Pontifex summo mane cappam indutus, « ab universo clero cum superpelliceis comitatus, ad ecclesiam « pergit ; paratur in sede ; celebrat missam de Spiritu « Sancto, etc. » Et infra, agens de Episcopo, post ultimam sessionem domum se recipiente, idem Pontificale ita subjungit : « Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem cappa indutum, « cum superpelliceis ad domum reducunt. » Nec ulla mentio fit in Pontificali de solemniori ulla processione per urbem peragenda.

2° Ast in *Cœremoniali Episcoporum*, aliquid amplius habetur, nempe : « Ipsa die inchoationis Concilii, summo mane congre- « gatis Episcopis et aliis qui Concilio interesse debent, in domo « ipsius Archiepiscopi, vel alio convenienti loco, Episcopi « capient sacros paratus... *Ibunt autem omnes supplicantes,*

« *psallentesque processionali ritu, prout in processionibus quæ litaniæ dicuntur*, ut suo loco dicitur, campanis et organo in « ecclesia continuo pulsantibus. Quibus omnibus ecclesiam « ingressis..., cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter « per Archiepiscopum... » Equidem ibi Cæremoniale expresse loquitur de *provinciali* Synodo. Sed in hoc titulo agit simul *de servandis in Synodo provinciali vel diœcesana*; et quando aliquid pro Synodo provinciali præscriptum aliter in diœcesana peragi debet, id solet adnotari : hic autem aliter faciendum in diœcesana Synodo non dicitur. Unde forsan colligi merito posse videbitur, faciendam et in diœcesana Synodo solemnem processionem. Sed tamen ratio hæc peremptoria non est.

3° Obligatoriam esse dictam solemnem processionem concludit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 5, c. 1, n. 2) ex alio capite, ex recepta nimirum generaliter consuetudine : « Quid« quid sit de contraria consuetudine, in hac aut illa peculiari « diœcesi vigente, communi usu receptum est, ut prima Sy« nodi die, ab Episcopo et universo clero publica instituatur « supplicatio seu processio per urbem ; quod et faciendum « præscripsit S. Carolus Borromæus, et factum a S. Francisco « Salesio narravimus ; quorum exempla satis superque sunt « ad firmandam regulam, ad quam omnes conformare se « debeant. » Quæ tamen ratio quomodo rem omnino evincat fateor non potuisse me perspicere. Probandum enim foret dictam processionem generaliter fieri solere tanquam *obligatoriam*. Quod enim fit tanquam facultativum, etsi generaliter fiat, non idcirco obligationem continuo inducit : et ad citata exempla quod attinet, multa proculdubio laudabiliter fecerunt sanctus Carolus Borromæus et S. Franciscus Salesius, quæ nequaquam ideo obligatoria quoad alios evaserunt.

4° Quibus attentis, haud mihi videtur *certo* obligatoria dici posse quoad diœcesanam Synodum solemnis per urbem processio. Sufficere proinde videtur, ut primo mane euntem ad ecclesiam Episcopum associet universus clerus, et similiter absoluta Synodo ad domum suam redeuntem.

5° Imo ipsa hæc associatio supprimi poterit rationabilibus de causis ; ob difficultates, verbi gratia, quæ tum in regionibus hæreticis, tum etiam hodie quandoque in Gallia occurrere notum est. Quum enim agatur de præcepto mere ecclesiastico, applicanda venit regula, *lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo.*

QUÆSTIO IIª. — *An processio facienda sit, ante vel post missam ab Episcopo celebrandam ?* — « Duplex processio fieri solet (ait « Gavantus) : altera pro initio Synodi, quam significat *Cære-* « *moniale Episcoporum ;* altera pro fine ejusdem. Pro prima « varius est ordo ; nam aliqui ante missam, alii post missam... « Statuat Episcopus quidquid voluerit. » (*Praxis diœc. Syn.*, parte 1, c. 14). Verum, sive obligatoria sit solemnis per urbem processio, sive dumtaxat supradicta Episcopi associatio, eam *ante* missam fieri debere ex Pontificalis et Cæremonialis textu aperte colligitur.

QUÆSTIO IIIª. — *Qualiter celebranda sit missa ?* — 1° Ab ipsomet Episcopo celebrari debet missa primo die Synodi. 2° Celebranda est solemni pontificali ritu (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 1, n. 3). 3° Celebranda est missa de Spiritu Sancto ; « et si festum erit duplex, vel dominica, sine « commemoratione illorum, et sine evangelio dominicæ in « fine. » (Sunt verba *Cæremonialis Episcoporum*, in ultimo capite libri 1.) 4° An debeant omnes Synodi presbyteri sacram communionem in ea missa recipere, haud ita liquet. In Pontificali dicitur de Episcopo : *Paratur in sede, celebrat missam de Spiritu Sancto, et præbet clero sacram communionem.* Verba hæc aliquatenus innuere videntur ipsos etiam presbyteros debere sacram synaxim de manu Episcopi recipere, ac consequenter a celebranda missa eo die abstinere. Nihilominus relictam presbyteris eo die missam celebrandi facultatem supponit Benedictus XIV : « Debet Episcopus, inquit, missam facere de « Spiritu Sancto, et porrigere clero sacram communionem, « quam acceptis stolis rubeis, etiam sacerdotes sument, *qui* « *forte ea die non celebraverint.* » (*De Syn, diœc.*, l. 5, c. 1,

n. 3.) In quo laudatus Pontifex secutus est Gavantum *(Praxis Synodi diœc.*, parte 2, sess. 1, n. 6). 5° « Secunda Synodi die, « mos est, inquit Gavantus, ut unus ex canonicis missam so- « lemniter faciat pro defunctis, cui Episcopus assistit : eaque « peracta, stolam et pluviale nigri coloris assumit, et con- « suetas orationes recitat pro defunctis ; post quas vestes « nigras in rubeas mutat, et accepto pastorali baculo ad sedem « synodalem ascendit. » (Benedictus XIV, loco cit.) 6° « Ter- « tia demum die unus pariter ex canonicis missam celebrat « de Sanctissima Trinitate, addita collecta in gratiarum actio- « nem : Episcopus adstat indutus stola et pluviali albi coloris. « Missa absoluta, rubea accipit indumenta, ad consuetam « sedem se confert, ultimæ sessioni præsidet, et Synodo finem « imponit. » (Benedictus XIV, ibid.)

QUÆSTIO IVª. — *Qualiter Episcopus clerum alloqui debeat ?* — 1° Habentur in Pontificali tres allocutiones seu conciones, venerandæ antiquitatis ; quas tamen Episcopo liberum est pronuntiare, vel omittere ; in rubrica enim dicitur : *Si placet, in hanc sententiam alloquitur.* Ordinarie autem eas formulas Episcopi prætermittunt, ut temporibus et clero suo magis accommodata eloquantur. 2° Sicubi Episcopum prædicare expediat, et hoc tam gravi suo prædicandi munere fungi, at quam maxime in Synodo, ut patet : « Certe commodius nun- « quam potest moneri et moveri clerus quam in Synodo diœ- « cesana, » ait Gavantus *(Praxis Synodi diœc.*, parte 1, cap. 30). Quod tamen intelligendum est, nisi impediatur, atque ad id minus idoneus, ingravescente ætate, aliave de causa evaserit.

QUÆSTIO Vª. — *An alius, præter Episcopum, prædicare seu concionari debeat ?* — Sic habetur in Pontificali : *Post allocutionem* (nempe Episcopi), *vel prius, prout magis placuerit Pontifici, fit per aliquem virum doctum idoneum sermo, in quo tractatur de disciplina ecclesiastica, de divinis mysteriis, et de correctione morum in clero, secundum ea quæ Pontifici videbuntur.* « Sed « hoc intellige, ait Gavantus (loco cit.), quando Episcopus

« sermocinari nolit. » Non ergo videtur concionator de necessitate adhibendus, quando Episcopus per seipsum clerum commonere et alloqui potest.

Quæstio VIª. — *An faciendæ sint in fine Synodi acclamationes?* — Quæstionem solvit Cœremoniale Episcoporum (l. 1, tit. ultimo) his verbis : *In Synodis diœcesanis magis deceret ut omitterentur acclamationes et pacis oscula.*

CAPUT XV.

QUOMODO PROCEDENDUM QUANDO NON EPISCOPUS IPSE, SED EJUS VICARIUS, VEL ALIUS AD ID DELEGATUS, DIŒCESANAM SYNODUM CELEBRAT.

1° Potest vicarius generalis, de mandato speciali Episcopi, Synodum convocare, atque illi præsidere.

Item potest Episcopus alium, si velit, ad celebrandam Synodum deputare. Id extra controversiam est. Porro de tali præside, absentis Episcopi loco Synodum celebrante, nonnullæ difficultates facile moveri possunt.

2° Quid, contingente illo casu, Novariæ factum fuerit, narrat Gavantus (*Praxis Syn. diœc.,* parte 1, c. 38 et 39). Deputaverat nempe Novariæ Episcopus quemdam Apostolicum Protonotarium, cum patentibus litteris. Isque in celebranda Synodo sese gessit ut sequitur :

« Solemnibus missis interfuit in choro supra canonicos, præpo-
« sito primam missam cantante, et canonicis reliquas duas...

« Sedentibus deinde omnibus in loco sessionali, sedit ille
« tanquam præses in medio cleri, in sede coriacea, supra
« unicum gradum (tapete substrato) elevata; rochetto et
« mantelletto indutus...

« Lectæ fuerunt a secretario Synodi patentes litteræ de
« constituto præside. Qui statim inchoavit antiphonam, et
« reliqua addidit ut in Pontificali. Ad evangelium benedixit

« incensum de more et diaconum, cujus librum osculatus est « in fine...

« Recitavit orationes et hymnum inchoavit *veni creator.*

« Sermonem habuit ad clerum de suggestu, tertia die.

« Totam actionem synodalem prosecutus est, quam Episcopus præstitisset, excepta benedictione in fine sessionum, « a qua abstinuit.

« In fine processionis ante Synodum, canonicus hebdomadarius in cornu epistolæ dixit orationes præscriptas in fine « hymnorum et psalmorum.

3° Juxta illam circiter normam poterit vicarius generalis, vel alius loco Episcopi præsidens, suum agendi modum determinare. Si qui vero ipsi obstare conentur, querelas movendo de præcedentia, iis posthabitis, ultra procedere poterit, interjecto decreto de non præjudicando.

CAPUT XVI.

DE STATUTIS SEU CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS.

Propositio Iª. — *Generalis et certa regula est, posse ab Episcopo edi constitutiones in diœcesana Synodo, absque consensu cathedralis capituli.* — Est hodie propositio illa extra omnem omnino controversiam, utpote sæpe sæpius a Sacra Congregatione Concilii decisa. Nonnullas ejusmodi decisiones subjicimus :

In causa Urgellensi, anno 1581 (libro 3 Decretorum, p. 32), quæsitum fuit : « An, stante Concilii Tridentini capite 2 ses- « sionis 25, constitutiones editæ, aut quæ in Synodalibus « constitutionibus de cætero fient, de consensu capituli fieri « debeant ; an vero Episcopus per se facere constitutiones « et publicare eas possit? » Et Sacra Congregatio respondit : « Episcopum in Synodo diœcesana per se constitutiones fa- « cere posse, absque consensu et approbatione cleri ; requi-

« rendum tamen consilium capituli, licet id non teneatur « sequi Episcopus, præterquam in casibus a jure expressis. »

In causa Burgensi, 5 julii 1627 (libro 13 Decretorum, pag. 267), quæsitum est : « An Archiepiscopus Burgensis, in decernendo et statuendo ea quæ sibi visa fuerint opportuna, « in Synodo diœcesana, teneatur sequi consilium sui capi- « tuli? » Sacra Congregatio respondit : « Archiepiscopum te- « neri requirere consilium capituli, non autem illud sequi, « circumscripta consuetudine immemorabili, vel alias legi- « time præscripta, necnon alio et sufficienti titulo, super qui- « bus capitulum poterit particulariter audiri. »

In quadam epistola Sacræ Congregationis Concilii ad Patriarcham Venetiarum, 27 aprilis 1592, sic habetur : « Sacra Con- « gregatio per libellum, Amplitudinis tuæ nomine porrectum, « consulta, respondit : eamdem Amplitudinem tuam in Sy- « nodo diœcesana facere posse constitutiones absque con- « sensu et approbatione cleri; debere tamen requirere con- « silium capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casi- « bus a jure expressis; nonobstante quod ex forma Romani « Pontificalis, in celebranda diœcesana Synodo expresse ha- « beatur, ut constitutiones in Synodo publicandæ, a Patribus « per verbum *placet* confirmentur. » (Hanc epistolam refert Sarnellus, in suis *epistolis ecclesiasticis*, t. 2, epist. 20, p. 49.)

In ejusdem Sacræ Congregationis epistola ad Oriolanum Episcopum (relata a Cardinali de Aguirre, t. 4, Conciliorum Hispaniæ, p. 748) sic legere est : « Sacra Congregatio Cardinalium « Concilii Tridentini interpretum, sæpius consulta, respon- « dit : licere Episcopo, ad eumque pertinere cogere Synodum « diœcesanam absque consensu et consilio capituli. In ea au- « tem constitutiones eumdem Episcopum edere et promul- « gare posse, absque consensu et approbatione cleri : debere « tamen requirere consilium capituli, tametsi illud sequi « non teneatur præterquam in quibusdam casibus a jure ex- « pressis. »

Cum Hispalensis Archiepiscopus diœcesanam Synodum abs-

que consensu capituli coegisset, Sacræ Congregationi proposita sunt a dicto capitulo sequentia dubia : « 1° An ipse Archiepiscopus sine consensu dicti capituli possit indicere et « convocare diœcesanam Synodum? 2° An ipse Archiepiscopus sine consensu dicti capituli possit in diœcesana Synodo « condere statuta et constitutiones de rebus gravibus et arduis?... 4° An sit necessarius assensus clericorum Synodo « interessentium, ita ut major pars contradicendo possit omnium seu alterius constitutionis exitum retardare? » Sacra Congregatio, die 26 novembris 1689, respondit : « Ad *primum* « affirmative. Ad *secundum* affirmative; debere tamen Archiepiscopum requirere consilium capituli, licet illud non teneatur sequi, præterquam in quibusdam casibus a jure expressis... Ad *quartum* negative. » Has omnes Sacræ Congregationis Concilii declarationes refert Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 1). Diximus autem in propositione, *regula generalis est*, quia duas exceptiones patitur : nempe,

Propositio IIa. — *A præfata regula excipiendus est casus, quo Episcopus in synodali constitutione de iis materiis statueret, pro quibus capituli consensus expresse a jure requiritur.* — Quatenus de jure requiratur capituli consensus pro alienatione rerum et jurium ad ecclesias pertinentium, pro exigenda nova parochia aut dignitate, vel canonicatu, pro concedenda alicui monasterio parochiali ecclesia, pro exigendo caritativo subsidio, pro uniendis, disjungendis aut supprimendis beneficiis, pro decernendis iis quæ capituli interesse specialiter et notabiliter tangunt, pro deputandis extra Synodum examinatoribus synodalibus, etc., diximus in tractatu *de Capitulis* (pag. 387 et seq.). Porro quoties de iis materiis, pro quibus capituli consensum jus expresse requirit, statuere vult in Synodo Episcopus, jam non datur locus supradictæ generali regulæ; sed ad ejusmodi statutorum valorem necessarius est consensus capituli. Constat ex allatis Sacræ Congregationis declarationibus; ubi, postquam decisum est haud requiri capituli consensum, semper additur, *præterquam in casibus a jure expressis.*

Item Benedictus XIV *(de Syn. diœc.,* l. 13, c. 1, n. 9), postquam generalem regulam asseruit, *satis est si* (Episcopus) *sui capituli consilium exposcat, etsi illud sequi non teneatur,* statim addit : « Nisi in ipsis constitutionibus aliquid decernatur de « re (puta, de ecclesia parochiali alicui collegio aut monaste- « rio perpetuo unienda) ad quam jura majoris partis capitu- « larium exigunt consensum. »

PROPOSITIO III[a]. — *A præfata regula generali qua statuitur, necessarium non esse pro edendis synodalibus constitutionibus capituli consensum, excipiendus est casus contrariæ consuetudinis legitime præscriptæ.* — Ubi nempe exstaret legitime præscripta consuetudo, ut non possent ullæ synodales constitutiones edi absque prævio capituli consensu, « obstringeretur Episcopus « non solum consilium, sed etiam sui capituli consensum « expetere. » (Benedictus XIV, *de Synodo diœc.*, l. 13, c, 1, n. 9.) Constat ex supra citata declaratione Sacræ Congregationis Concilii in causa Burgensi ; ubi, postquam dictum est, non teneri Archiepiscopum capituli consilium sequi, additur : *Circumscripta consuetudine immemorabili, vel alias legitime præscripta.*

PROPOSITIO IV[a]. — *Generalis et certa regula est, non valere constitutiones synodales, nisi Episcopus capituli consilium exquisiverit : at non tenetur consilium illud sequi.* — « Episcopus, « quamvis in synodalibus constitutionibus edendis, capituli « sensum sequi non cogatur, quia tamen ejusdem consilium « exquirere de jure debet (ut in canone *Episcopus,* 24 distin- « ctionis), si illud non petat, invalida erit Synodus; ut apud « Fagnanum (in cap. *cum olim,* in secundo, n. 17, *de Privi- « legiis),* Barbosam..; atque ita pluries respondit Sacra Con- « gregatio Concilii ; quæ tamen quandoque, comperto quod « constitutiones synodales sint justæ et laudabiles, Synodum « nullam ob defectum consilii capituli non petiti, sanare so- « let; ut practicatum fuit in una *Sancti Miniati,* 4 decembris « 1638, et refertur in folio ejusdem Sacræ Congregationis,

« in *Milevitana* Synodi, 15 januarii 1707. » (**Cardinalis Petra**, in Constit. 1, Benedicti XII, n. 17, tomo 4.)

« Quod si Episcopus, inconsulto capitulo, **novas Constitu-** « tiones ediderit, atque in Synodo promulgaverit, illæ profe- « cto, utpote deficientes a norma a jure præscripta, firmitate « carebunt; quamvis si justæ et rationabiles deprehendan- « tur, sanari queant a Sacra Congregatione Concilii. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 1, n. 16.) Rem omnino certam faciunt allata supra (sub propositione prima) Sacræ Congregationis Concilii declarationes. Diximus autem in thesi, esse *generalem* regulam, quia sequentem exceptionem patitur : nempe,

PROPOSITIO V[a]. — *A præcedenti generali regula excipiendus est casus, quo vigeret alicubi consuetudo legitime præscripta, ut Episcopus absque ullo capituli consilio synodales constitutiones edere posset.* — Quinimmo (ait Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, « l. 13, c. 1, n. 9), ab ea ipsa obligatione petendi capituli « consilium solutus erit Episcopus, qui per legitime præscri- « ptam consuetudinem jus sibi acquisiverit novas leges con- « dendi et publicandi, inconsulto capitulo : quod reapse « contigisse in diœcesi Gerundensi testatur Romaguerra. » (*Ad constitutiones synodales Gerundenses*, l. 1, tit. 1, c. 1, n. 20.)

PROPOSITIO VI[a]. — *Cæterorum clericorum, qui Synodo intersunt, nec consensus, nec etiam consilium requiritur.* — Extra controversiam est, et satis constat ex allatis supra (sub propositione prima) Sacræ Congregationis Concilii decisionibus. Etsi tamen ita res de jure procedat, in praxi haud omittunt plerumque Episcopi circa edendas constitutiones totius Synodi sensum exquirere. Id enim, præterquam quod clero valde gratum est, et paterni regiminis mansuetudinem quamdam magis redolet, multum insuper utilitatis adferre solet : tum quia ex totius adunati cleri sensu, quibusnam potissimum decretis ac remediis diœcesi occurrendum sit melius ipse perspiciet Episcopus, tum quia facilius et efficacius ad executionem deducentur statuta, quibus cleri universitas, antequam edantur, assenserit.

Propositio VII^a^. — *Capituli consilium quod de jure requiritur, petendum et dandum est a capitulo congregato, non autem a singulis ipsius membris seorsim interrogatis : alias non valeret.* — « Requisitio consilii capituli pro publicatione decretorum « Synodi debet fieri ab Episcopo, capitulo congregato; non « autem canonicis particulariter, syndico, aut procuratori; « alias non valeret : ut tradunt Rota.., Cardinalis de Luca.., « Gavantus.., Monacellus.., et alii. Imo valde expedit, quod « dicta requisitio facta capitulo congregato registretur in « actibus Synodi; quia cum sub pœna nullitatis Synodi te« neatur Episcopus consilium capituli exquirere, ut pluries « declaravit Sacra Congregatio Concilii.., constando sic de « tali facta requisitione, evitantur omnes recursus, qui non « semel in Sacra Congregatione audiuntur adversus hunc « defectum. » (Ferraris, verbo *Synodus diœcesana*, n. 20.)

Propositio VIII^a^. — *A constitutionibus synodalibus non datur appellatio cum effectu suspensivo, sed tantum cum effectu devolutivo.* — Vide id probatum a Benedicto XIV *(de Syn. diœc.*, l. 13, c. 5, n. 12).

Propositio IX^a^. — *Necesse non est ut constitutiones synodales, antequam promulgentur, Romam mittantur recognoscendæ aut approbandæ.* — Equidem provincialium Conciliorum decreta, ex Sixti V præscripto, debent a Sacra Congregatione Concilii, antequam edantur, recognosci (vide id probatum in meo tractatu *du Concile provincial*). Nullibi autem id decernitur de Synodorum diœcesanarum statutis. « Harum quippe « constitutiones possunt statim ab Episcopis publicari, « quin ulla obstringantur obligatione illas transmittendi ad « Sacram Congregationem Concilii, ejusque expectandi judi« cium... In hac sententia fuit Sacra Congregatio Concilii, « quæ rogata, ut recognosceret acta diœcesanæ Synodi Stron« golensis, die 17 junii 1645, respondit : se non consuevisse « revidere et approbare, nisi Synodos provinciales, ex Con« titutione Sixti V; et quod idcirco Episcopus uteretur jure « sibi ex sacro Concilio competente (libro 17 Decretorum,

« p. 484). Quocirca... falli jam diximus Cardinalem de Luca « et Van-Espenium, asserentes, diœcesanas Synodos robore « et efficacia carere, nisi a prædicta Sacra Congregatione ap- « probentur. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 3, n. 6). Quamvis tamen nec necessarium nec solitum sit Romæ approbari diœcesanæ Synodi constitutiones, contingere potest ut petenti alicui Episcopo id concedatur.

Propositio X^a^. — *Ex eo quod a Sacra Congregatione Concilii approbata fuerint statuta Synodi provincialis, vel diœcesanæ (si hæc approbari contingeret), non sequitur sanari defectus juris, si qui forte in iis relicti fuerint, nisi intervenerit Pontificia confirmatio in forma specifica.*—Otiosa ferme foret quæstio illa si de Synodo diœcesana dumtaxat moveretur, siquidem non solet, ut dictum est, Sacra Congregatio Concilii diœcesanarum Synodorum statuta recognoscere. Ast aliqua forte utilitate non caret quoad provincialia Concilia. Si nempe decretum aliquod provincialis Synodi nullitate laboraret, utpote (verbi gratia) juri communi contrarium, et Sacra Congregatio illud non corrigeret, sed tale quale remitteret, num censenda foret dicta nullitas, vi ejusmodi recognitionis seu approbationis, sanata? Difficultatem hanc in meo volumine de Concilio provinciali omisi; atque ideo hic eam duxi tantisper expendendam.

1° *Præmittitur quid sit approbatio seu confirmatio in forma communi et in forma specifica.* — « In forma *specifica* fieri di- « citur (confirmatio), cui præmittitur causæ cognitio, et sin- « gula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla « adjecta conditione, auctoritate Apostolica cum clausula *motu « proprio atque ex certa scientia*, confirmatur. In forma *com- « muni* confirmari dicuntur statuta, quæ non singulatim exa- « minantur neque approbantur a Pontifice *motu proprio et ex « certa scientia*, atque Apostolicæ auctoritatis robur illis non « adjicitur absolute, sed solum conditionate, videlicet, *si « juste, canonice aut provide facta sint ; et dummodo sacris ca- « nonibus, Tridentini Concilii decretis, et Constitutionibus Aposto- « licis non adversentur* : quam postremam conditionem omni-

« bus statutorum confirmationibus *in forma communi* hodie « exprimi atque apponi solere idem Fagnanus (in cap. *si quis*, « n. 12, *de Confirmatione utili vel inutili*) testatur. » Ita Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 5, n. 11).

2° *Confirmatio Pontificia in forma communi, non reddit validum aliquod statutum quod per se foret nullum.* — « Nam talis « confirmatio sub communi forma, nihil novi tribuit (capite « *cum delicta, de Confirmatione utili vel inutili;* capite *quia* « *diversitatem, de Concessione præbendæ...*). Sed dices : ad quid « igitur hujusmodi confirmatio membranas occupat? Respon« det Baldus : Confirmatio facit de aliquo validius, ut non « possit revocari per statuentes ; sed de nullo non facit ali« quid, nisi Papa apponeret clausulam *non obstantibus*, et ex « certa scientia scriberet... Et est ratio, secundum eum, quia « illud quod non est confirmabile de jure, non præsumitur « per incuriam confirmatum. » (Fagnanus, in caput *ex parte, de Constitutionibus*, n. 4.)

« Duplex est confirmatio... Una dicitur simplex confirma« tio, seu in forma communi et ordinaria. Altera in forma spe« ciali, seu ex certa scientia... Porro hæ duæ species confir« mationum in eo potissimum inter se differunt, quod illa « quæ fit *in forma communi*, nullum novum jus, neque valo« rem tribuit actui cui accedit, sed supponit actum esse vali« dum ; ideoque approbat actum quatenus subsistit seu de « jure validus est... Quare non innovat actum, seu de novo « eum validum facit qui prius erat invalidus... Atvero con« firmatio quæ fit *in forma speciali..*, novum jus tribuit actui « qui confirmatur ; cumque, si forte prius invalidus erat, fir« mum facit et validum, supplendo defectus illius. » (Pirhing, in titulum *de Confirmatione utili vel inutili*, n. 2, 3 et 4.)

« Præmittendum... confirmationes in forma communi illas « intelligi, quæ nec novum jus tribuunt, nec firmant ea, quæ « alias sunt ex se invalida. » (Fagnanus, in cap. *si quis, de Confirmatione utili vel inutili.*)

« Alia est confirmatio quæ conceditur in forma communi... « Et talis confirmatio seu innovatio nihil novi juris tribuit. » (Fagnanus, in cap. *si quis, de Confirmatione utili vel inutili*, n. 19 :) atque eam doctrinam reperies a canonistis concorditer receptam. In quo sequi solent Glossam, quæ sic habet (in caput *si quis, de Confirmatione utili vel inutili*, verbo *confirmationem*) : « Nota, quod confirmatio impetrata sub forma « communi, sive etiam innovatio, nihil novi juris tribuit, sed « solummodo vetus conservat... Unde per talem confirmatio- « nem vel innovationem non impeditur petitio alterius vel « judicis cognitio...; quia hoc facit Papa sine præjudicio ali- « cujus... Quid ergo valent hujusmodi confirmationes? Parum « valent... »

Unde revera Pontificia confirmatio seu approbatio *in forma communi*, nequaquam valida redderet statuta synodalia, quæ alias forent ex se nulla. Ad supplendum valorem quo carerent, opus foret confirmatione in forma specifica.

3° *Sola statutorum synodalium recognitio et approbatio, a Sacra Congregatione Concilii facta, non est Pontificia confirmatio, saltem in forma specifica.* — Id aperte docet Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 3, n. 3), ubi agens de provincialium Conciliorum statutis, sic adnotat : « Ea, antequam promulgentur, « transmitti jussit Sixtus V ad Sacram Congregationem Con- « cilii; non quidem ut postea confirmationem reportent a « Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iis- « dem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum depre- « hendatur... Non semel tamen accidit, provincialia Concilia, « non solum a Sacra Congregatione Concilii recognosci, et, « si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, « ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per « Apostolicas Litteras confirmari. » Atque ibi enumerat citatus Pontifex aliquot provincialia Concilia, quæ ejusmodi confirmationis Litteras Apostolicas obtinuerunt.

Ergo revera sola recognitio, quæ a S. Congregatione peragitur, etsi aliquatenus dici valeat approbatio, non est tamen

Pontificia confirmatio; et a fortiori non est confirmatio *in forma specifica.*

4° *Concluditur statutum provincialis Synodi, si forte sit per se invalidum, nequaquam validum fieri, ex eo quod a S. Congregatione non corrigatur, sed tale quale, facta recognitione, remittatur.* — Id ex præmissis aperte colligitur. Nam, ad supplendum valorem opus foret Pontificia confirmatione, ut probavimus, et quidem *in forma specifica*: deberet nempe ejusmodi statutum *per Litteras Apostolicas*, cum clausula *motu proprio et ex certa scientia*, necnon relata in ipsismet Pontificiis Litteris ejusdem statuti substantia, confirmari. Atqui statutorum synodalium recognitio et approbatio, a Sacra Congregatione fieri solet absque Litteris Apostolicis. Ergo sola illa recognitio et approbatio, non est confirmatio in forma specifica: immo neque est confirmatio *in forma communi*, sed simplex revisio et recognitio. Ergo non sanat nullitatem statuti, absque correctione remissi.

5° *Ergo dari potest appellatio ab aliquo statuto provincialis Synodi, licet a Sacra Congregatione recognito, et absque correctione remisso: quæ tamen appellatio non suspensivum, sed devolutivum dumtaxat effectum habebit.* — Nam ex dictis fieri potest ut ejusmodi statutum, etiam post dictam recognitionem Romæ factam, invalidum remanserit, sitque alicujus tertii læsivum. Quo casu pars læsa bene poterit ad Sacram Congregationem Concilii recurrere, et petere ut declaretur hujusce statuti nullitas. Cum autem jure Tridentino cautum fuerit, ne possit cum effectu suspensivo appellari a statutis synodalibus, et quando agitur de correctione morum, dicta appellatio devolutivum dumtaxat effectum habebit; ac proinde tenebuntur omnes statuto parere, donec a superiori tribunali declarata fuerit nullitas.

Objicies 1°. —Vix contingere potest ut a provinciali Synodo condatur statutum invalidum, et simul a S. Congregatione statutum illud absque correctione remittatur. — Id et ego libenter fateor. Est tamen casus absolute possibilis. Quod

« tæ, e vita decesserit, aut se episcopatu abdicaverit, aut ad « aliam sit translatus ecclesiam. Quod apud omnes canonistas « indubitatum asserunt Barbosa.., Fagnanus.., Reiffenstuel. « Non ita certum est, an Episcopi morte cessent statuta, ab « eodem extra Synodum facta, et per simplex edictum pro- « mulgata. Hæc quippe statim vires amittere, neque amplius « urgere, autumant Bertacchinus.., Zerola.., Sperellus.., « Barbosa..; inde inferentes, per Episcopi obitum cessare « casuum reservationem, nisi facta fuerit in Synodo. At me- « lius alii, Episcopi statutis, etiam extra Synodum, audito « tamen consilio capituli (1), factis et promulgatis, eamdem « attribuunt perpetuitatem, quam omnes concedunt synoda- « libus constitutionibus : siquidem etiam illæ suas vires et « efficaciam unice mutuantur ab auctoritate et jurisdictione « Episcopi, quæ eadem prorsus est, sive in Synodo, sive extra « Synodum exerceatur. Accedit expressa decisio Gregorii IX « (in capite ultimo *de Officio Legati*), ubi ait : *Nemini dubium « esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicæ statuta, edita « in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet « eadem postmodum sint egressi*. Nam si statutum Legati perse- « verat, postquam ejus jurisdictio per egressum e provincia « est exstincta, idem dicendum esse de quolibet Episcopi sta- « tuto, merito ibidem observat Glossa..; quam sequuntur Ja- « son.., Fredericus de Senis.., aliique quos allegat Reiffen- « stuel (tit. *de Constitutionibus*, § 4, n. 70); ubi simul docet, « hanc eamdem potestatem condendi statuta in perpetuum « duratura, competere capitulo, vacante sede episcopali. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 5, n. 1.)

« Nota igitur, quod censuræ quas fert Episcopus in Synodo « diœcesana, dicuntur latæ per modum statuti ; et hæ tanquam « latæ a jure durant post mortem Episcopi. Aliæ vero extra

(1) Notetur restrictio hæc, *audito tamen consilio capituli*. Non enim videtur admittere Benedictus XIV episcopalia statuta extra Synodum promulgata, post morte m Episcopi in suo robore permanere, nisi expetitum fuerit capituli consilium.

« Synodum dicuntur latæ ab homine per modum præcepti seu « mandati aut sententiæ; et hæ per mortem ferentis cessant, sive præceptum sit particulare, sive generale. Ita « Roncaglia.., Salmanticenses.., Croix.. » (Sanctus Ligorius, l. 7, n. 6.)

« Alia vero (statuta) ab Episcopo condita extra Synodum, « temporanea sunt, illiusque obitu exspirant, ut per Baldum « et doctores 5 in lege 5 ff. *de Verborum significatione*, Bertac- « chinus.., Riccius.., et pro certo supponitur a Rota, deci- « sione 79, n. 6, parte 1 *Recentiorum*. Et hanc partem sequi- « tur, prædictos referens, novissime Sperellus.., contra Mar- « cum Antonium Genuensem. Unde infert Sperellus.., quod « casus ab Episcopo reservati per ejus obitum exspirant, nisi « in Synodo facta fuerit reservatio. » (Barbosa, *de Officio et pot. Episcopi*, parte 3, alleg. 93, n. 23.)

Ob illam sententiarum diversitatem prudenter sic admonet Benedictus XIV : « Convenit reservationem fieri « in Synodo; quia in Synodo facta induit naturam legis, « quæ nullo contradicente, perpetua est, et quandiu non « revocatur perseverat : facta autem extra Synodum, non « ab omnibus reputatur perpetua; opinantibus plerisque- « theologis, quos sequuntur Gavautus.. et Roncaglia.., il- « lam, decedente Episcopo a quo facta est, illico expirare; « aliis ex adverso, cum Capœvillo.., contendentibus etiam « tum perpetuam esse, et durare donec a successore vel « expresse vel tacite revocetur : ex quo fiat ut, mortuo Epi- « scopo, aliqui prima sententia imbuti a reservatis absol- « vant; alii vero secundam sectantes, talem absolutionem « invalidam pronuntiabunt; atque exinde multa scandala « exorientur, quæ præcaventur si reservatio in Synodo fiat. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 5, c. 4, n. 3.)

Propositio XII^a. — *Ad solum Episcopum, alterumve qui ejus loco præsit, constitutiones synodales sua subscriptione firmare pertinet.* — Quia nempe solus in Synodo habet legislativam potestatem, seu jurisdictionem ad condendas constitutiones. Est-

que id extra controversiam apud doctores (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 2).

Propositio XIII[a]. — *Non licet Episcopo mulctis aut censuris singulos presbyteros cogere ad sibi emendum synodalium constitutionum codicem.* — Ita pluries a S. Congregatione Concilii decisum vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 13, c. 5, n. 14), et apud Ferraris (verbo *Synodus diœces.*, n. 61).

Propositio XIV[a]. — *Statuta synodalia, ut obligare incipiant, non alia indigent promulgatione, præter eam quæ fit in ipsa Synodo.* — Vide id probatum a Benedicto XIV, *de Syn. diœc.*, l. 13, c. 4.

Propositio XV[a]. — *Cavendum Episcopo est, ne in statutis synodalibus decidat quæstiones dubias atque inter doctores controversas, unamque sententiam præ altera clericis suis tenendam ac sequendam præscribat.* — Patet ratio : cum enim Episcopus non sit infallibilis, sua remaneret alteri sententiæ probabilitas, quantumvis eam deserendam pronuntiasset. Ergo adhuc ipsius clericis licitum foret eam sequi : sicque inane remaneret ejusmodi statutum. Quod et confirmari potest ex absurdis : si enim in una diœcesi posset Episcopus unam ex duabus controversis opinionibus tenendam injungere, pari jure posset vicinæ diœcesis Ordinarius injungere oppositam : sicque clerici prout in hac vel illa versarentur diœcesi, tenerentur pro vel contra de eadem re sentire, quod absonum est (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 7, c. 1).

Propositio XVI[a]. — *Statuta synodalia, quæ contra jus commune seu leges Ecclesiæ universales, vel etiam contra provincialis Synodi decreta disponunt, sunt irrita.* — « Nihil magis « vulgatum est, quam quod synodalis constitutio contra jus « commune et Apostolicas sanctiones, nullius sit roboris et « firmitatis. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 12, c. 1.) Sequitur ex eo quod inferior nequeat irritare legem superioris, sitque Episcopus inferior relative ad totius Ecclesiæ legislatorem. Item inferior est Episcopus relative ad Concilium provinciale : unde et nihil valide statuere potest contra provincialis Synodi decreta.

SECTIO II.

Celebrandæ Synodi ordo seu forma describitur.

Dicemus : 1° de iis quæ præcedunt Synodum : 2° de die prima : 3° de die secunda : 4° de die tertia. Quod si forte aut breviori aut longiori temporis spatio celebretur Synodus, facile aptari poterunt, quæ supposita trium dierum duratione observanda describimus.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ PRÆCEDUNT SYNODUM.

I. *Dies inchoationis Synodi debet omnibus qui interesse tenentur authentice denuntiari.* — Tum quia alias non tenerentur adesse ; tum quia in *Cœremoniali* id præcipitur in hunc modum : « Primo erit advertendum, præsertim in Concilio pro« vinciali habendo, ut dies inchoationis hujusmodi Concilii « per publica documenta omnibus qui de jure vel consuetu« dine interesse debent, denuntietur. » (Ultimo titulo libri 1.) Sufficiunt autem litteræ convocationis quas curat Episcopus ad eorum omnium notitiam pervenire, qui ad Synodum accedere tenentur.

II. *Quod annuntietur dies futuræ Synodi in die Epiphaniæ, est de consilio, non de præcepto.*—Colligitur ex verbo *poterit*, quo utitur Cœremoniale : « Et ut plenius divulgetur, in die Epipha« niæ, dum frequenti populo intra missarum solemnia festi-

« vitates ejus anni solemniores denuntiantur, *poterit* loco suo « inter ipsos dies festos pronuntiari et promulgari, tam in « ecclesia metropolitana, quam in quibuscumque aliis cathe- « dralibus et subjectis. »

III. *Quod schedula diem Synodi denuntians affigatur ecclesiæ cathedralis valvis, non est de præcepto, sed solum de consilio.* — Etenim sub eodem verbo *poterit* prosequitur Cæremoniale in hunc modum : « Et per duos aut saltem unum mensem ante « dictum diem, schedula, manu notarii seu cancellarii sub- « scripta, ecclesiæ cathedralis valvis affigi, sub hujusmodi aut « simili tenore : *Concilium provinciale (seu Synodus diœcesana)* « *N.., per Reverendissimum dominum N.. Archiepiscopum (vel* « *Episcopum) N.. indictum (vel indicta), hoc anno.., mense..,* « *die.., Deo adjuvante, in metropolitana (seu cathedrali) ecclesia* « *inchoabitur.* »

IV. *Quod tribus proxime antecedentibus dominicis diebus in singulis ecclesiis inchoanda Synodus iterum annuntietur, est tantum de consilio.* — Patet ex verbo *conveniens erit,* quo utitur Cæremoniale : « Rursus tribus proximis diebus dominicis ante « dictam diem conveniens erit, si, tam in ipsa ecclesia metro- « politana per concionatorem, quam in singulis parochialibus « per parochos, iterum atque iterum denuntietur, populique « fideles ad devotionem, orationes, jejunia, sacramentum « pœnitentiæ, sanctissimæ eucharistiæ sumptionem, aliaque « pia opera hortentur. »

V. *Statuta in Synodo publicanda debet Episcopus, aliquanto saltem ante Synodum tempore, præparare ac capitulo communicare.* — Sequitur ex eo quod teneatur Episcopus capituli consilium quoad statuta requirere. Cum enim consilium illud dari debeat capitulariter et post maturam deliberationem, competens ad hoc tempus capitulo concedendum est. Non autem concederetur competens illud tempus, si jam incœpta Synodo Episcopus statuta capitulo communicaret et consilium peteret.

VI. *Congregationes ante Synodum de quibus loquitur Gavantus,*

non sunt de jure necessariæ. — Sic nempe habet Gavantus in sua *Praxi Synodi diœcesanæ,* parte 1, cap. 4 : « Diversis die« bus et ob diversas causas habendæ sunt variæ Congrega« tiones coram Episcopo, qui in iis cum rochetto et mozetta in « suis ædibus consultores excipiet. » Dicit postea idem auctor adhibendos esse in consiliarios ab Episcopo theologos et canonistas, sæculares et regulares; vocandos esse successive ad ejusmodi consultationes parochos civitatis, superiores regularium, etc. Et tandem normam quamdam tradit procedendi in ejusmodi congregationibus, ad præparanda Synodi negotia adunatis.

Sed hæc omnia, etsi utilia esse possint, de facultativis sunt. Nimirum præter capitulum cujus consilium de jure exquirere tenetur Episcopus, nullus alius necessario est in consilium adhibendus. Potest Episcopus per seipsum statuta synodalia, cæteraque Synodi negotia præparare absque ullo alio (præter canonicos) consiliario, si non indigeat. Item liberum ipsi est quos maluerit consiliarios adhibere. Et tandem si ejusmodi consiliariorum congregationes habere voluerit, liberum ipsi est quo voluerit modo in eis procedere. Quod adnotamus, ne quis Gavantum legendo existimet, normam hac de re ab ipso descriptam, obligatoriam esse quoad Episcopum.

VII. *Ante Synodum apte disponenda est ecclesia in qua celebranda est.* — Cum eo nempe apparatu, qui a Cœremoniali requiritur, et quem supra descripsimus.

VIII. *Quomodo pridie pulsandæ sint campanæ :* — « Pridie « ejus diei quo Synodus inchoanda erit, debent campanæ « ecclesiæ cathedralis, aliarumque ecclesiarum in eadem « civitate sitarum solemni ritu pulsari a primis vesperis per « totam diem, et ipsa die sequenti quousque Archiepiscopus « vel Episcopus ingressus fuerit ecclesiam. » (*Cœremoniale Episc.*, libro 1, tit. ultimo.)

CAPUT II.

ORDO PRIMÆ DIEI SYNODI, QUANDO TRIBUS DIEBUS ABSOLVITUR SYNODUS.

I. Circa ipsummet initium agendorum prima die, adest discrimen Pontificale inter et Cæremoniale Episcoporum. Pontificale sic habet: *Prima autem die Synodi, Pontifex summo mane, cappam indutus, ab universo clero cum superpelliceis comitatus, ad ecclesiam pergit, paratur in sede, missam celebrat de Spiritu Sancto.* In Cæremoniali autem disponitur in hunc modum: *Ipsa die inchoationis Concilii, summo mane, congregatis Episcopis et aliis qui Concilio interesse debent, in domo ipsius Archiepiscopi, vel alio convenienti loco, Episcopi capient sacros paratus, hoc est, supra rochettum amictus, pluvialia et mitras auriphrygiatas uniformes; Archiepiscopus vero Concilii præsidens indutus erit amictu, alba, cingulo, stola et mitra pretiosa. . Paramenta omnia erunt coloris rubri. Ibunt autem omnes supplicantes, psallentesque processionali ritu, prout in processionibus quæ litaniæ dicuntur... Quibus omnibus ecclesiam ingressis, cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter.* Pontificale non supponit fieri solemnem processionem, sed tantum associationem Episcopi. Cæremoniale e contra præscribit solemnem processionem; sed ibi non loquitur expresse nisi de provinciali Synodo. Attamen, testante Benedicto XIV, usu generali receptum est, ut pro diœcesana etiam Synodo fiat solemnis processio per urbem. Jam supra dixi facultativam mihi videri processionem illam, si de Synodo diœcesana agatur. Hinc modum procedendi describemus, tum in hypothesi quod omittatur, tum in hypothesi quod fiat dicta processio.

Primo. Si facienda non sit solemnis processio per urbem, is videtur servandus ordo: summo mane, hora indicta, omnes qui Synodo interesse debent, congregabuntur, vel in domo

Episcopi, vel in alio convenienti loco, quem assignaverit Episcopus. Cappam Episcopus induet, non pluviale nec mitram; et perget ad ecclesiam in qua Synodus celebranda est. Ipsum comitabuntur universi de clero cum superpelliceis. Nihil eundo cantabitur; quia non est processio, sed simplex associatio. Campanæ autem et organum pulsabuntur, donec Episcopus ecclesiam ingressus sit. Postquam autem Episcopus ingressus fuerit, parabitur in sede ad celebrandam pontificali ritu missam de Spiritu Sancto.

Secundo. Si facienda sit solemnis processio per urbem, videtur pro norma sumendus Cœremonialis textus, iis omissis quæ provincialis Synodi propria sunt. Is nempe tunc ordo servandus videtur: summo mane, hora indicta, congregabuntur omnes in domo Episcopi, vel in alio convenienti loco, quem maluerit Episcopus. Ibique omnes parabuntur sicut præscribitur pro solemnibus supplicationibus seu processionibus; et Episcopus quidem cum amictu, alba, cingulo, stola, pluviali et mitra pretiosa. Et ibunt psallentes ut dicitur in citato textu Cœremonialis Episcoporum. Pulsabuntur campanæ et organum ecclesiæ in qua celebranda est Synodus, donec eam processio ingressa sit. Post ingressum, parabitur Episcopus pro celebranda pontificaliter missa de Spiritu Sancto.

II. Absoluta missa, non tamen data benedictione, quæ datur semper in fine sessionis, cantantur ea omnia quæ habentur in Pontificali, ab antiphona *Exaudi Domine*, usque ad finem hymmi *Veni Creator*, et fiunt cœremoniæ ibidem in rubricis præscriptæ.

III. Finito hymmo *Veni Creator*, Episcopus (sedens eo modo qui præscribitur in rubrica, post dictum hymmum in Pontificali posita) sermonem habet ad Synodum. Et deinde, si Episcopo placuerit, prædicat etiam concionator ad id deputatus. Sed quia valde longa est prima illa sessio, supprimenda potius videretur posterior concio; vel tunc solummodo habenda, quando vires Episcopo non suppetunt, ad suam faciendam allocutionem.

Nota. — Post ejusmodi concionem vel conciones, juxta rubricam Pontificalis, audiendæ forent querelæ. Sed usus invaluit ut deputentur ab Episcopo, inter officiales Synodi, nonnulli viri graves, ad ejusmodi querelas excipiendas et dirimendas; qui propterea *judices querelarum* vocari solent. Non ergo audiuntur in plena sessione querelæ ejusmodi, sed ad dictos judices remittuntur. Hinc,

IV. Statim post absolutam Episcopi allocutionem (et concionatoris prædicationem, si habeatur), secretarius ascendit pulpitum, et legit sequentia decreta :

1° Decretum de Synodo incœpta (vide formulam, sequenti sectione, n. 4).

2° Decretum de modo vivendi Synodi tempore (vide formulam, ibid., n. 5).

3° Decretum de ministris synodalibus (vide formulam ibidem, n. 6).

4° Decretum de non præjudicando, per assignatum cuique in Synodo sedendi et præcedendi locum (vide formulam ibidem, n. 7).

5° Decretum de non discedendo (vide formulam ibidem, n. 8).

6° Decretum de constitutis commissionibus seu congregationibus particularibus (si forte ejusmodi congregationes instituere voluerit Episcopus). Vide formulam ibidem, n. 9. Hisce decretis alta voce perlectis, descendit secretarius de pulpito.

V. Instat promotor, ut Fidei professionem emittant ii omnes, qui de jure ad id tenentur (hujus instantiæ formulam vide sequenti sectione, n. 10). Respondet Episcopus : *Ita fieri decernimus ac mandamus.*

VI. Tunc secretarius ascendit pulpitum, et legit decretum de emittenda professione Fidei (formulam vide ibidem, n. 11). Postea accedunt qui professionem Fidei emissuri sunt. Formulam Pii IV recitat secretarius. Et ubi deventum est ad ultimam phrasim *ego idem,* etc., accedunt bini vel terni, et coram Episcopo, extensa super librum evangeliorum dextera

manu, pronuntiant phrasim illam, vel parvulam formulam quam ponimus sub sequenti sectione, n. 12. Et recedendo sese sistunt coram notario, ut is eorum nomina adnotet, ut de facta ab ipsis professione publicum instrumentum conficere possit.

VII. Instat promotor ut vocentur omnes qui Synodo interesse teneutur, et absentes notentur (vide hujus instantiæ formulam sectione sequenti, n. 13). Respondet Episcopus: *Ita decernimus ac mandamus*. Tunc secretarius ex pulpito legit nomina, et quisque respondet, *adsum*. Absentium nomina signat secretarius lineola, vel alio signo.

VIII. Quia his peractis tarda jam hora esse solet, instat promotor, si ita placuerit Episcopo, ut primæ sessioni finis imponatur; vel, si maluerit Episcopus, ut assignetur hora pro continuanda eadem sessione post meridiem.

Quod si habenda sit eo die congregatio generalis, et adunari debeant congregationes particulares seu commissiones, instabit simul promotor, ut pro iis assignetur hora (formulam pro ejusmodi instantia vide sequenti sectione, n. 14).

Nota. — Quando mos est ut habeantur durante Synodo congregationes generales et particulares, satius videtur ut uniuscujusque diei sessio absolvatur matutino tempore, et non continuetur post meridiem. Et tunc assignari poterit hora 2ª vel 3ª post meridiem pro congregatione generali; et alia opportuna hora (verbi gratia 10ª vel 11ª matutina) qua singulæ commissiones suo quæque loco, ad deliberandum de re sibi proposita, conveniant.

IX. Si promotor institerit pro *continuanda* sessione pomeridiano tempore, tali hora, Episcopus postquam responderit, *ita decernimus et mandamus*, exuet pontificalia, cappam assumet, manu tantum dabit benedictionem clero, et post brevem orationem in faldistorio, recedet; eum comitabitur solummodo clerus cathedralis; et omnes discedent.

X. Sin vero promotor institerit pro *finienda* sessione prima, et Episcopus responderit, *ita decernimus et mandamus*, ante

discessum hæc observanda sunt. 1° Instabit promotor ut notarius de omnibus in sessione peractis authenticum instrumentum conficiat (cujus instantiæ formulam habes sequenti sectione, n. 16).

2° Respondebit notarius se facturum : pro qua responsione uti poterit formula quæ habetur sectione sequenti n. 17.

3° Indicat Gavantus fieri tunc aliquantisper orationem mentalem, et cantari a diacono capita seu materiam hujusce orationis. Sed praxis hæc, utpote de qua nihil præscriptum in Pontificali nec in Cœremoniali reperitur, prætermitti potest. Cum tamen pulcherrima sit, et alicui forsan Episcopo eam introducere placebit, ipsius formulam ponimus sectione sequenti, n. 18.

4° Post supradictum notarii responsum (vel post orationem mentalem, si hæc fieret), Episcopus cum mitra, et baculum sinistra manu accipiens, solemniter benedicit per verba, *Sit nomen Domini*, etc. Postea depositis pontificalibus indumentis, discedit cum cappa, et clerus post eum.

XI. Si habeatur congregatio generalis, cum sit quid facultativum, modus in ea procedendi ab arbitrio Episcopi dependet. Valde mihi placet praxis cujus nuper in Auscitana Synodo testis fui. Archiepiscopus nempe cum rochetto et mozetta recitabat orationem *Adsumus*. Postea clerum aliquandiu alloquebatur, disserens de aliqua e constitutionibus synodalibus quas promulgare in proposito habebat. Tum secretarius commissionis, quæ jussa fuerat de hoc eodem statuto deliberare et sensum suum aperire, de dictis hac de re a membris commissionis et de sensu majoris partis referebat. Tandem totius Synodi sic generaliter congregatæ sensum exquirens Reverendissimus Archiepiscopus, hortabatur ut si quis de hoc eodem statuto aliquid haberet adnotandum, libere mentem aperiret : paterneque exceptis ejusmodi observationibus, et varie quandoque opinantium concertationibus, finem congregationi imponebat per orationem *Sub tuum*. Notandum autem est, ejusmodi praxim totius Synodi sensum exquirendi, esse præter

jus, neque ad id Episcopum teneri; sed sufficere ut exquirat consilium capituli. Et a fortiori Synodi consilium, etiam unanime, sequi nequaquam tenetur.

CAPUT III.

ORDO SECUNDÆ DIEI, QUANDO TRIBUS DIEBUS ABSOLVITUR SYNODUS.

I. Hora pridie assignata convenit clerus in ecclesiam in qua celebratur Synodus, et expectat Episcopum. Venit Episcopus, cappa indutus, comitante capitulo. Et post solitam aspersionem et precem ante sanctissimum Sacramentum, assistit missæ pro defunctis, quam celebrat unus e canonicis. Quod celebretur a canonico missa pro defunctis secunda die Synodi, non quidem præscriptum reperies, sed generali consuetudine inductum est, ut supra dictum fuit.

II. Finita missa extenditur pannus niger: induitur Episcopus amictu, stola nigra, pluviali item nigro, et mitra simplici; et consuetas pro defunctis orationes recitat. Postea nigras vestes mutans in rubeas, paratur ut in hesterna sessione.

III. Inchoat Episcopus antiphonam *propitius*. Et cantantur omnia quæ in Missali sequuntur, servatis ibidem interpositis rubricis, usque ad finem hymni *Veni Creator*.

IV. Tunc Episcopus clerum alloquitur, et deinde (si visum ita fuerit Episcopo) concionator orationem habet.

V. Promotor instat ut designentur judices synodales, nisi jam in provinciali Concilio nominati fuerint (hujus instantiæ formulam vide sectione sequenti, n. 19). Respondet Episcopus: *Ita volumus ac mandamus*.

VI. Secretarius tunc legit caput 10 sessionis 25 Tridentinæ Synodi, necnon Decretalem *statutum* Bonifacii VIII, et Constitutionem Gregorii XV, in quibus agitur de judicibus synodalibus. Tum proponit designatos ab Episcopo. Cumque debeat

Episcopus in iis nominandis Synodi consilium exquirere, quamvis non teneatur illud sequi, addere potest secretarius, *placet-ne Dominus N...?* Si major pars Synodi asseuserit, interrogat pariter de secundo. Siu vero major pars Synodi nominatum rejiciat, Episcopi erit eum nihilominus retinere, vel alterum ei substituere. Et postquam de singulis postulatum fuit consilium Synodi, eos qui definitive ab Episcopo nominantur enuntiat (formulam qua secretarius uti potest, habes sequenti sectione, n. 20).

Nota. — Ubi fiunt congregationes generales, commodius est, ut in aliqua ex ipsis consilium Synodi exquirat Episcopus, circa eos quos ad judicum Synodalium munus proponit. Et tunc in sessione secretarius enuntiabit solummodo nominatos ab Episcopo, per formulam *nominamus ac deputamus in judices...*, et supprimet interrogationes *placet-ne*, etc.

VII. Instat promotor pro nominandis examinatoribus synodalibus (vide formulam hujus instantiæ sectione sequenti, n. 21). Respondet Episcopus : *Ita volumus ac mandamus.*

VIII. Tunc secretarius legit caput 18 sessionis 24 Tridentinæ Synodi. Postea enuntiat propositos ab Episcopo. Cumque, non tantum consilium, sed etiam majoris partis Synodi consensus requiratur, addit secretarius, de singulis : *Placet-ne vobis?* Quod si quis a Synodo rejiciatur, alium Episcopus substituet. Et ubi constat de consensu Synodi, pronuntiat secretarius nominationem per verba, *nominamus ac deputamus in examinatores.*

Nota. — Si fiat congregatio generalis, commodius erit in ea dictum Synodi consensum exquirere, et nominandos determinare. Quia tunc in sessione satis erit ut secretarius pronuntiet formulam *nominamus ac deputamus,* omissis interrogationibus, *placet-ne vobis* (formulam qua uti poterit secretarius quoad examinatorum synodalium deputationem vide sequenti sectione, n. 22).

IX. Instat promotor ut examinatores synodales juramentum præstent (hujus instantiæ formulam habes sequenti sectione

n. 23). Respondet Episcopus : *Ita decernimus ac mandamus.*

X. Accedunt examinatores synodales et juramenti formulam pronuntiant (vide hanc formulam ibidem n. 24).

XI. Iustat promotor ut legantur et promulgentur statuta synodalia, si quæ siut promulganda (vide formulam hujus instantiæ, ibidem n. 25). Respondet Episcopus : *Ita fieri decernimus.*

XII. Secretarius tunc statuta illa legit. Quæ lectio, ut supra diximus, est sufficiens promulgatio ; ita ut ex eo temporis articulo obligatoria esse incipiant.

XIII. Modus indicendi sessionis finem, vel continuationem pomeridiano tempore, expediri possunt ut pridie.

CAPUT IV.

ORDO TERTIÆ DIEI, QUANDO TRIBUS DIEBUS SYNODUS ABSOLVITUR.

I. Hora indicta conveniunt omnes ut heri.

II. Cantatur a canonico missa de Sanctissima Trinitate, et additur oratio pro gratiarum actione. Assistit Episcopus indutus amictu, alba, cingulo, cruce pastorali, cum stola et pluviali albis, necnon cum mitra et baculo pastorali. Finita missa, sumit Episcopus paramenta rubra.

III. Incipit Episcopus antiphonam *Exaudi nos;* et cantantur ea omnia quæ habentur in Pontificali pro tertia die, servatis interjectis ibidem rubricis, usque ad finem hymni *Veni Creator.*

IV. Ibi fit allocutio ab Episcopo, et dein a concionatore (si ita Episcopo videbitur).

V. Instat promotor ut legantur statuta synodalia si quæ legenda supersint. Item ut legantur decreta Concilii provinciæ, si nondum fuerint in Synodo promulgata (vide formulam sequenti sectione, n. 25). Respondet Episcopus : *Ita volumus et mandamus.*

VI. Secretarius statuta hæc et decreta legit.

VII. Hisce expeditis, Episcopus « sedens cum mitra, om« nium orationibus se commendat. » (Sunt verba Pontificalis.)

VIII. Instat promotor ut vocentur omnes qui Synodo interesse debent, et notentur absentes (formulam vide sequenti sectione, n. 13).

IX. Secretarius recitat nomina; respondent singuli *adsum*. Nomina absentium signat secretarius aliquo signo.

X. Si continuanda sit sessio post meridiem, omnia fiunt ut heri pro simili continuatione factum est.

XI. Si finienda sit sessio et Synodus, remanent peragenda quæ sequuntur :

XII. Procurator cleri auditur ab Episcopo. Exponit nempe tunc dictus procurator vota, gratiarum actiones et varias postulationes cleri, prout ab eodem clero mandatum accepit.

XIII. Instat promotor pro decernenda conclusione Synodi (formulam vide sequenti sectione, n, 26). Respondet Episcopus, se ita velle ac mandare.

XIV. Tunc secretarius legit decretum de Synodi conclusione (vide formulam ibidem, n. 27).

XV. Pronuntiata conclusione Synodi, solet Episcopus sermonem habere ad clerum, antequam eum dimittat.

XVI. Postea cantatur *Te Deum* (quod fiat processio intra ecclesiam, vel etiam paulo extra, dum cantatur *Te Deum*, est facultativum).

XVII. Absoluto hymno *Te Deum*, Episcopus « dimissa mi« tra, surgit, et stans versus altare (sunt verba rubricæ) » dicit *Oremus, nulla est...*, ut in Pontificali.

XVIII. Secretarius ascendit suggestum, et legit decretum de dimissione Synodi (vide formulam sectione sequenti, n. 28).

XIX. Episcopus benedicit solemniter, per verba *sit nomen Domini...;* et dat indulgentiam.

XX. Tandem diaconus assistens cantat, ut in Pontificali, *recedamus in pace*. Respondent omnes, *in nomine Christi*.

XXI. Episcopus exuit pontificalia, et cappa indutus rece-

dit. Quem omnes, superpelliceis induti, ad domum reducunt.

XXII. Post dimissam Synodum, judices ab Episcopo deputati ad recipiendas absentium excusationes, pronuntiant de singulis absentibus num legitime abfuerint. Contra eos qui sine justa causa abfuerunt animadverti potest censuris, etiam excommunicatione, aliisve pœnis; atque etiam mulctis pecuniariis.

Nota. — Remaneret determinandus ordo quando Synodus ultra tres dies protrahitur, vel duobus, aut etiam unico absolvitur. Sed facile ad normam eorum quæ dicta sunt accommodari res poterit in variis præfatis casibus.

SECTIO II.

Formulæ pro diœcesana Synodo.

I. *Formula pro indicenda Synodo in festo Epiphaniæ.* — « Do- « minica secunda post Pascha diœcesana Synodus habebitur. » Ita habetur, cum suo cantu proprio, in Pontificali, sub initium partis tertiæ. Sed si alius dies ab Episcopo assignatus fuerit, dies ille enuntiandus erit.

II. *Formula edicti, ecclesiæ cathedralis valvis affigendi, pro indicenda Synodo :* Synodus diœcesana N..., per Reverendissimum D. N. indicta, hoc anno..., mense..., die..., Deo adjuvante in ecclesia N... inchoabitur. N... cancellarius Episcopi.

III. *Formula notificandi futuram Synodum et ad eam convocandi.* — N... Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N... — Synodum diœcesanam hoc anno, Deo adjuvante habituri, ne pereat fructus ille quem ex ea omnes capere possumus, monemus in Domino, ac sub pœnis sacrorum canonum, seu aliis ad arbitrium nostrum, jubemus in virtute sanctæ obedientiæ, ut venerabiles cathedralis nostræ dignitates, canonici et capitulum, itemque omnes qui curam animarum gerunt, ac quoscumque alios qui de jure vel consuetudine Synodo interesse tenentur, ut mense..., die..., hora. ., in ecclesia N... conveniant, ad dictam Synodum celebrandam. Ne autem hujus nostri præcepti ac convocationis ignorantia prætendi valeat, volumus ut præsentes nostræ litteræ in loco solito sessionum cathedralis capituli, convocatis omnibus ejusdem capituli membris, necnon in singulis clericorum pro collationibus ec-

clesiasticis adunatorum cœtibus, perlegantur. Datum, etc.— N... Episcopus N... — N... cancellarius.

Nota.— Dum ejusmodi litterarum certam formulam exhibemus, id facimus in gratiam eorum qui forte uti volent. Cæterum cuique Episcopo liberum est quo maluerit modo et idiomate litteras illas conscribere; dummodo necessaria ad inducendam obligationem non prætermittat. Et idem intellige de cæteris quæ subjiciuntur formulis, quas quisque pro suo libitu variare poterit, dummodo necessaria in singulis exprimantur.

IV. *Formula decreti de Synodo incœpta.* — In nomine Sanctissimæ ac individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Nos N..., Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N... (si quos alios titulos habeat Episcopus, eos addat), ad Dei omnipotentis, ac beatissimæ Virginis sine labe originali conceptæ, et sanctorum patronorum N... et N... laudem; nostram diœcesanam Synodum incipimus. Faciat idem omnipotens Deus pro sua misericordia, precibusque Virginis beatissimæ, ac eorumdem sanctorum, aliorumque, ut quemadmodum speramus, ex hoc sacro cœtu lumen et spiritum omnes reportemus, ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda.

V. *Formula decreti de modo vivendi, Synodi tempore.*— Quoniam nihil fere sæpius et divinis litteris et ecclesiasticis monumentis commendatum est, quam clericalis ordinis hominum vitæ integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnium ornamenta, quibus domus Dei potissimum excolitur; ideo clerum nostrum hic præsentem monemus et per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur, ut cum semper, tum maxime hoc tempore præluceat omni virtutum splendore *(si affixa fuerit aliqua tabella de observandis in agendi ratione tempore Synodi, addatur)*. Tabellam igitur disciplinæ synodalis a nobis propositam diligenter observent, quæ est hujusmodi *(et ibi legatur ista tabella)*.

VI. *Formula decreti pro constituendis ministris Synodi.* — Constituimus in hac nostra Synodo: Promotorem, reveren-

dum dominum N... — Secretarium, R. D. N. — Judices querelarum et excusationum, RR. DD. N... et N... — Notarium, R. D. N. — Procuratorem cleri, R. D. N. — Magistros cœremoniarum, quibus omnes obediant, RR. DD. N... et N... — Præfectum hospitalitatis, R. D. N.

VII. *Formula decreti de non præjudicando per assignatum cuique sedendi et præcedendi locum.* — Decernimus, si cui contigerit suo loco non sedere aut incedere, aut vocari, aut aliud quidpiam agere, propterea nemini novum jus acquiri, nec quidquam de cujusque jure possessioneve detrahi; sed in eo ipso statu permanere, in quo ante hanc Synodum esse reperiebatur.

VIII. *Formula decreti de non discedendo.* — Vobis præterea omnibus et singulis, qui huic Synodo jure interesse debetis, pœna excommunicationis proposita vetamus, ut ne vestrum quisquam a civitate N... discedat, antequam hæc nostra diœcesana Synodus de more absoluta ac dimissa sit, nisi facultate a vicario generali sibi concessa; sed huic Synodo, synodalibusque actionibus, sessionibus, ac conventibus quibuscumque, qui indicentur, omnes et singulos vos interesse jubemus, eadem excommunicationis pœna proposita *(hanc formulam, sicut et plerasque alias, ex Gavanto transcripsimus).*

IX. *Formula decreti pro constituendis commissionibus.* — Quoniam plurimum conferre potest, ut clerus noster, cujus prudentiam, rerumque ac locorum experientiam, necnon gloriæ Dei ac salutis animarum zelum apprime novimus, sensum suum, de nonnullis hujusce diœcesis administrationem respicientibus, sincere nobis aperiat, visum est commissiones ex eodem clero constituere, quarum unaquæque de quæstione sibi proposita mature deliberet, et quid sibi magis in Domino expedire videatur per secretarium suum nobis in generali totius Synodi congregatione referat. Igitur commissiones ejusmodi constituimus ac deputamus, quæ constant ut sequitur : 1° commissio de quæstione N.., reverendo domino N... præside : reverendo domino N... secretario : reverendis

dominis N, N., N... 2° commissio de quæstione N..., reverendo domino N.. præside, etc. (*Nota, ejusmodi commissiones esse præter jus, et præter generalem consuetudinem, ut supra dictum est; posse tamen ab Episcopo, si visum fuerit constitui.*)

X. *Formula instantiæ promotoris pro emittenda Fidei professione.* — Reverendissime Pater et Domine; cavit sacrosanctum Concilium Tridentinum, ut qui beneficia ecclesiastica consecuti sunt, et qui Synodo diœcesanæ interesse debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, Fidei professionem faciant ac præstent, prout illa Tridentina sanctione expressum est. Ideo ego N.., hujus Synodi promotor, humiliter peto et requiro sanctionem illam legi, et ad præscriptum ab iis qui teneutur, omnia et singula præstari. (Singulis promotoris instantiis respondet Episcopus per hæc aut similia verba : *Ita fieri decernimus ac mandamus.*)

XI. *Formula decreti a secretario legendi, de professione Fidei.* — A sacrosancta Tridentina Synodo illud gravissime sancitum est, ut quicumque ecclesiastica beneficia obtinebunt, qui item ad diœcesanam Synodum convenire debent, omnes in ipsa Synodo, ad quam primo convenient, professionem Fidei faciant. Verba Tridentini Concilii hæc sunt (sess. 25, c. 2) : « Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, « Archiepiscopis, Episcopis, et omnibus aliis qui de jure vel « consuetudine in Concilio provinciali interesse debent, ut « ipsa prima Synodo provinciali post finem præsentis Concilii « habenda, ea omnia et singula, quæ a sancta Synodo definita « et statuta sunt, palam recipiant; necnon veram obedien- « tiam Summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur; « simulque hæreses omnes a sacris canonibus, generalibus « Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, « publice detestentur et anathematizent. Idem in posterum « quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Epi- « scopos sunt promovendi, in prima Synodo provinciali, in « qua ipsi interfuerint, omnino observent... cæteri vero om- « nes, sive in præsenti, sive in futurum beneficia ecclesi-

« astica habituri, et qui in Synodo diœcesana convenire de« bent, idem ut supra in ea Synodo, quæ primo quoque « tempore celebrabitur, faciant et observent : alias secundum « formam sacrorum canonum puniantur. »

Accedant igitur omnes et singuli, qui alias Fidei professionem in Synodo non emiserunt, et emittere tenentur; atque dictam professionem ex formula præscripta a Pio IV emittant genuflexi in medio clero, ante Reverendissimum Episcopum.

(Tunc legit secretarius formulam Pii IV, usque ad ultimam phrasim, ego idem, *etc., exclusive. Illam formulam hic non transcribo, quia habetur in Pontificali, titulo* ergo ad Synodum, *et in multis aliis libris.)*

XII. *Formula verborum, quæ a singulis pro emittenda professione Fidei pronuntiari possunt, post lectam a secretario formulam Pii IV.* — Ego N., recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et juro, ut in decretis et formula professionis Fidei ex Bulla modo lectis, singula singulis referendo : sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. *(Si pauci forent, verbi gratia non ultra duos aut tres, satius foret ut ipsimet totam formulam Pii IV pronuntiarent.)*

XIII. *Formula instantiæ promotoris, pro vocando clero, et notandis absentibus.* — Reverendissime Pater et Domine, sancitum est Conciliis generalibus et præcipue Concilio Tridentino, quod omnes ecclesiastici viri, etiam exempti, qui de jure vel consuetudine Synodo diœcesanæ interesse debent, si negligentes fuerint, pœnas sacris canonibus sancitas incurrant. Quamobrem eos omnes e suggestu publice vocari humiliter peto, et absentes diligenter notari, ut si justam excusationem non prætulerint, debitis in eos pœnis animadvertatur.

XIV. *Formula instantiæ promotoris ut sessio finiatur, vel post meridiem continuanda decernatur.* — Reverendissime Pater et Domine, quia tarda jam hora est, humiliter peto, ut præsenti sessioni finis imponatur : (vel) ut præsens sessio post meridiem continuanda decernatur.

XV. *Formula decreti a secretario legendi pro finienda sessione,*

vel indicenda ejus continuatione post meridiem. — Proxima sessio habebitur cras, hora...—(vel) iudicimus continuationem hujus sessionis fore hodie post meridiem hora..—(Addat, si addendum sit) congregatio generalis habebitur hora.., — commissiones convenient hora.., unaquæque loco sibi assignato.

XVI. *Formula instantiæ promotoris pro rogando notario ut de peractis instrumentum publicum conficiat.* — Ego N., hujus Synodi promotor, rogo te N. notarium et cancellarium episcopalem, ut de omnibus et singulis in hac sessione peractis unum pluravc conficias instrumenta *(eodem modo instat promotor sub finem uniuscujusque sessionis).*

XVII. *Formula responsi a notario faciendi, quando rogatur ut de peractis publicum instrumentum conficiat.*—Faciam, præsentibus N. et N., testibus.

XVIII. *Formula capitum orationis mentalis, quæ nonnullis in locis fieri solet sub finem uniuscujusque sessionis.*

1° *In fine primæ sessionis, hæc cantat diaconus assistens, vel alius, ad dexteram Episcopi :*

Orate, Fratres charissimi : toto corde conversi ad Dominum, mentes ad cœlum erigamus, et corporibus prostrati, hæc devote precemur, invocatis sanctis patronis et protectoribus hujus diœcesis NN.; item sanctis martyribus NN., cum cæteris beatis, quorum corpora quiescunt in hac diœcesi.

Orate intimo dolore, ut Dominus peccatorum vestrorum veniam vobis concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiæ parcat, errata omnia condonet, quæ in clericali statu, in officiis sacerdotalibus multiplici errore commisistis. Intimo charitatis affectu, singuli pro Reverendissimo Episcopo et omnibus qui in hoc clero continentur idem orate. Orate invicem ut salvemini *(hic pausa fit ad orandum mentaliter, per tempus quo recitaretur psalmus Miserere).*

Fratres charissimi, unanimes perseverate in oratione, et petite a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, quem credimus esse in medio hujus sacri cœtus, petite Spiritus Sancti donum, ut posthæc digne omnes ambulent vocatione

qua vocati sunt; ut sacramenta digne ministrent, verbum Dei cum fructu prædicent, animas sollicite curent, religiose vivant, in patientia possideant animas suas *(hic iterum fit pausa, per spatium unius* Miserere).

Fratres charissimi, unanimes orate pro Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX Christi Vicario, ut sanctam Ecclesiam sancte gubernet, cum sacro Cardinalium collegio. Orate pro sancta catholica et Apostolica Ecclesia Romana, toto orbe terrarum diffusa, ut eam Deus conservet, defendat, augeat, exaltet ad honorem et gloriam suam *(ibi pausa ut supra).*

2° *In fine secundæ sessionis :*

Fratres charissimi, unanimes orate, ut bonum quod in nobis a Reverendissimo Antistite nostro, tam incenso charitatis studio et officio requiritur, omnino exequamur : utque prompta cum eo sollicitudine gradientes, digne ambulemus vocatione qua vocati sumus; omnique in opere bono crescentes, obediamus studiis Deo placitarum orationum *(hic pausa ut supra).*

Fratres charissimi, orate pro Reverendissimo Episcopo nostro, ut divino Spiritu illustratus et roboratus, una cum suis adjutoribus et cum grege suo consequatur vitam æternam *(pausa ut supra).*

Fratres charissimi, orate unanimes Christum, Dominum messis hujus, ut operarios mittat in messem suam, detque omnibus hujus vineæ N. operariis Spiritus Sancti ignem ac lumen, demumque mercedem *(hic pausa ut supra).*

3° *In fine sessionis tertiæ :*

Fratres charissimi, orate toto cordis affectu pro imperatore et rectoribus temporalibus hujus imperii; ut cum pace et salute communi munus suum obeant, recta semper sentiant et exequantur, Ecclesiæ defensores se præstent, et vitam sempiternam mereantur *(pausa solita).*

Fratres charissimi, orate unanimes, ut Deus spiritum religiosæ observantiæ det omnibus viris regularibus hujus diœcesis, ad suam salutem et ædificationem populorum : omnibus item monialibus ad salutem suam et aliorum *(pausa ut supra).*

Fratres charissimi unanimes orate pro cunctis populis hujus diœcesis, ut Deus conservet sanctam Fidem catholicam, peccata elimiuet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terræ ad eorum felicitatem (*pausa ut supra*).

Nota circa modum hæc cantandi : Vox orate *cantatur per notas* fa, re. *Voces* fratres charissimi, *per notas* fa, mi, re, fa, fa. *Terminatio in ultima voce ante pausam, fit per notas* fa, re. *Hæc capita orationis mentalis reperies apud* Gavantum, *Praxis Synodi diœcesanæ*, parte 4, cap. 10.

XIX. *Formula instantiæ promotoris pro nominandis judicibus synodalibus.* — Reverendissime Pater et Domine, Concilium Tridentinum, Bonifacii VIII Constitutioni inhærens, decrevit ut in Synodo diœcesana (nisi jam in provinciali peractum sit) aliquot personæ, dignitates aut personatus habentes, vel ecclesiarum cathedralium canonici, designentur ac deligantur, quibus (præter locorum Ordinarios) causæ ecclesiasticæ ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, committantur. Quapropter ego N..., hujus Synodi promotor, humiliter peto et insto tot personas, quot et quales prædicta decreta requirunt, ab amplitudine tua designari.

XX. *Formula decreti a secretario legendi, pro nominandis judicibus synodalibus.* — Sacrosancta Tridentina Synodus, sessione 25, capite 10, ita decrevit : « Quoniam ob malitiosam... » (*totum illud caput legit secretarius.*) Constitutio autem Bonifacii VIII hæc est : « Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate « præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum ca- « thedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis « Apostolicæ aut Legatorum ejusdem de cætero committan- « tur ; nec audiantur alibi quam in civitatibus vel locis insi- « gnibus, ubi possit commode copia peritorum haberi. » Ut igitur ejusmodi decreta exequamur, reverendos dominos N.., N.., N.., et N.., quos in generali congregatione jam proposuimus, et de quibus consilium Synodi requisivimus, in judices synodales eligimus ac deputamus.

XXI. *Formula instantiæ promotoris, pro nominandis examinatoribus synodalibus.* — Reverendissime Pater ac Domine, sancivit Tridentina Synodus, ut in diœcesana Synodo eligantur examinatores, qui instituendos in parochiis vacantibus simnl cum Episcopo examinent. Quamobrcm ego N... hujus Synodi promotor, humiliter peto, ut dicti examinatores eo modo quo præfata sanctione statntnm est, eligantur ac deputentur.

XXII. *Formula decreti a secretario legendi, pro nominandis examinatoribus synodalibus.* — Sacrosancta Tridentina Synodus ita decrevit, sessione 24, capite 18 (*et legit secretarius ex eo capite a vocibus* examinatores autem, *usque ad verba* peracto deinde examine). Tridentinum ergo Decretum Nos volentes exequi, reverendos dominos N.., N.., N.., N.., N... et N.., quos jam in congregatione generali proposuimus, et in quos se consentire Synodus declaravit, in examinatores synodales nominamus ac deputamus.

XXIII. *Formula instantiæ promotoris, ut examinatores synodales juramentum præstent.* — Reverendissime Pater et Domine, sancivit Tridentina Synodus, ut deputati ad officium examinatornm synodalium, jurent de recte implendo munere suo. Quapropter cgo N... hujus Synodi promotor hnmillime peto, nt jubeat Amplitudo Tua, præfatum juramentum a modo nominatis examinatoribus præstari.

XXIV. *Formula juramenti ab examinatoribus synodalibus præstandi.* — Ego N... examinatoris officinm quod suscepi, promitto, spondeo ac juro, me fideliter et sincere, quantum in me est, executnrum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.

XXV. *Formula instantiæ promotoris, ut legantur decreta quæ legenda remanent.* — Reverendissime Pater et Domine, quoniam in ultima sessione, præ temporis angustia legi non potuerunt omnia decreta qnæ legenda sunt, humillime peto, ut mandet Amplitudo Tua hæc nunc legi; et dein promulgari constitutiones seu statuta quæ eadem Paternitas Tua in hac Synodo publicare decrevit.

XXVI. *Formula instantiæ promotoris pro conclusione Synodi.* — Reverendissime Pater et Domine, cum omnia quæ in hac Synodo agenda et tractanda erant, divina auxiliante gratia ad optatum finem perducta sint, illud a Reverendissima Amplitudine Tua peto ego N.., hujus Synodi promotor, ut ipsam Synodum concludere, et cum benedictione dimittere velit.

XXVII. *Formula decreti a secretario legendi pro conclusione Synodi.* — Synodi nostræ diœcesanæ N.., Deo adjuvante, optatum finem videmus; quapropter eam cum gratiarum Deo actione, concludendam esse decernimus, et conclusam enuntiamus.

XXVIII. *Formula decreti a secretario legendi pro dimissione Synodi.* — Ad laudem Dei omnipotentis, Beatissimæque Virginis Mariæ sine labe originali conceptæ, et sancti N.., patroni nostri, decernimus Synodum dimissam : ac propterea cuique eundum esse ad proprias ecclesias. Hortamur autem omnes vos, Fratres charissimi, ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maxime decet sacerdotes ab omni mundanorum cura segregatos : illudque maxime cum redieritis præstandum erit, ut populus omnis vos ab hac Synodo haud mediocrem fructum reportasse intelligat (*et alia similia pro opportunitate addere potest Episcopus*).

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

FINIS TOMI SECUNDI.

Atrebati. — Ex Typis A. Rousseau-Leroy, via vulgo dicta Saint-Maurice 26.

PARIS. — IMP. SIMON RAÇON ET COMP., RUE D'ERFURTH, 1.